




P. VIRGILI MARONIS

CARMINA

BREVITER ENARRAVIT

PHILIPPUS WAGNER

EDITIO TERTIA
SUPERIORIBUS MULTO PRAESTABILIOR

LIPSIAE
IN LIBRARIA HAHNIANA
MDCCCLXI

VIRO VENERABILI

CAROLO GODOFREDO BEER

ANTISTITI SACRORUM APUD NIEDERAVIENSES

OPTIME PROMERENTI

HANC TERTIAM EDITIONEM

SACRAM ESSE VOLUIT

AMICISSIMUS EDITOR.

LUSTRA DECEM IUNCTI TRANSEGIMUS, OPTIME BEERI;

HIC QUOQUE IUNCTA FERAT NOMINA NOSTRA LIBER!

PRAEFATIO

TERTIAE EDITIONIS.

Ex quo ego et P. Hofman Peerlkamp, Vir Venerabilis, carmina Virgiliana edidimus, multorum studia incensa sunt ad eadem vel emendanda vel explicanda. Multa uterque temptavimus, alius alia via, si non persuadendi spe, tamen quo aliorum ingenia excitarentur ad invenienda veriora. Unde hunc fructum rettulimus, ut ea quoque, quae aliis ex sententia successerunt, ex aliqua parte pro nostris habere possemus. Eodem tempore, quo mea editio sub prelo sudabat, coepta erat typis exprimi editio Aeneidos a Carolo Thiel curata. De huius viri laude nunc multa praedicare supervacaneum est, quandoquidem omnes, qui in his studiis versantur, quanta eius fuerit eruditio, quantum acumen, quam subactum ad poetas interpretandos iudicium, quanta denique cum Virgilio quasi familiaritas, satis cognitum habere existimo. Praeterea laudabilem operam in enarrando Virgilio posuerunt Car. Fr. Süpfle, Car. Anthon, Neo-Eboracensis (1846), God. G. Gossrau, Fr. Dübner, Archib. Ham. Bryce, Edinburgensis (1857). Prima editio Io. Chr. Iahnii, cui multum Virgilius, multum ego debeo, aliquot annis ante meam in manus studiosorum venerat.

Vossii Thieliique vestigia maxime pressit Theodorus Ladewig, nec me vellem saepius ab his discessisse, quam oportuit, in superioribus editionibus. Ipse quae melius exposuit, quam ceteri, lubens in meas chartulas derivavi, nec id

eum indigne laturum cum alias ob causas confido, tum quod, quae mea erant, si ipsi probarentur, in suam editionem transtulit, speroque etiam in hac mea tertia editione inventurum, quibus vel ad emendandam vel ad locupletandam suam uti possit.

Parum mihi temporis a festinante typographo datur ad praefandum nec otium relinquitur ad habendum multis viris doctissimis meritum honorem, qui in singulis rebus verbisque enucleandis feliciter elaboraverunt. Itaque et his omnibus gratias ago debitas, et potissimum iis, qui, quae ediderunt, mihi mittere benigne voluerunt, C. H. Muellero, Laur. Lerschio, Io. Freudenbergio, Io. Siebelisio, Theod. Ladewigio, C. Fr. Ameisio, qui et in censura secundae editionis Iahnii Annalibus inserta et in commentatione scholastica ao. 1851 ed. multa egregie disseruit, tum A. Haeckermanno, denique R. Dietschio, cuius *Theologumena Vergiliana* lumen adhibuerunt rebus obscurissimis. Ceterum si quid praeteritum est in hac editione commode ab aliis disputatum, nolim id mihi vitio verti; sunt enim nonnulli ex hoc genere libelli, quos nancisci non potui.

Neque hic sua laude defraudandi sunt physici clarissimi H. G. L. Reichenbach, Dresdanus, cum eruditissimo filio, professore Lipsiensi, et G. F. H. Küchenmeister, nunc item Dresdanus, qui suae doctrinae copiam mihi fecerunt in rebus quibusdam ad ipsorum artem spectantibus.

Restat, ut paucis commemorem, quid praestitum sit in hac tertia editione. Qui vel unam alteramque paginam commentariorum inspicere voluerit, facile animadvertet et emendatiores multo esse, quam antea, et auctiores. Etsi brevitati maxime studendum mihi censueram, tamen et exemplo et monitu aliorum motus multa, quae in superioribus editionibus desiderabantur, addenda duxi, multa, quae paucis attigeram, copiosius tractanda; quo certe id me consecutum esse spero, ut mihi non verendum

sit, ne diligentia mea desideretur. Quae protuli nova, gratum mihi erit, si viris doctis non displicuerint; ut vera sint et recta, quae scripsi, sedulo operam dedi. Aeneidem magistrorum maxime gratia, ut facilius decernere possint, quas partes in scholis potius narrandas (I. A. Ernesti exemplo Praefat. ad Ovid. a Fischero ed. p. XIII sqq.) quam enarrandas sibi sumant, in minutas quasdam particulas dispescui. Quid aptum, venustum, egregium quoque loco sit aut contra, explicare ut pro modulo talis editionis saepe longum est, ita vel iudicio legentis vel magistri vivae voci relinquendum; idem censet G. Schrader in Mützellii Annalibus rei gymnasiasticae 1853 p. 723; quare meum de eiusmodi rebus iudicium raro interposui, idque quam fieri potuit verbis paucissimis. Interpunctionis omnis ratio duplex est, vel ea, quam cuiusque linguae ingenium commendat, vel ea, quae tamquam imago est et vicaria recitationis. Ut illa non sine damno sententiae pervertitur, ita haec non caret proprio quodam commodo; atque ut illa adolescentulis legentibus variam obiicit difficultatem moramque, ita haec, tamquam audias aliquem scite recitantem, discreta distinguendo, coniuncta copulando efficit, ut sensus facilius se aperiant; illa rariores admittit interpunctiones, haec crebriores postulat. Sed haec indicasse hoc loco sufficit, latius exponere non est operae; gaudebo, si eam viam tenuisse visus ero, quae tali, qualis haec est, editioni maxime conveniat. Nec segreganda fuit a meo consilio res critica; quamquam, quae huc pertinent quaestiones, alii tempori aliique loco reservandae erunt, nec poterunt ante absolutam editionem ab Ottone Ribbeckio inchoatam ex omni parte absolvi. Interim providi, quantum potui, ut sua Virgilio integritas constaret; ac ne nunc quidem meae me recensionis paenitet. Mauritii Hauptii opera Virgilio navata, quae omnibus grata esse debuit, non potuit mihi non esse gratissima. Multa in novam disceptationem vocavi in *Lectionibus Vergilianis* Philologo ab E. de Leutsch edito insertis Supplement. Vol. I. fasc. 3,

ubi (p. 314) etiam *Hic* G. 3, 202 defendi, quod in hac editione perperam in *Hinc* mutavi.*) — Denique huic editioni indicem rerum verborumque in commentariis explicatorum adieci, in hac quoque re ea brevitate usus, quae hanc appendicem non sineret in magnum corpus crescere.

His ita actis neminem spero tam iniquum fore, qui me id fideliter egisse neget, ut haec tertia superioribus multo evaderet praestabilior; et tamen quando sat Troiae Priamoque datum esse gloriabimur?

Scr. Dresdae mense Iunio 1861.

---

*) Cum commentarios meos iam typographo Lipsiensi tradidissem, misi, dum operae exercentur, nonnihil supplementorum; hoc modo factum est, ut iis, quae scripseram Aen. 6, 585, adversentur, quae statim subsequuntur. Itaque priora illa „*dum* interdum ... obsequimur" sublata malim. — Aen. 1, 3 sq. quae scripsi „*dum conderet* ... 800," aut omnia deleantur, aut certe haec „G. 4, 457" auctore Eman. Hofmanno „*Die Construction der lateinischen Zeitpartikeln*" pag. penult., quo libello res multa variaque cum contentione agitatae feliciter compositae videntur. — Ad Aen. 5, 620: *Mari* nomen nunc a me restitutum est Aen. 9, 685. — Aen. 8, 108 *tacitis* imprudens reliqui pro *tacitos;* hoc ipsum tacere insidiosum videri poterat. — Aen. 2, 430 tollenda est notula, item Aen. 12, 273 verba „*qua* — 54."

EX EPISTOLA

AD VIRUM SUMME REVERENDUM

HENR. CAR. ABR. EICHSTAEDT

PRIMAE EDITIONI PRAEMISSA.

Nosti, VIR PRAESTANTISSIME, dudum a me parari editionem carminum Virgilii talem, qualem maxime desiderare videantur ii, qui aut primum ad ea legenda accedant, aut, postquam pueri in scholis particulam aliquam cognoverint, egressi ea aetate, deficiente ad volvendos ampliores commentarios otio, perpetua celerique lectione eos libros complecti cupiant. Itaque primum brevitati maxime studendum putavi. Huius autem brevitatis duplex est ratio, quarum altera in verbis atque oratione cernitur, altera in certo quodam modo interpretationis definiendo. De hoc primum dicam. Nihil putavi mihi illustrandum esse, quod, qui leget ea carmina, modo ne sit nimis a scientia aut ingenii sollertia destitutus, ipse expedire posse mihi videretur. Omnino enim illud teneri velim, non ignavis atque inertibus me scripsisse, sed iis, qui et velint et possint aliquid e lectione Virgilii proficere. Primum autem officium interpretis hoc esse consentiunt omnes, ut et rerum et verborum obscuritas, si qua est, tollatur. Itaque et eas res, quas aliquammultos ex eo, quod animo finxi, genere lectorum ignorare suspicarer, enucleandas censui, et ea verba enodanda mihi sumsi, quorum sententia paulo esset impeditior. Quod si quis haerebit, ubi tacui, eum iubeo a lexico petere auxilium; quamquam non pauca, quae lexici ope inveniri possunt, non iudicavi mihi praetermittenda, si viderentur quaerentem diutius esse remoratura. Sed qui veteres scriptores accurate legere sibi proposuerit (ac debet hoc sibi quisque proponere, qui operae pretium facere et cum fructu in ea re versari vult), praeter cuiusque verbi notitiam cognitas habeat necesse est leges grammaticas. Ad hanc igitur quoque partem explanandam laborem meum mihi dirigendum esse statui, verum non ita, ut communia et vulgaria persequerer, tamquam qui poetam non potius sua quam grammatices causa tractandum existimarem, sed ut, quae ad ipsum poetam recte intelligendum etiam iis, qui non omnino rudes essent in hac ratione, necessaria viderentur, ea dumtaxat exponerem. Ac neque hac in re, neque

in ceteris relegavi lectores ad libros magna ex parte sibi ignotos; nullos omnino laudavi, nisi ipsos scriptores veteres Graecos ac Latinos, eorumque ipsa verba, ubi opus videretur, posui, maxime quorum libros non existimarem in omnium manibus esse. Sed nihil addo amplius de hac parte mei instituti, cum, quae possum addere, facile videat quivis lector non plane imperitus.

Ad orationem ut veniam, in ea quoque, ut paulo ante significavi, maxime secutus sum brevitatem, sed eam, quae non esset a perspicuitate seiuncta; ut nec deesset, quod iure desideraretur, nec redundaret quidquam, sedulo curavi. Praeterea usus sum, ubicumque fieri potuit, notis communibusque verbis. Illud etiam operam dedi, ut recta ubique esset et pura oratio; non abhorrui tamen, ipsius brevitatis causa, ab eiusmodi verbis vocabulisque, quae, si non proba, tamen grammaticorum usu trita sunt.

Et qui legent hos commentarios, fortasse opinabuntur nihil potuisse scribi facilius, et maius prope in ea re manus ac digitorum fuisse, quam mentis ingeniique negotium. Utinam vero ita credant! argumento id mihi fuerit, non male cessisse, quam suscepi, operam. Sed dicam, quod sentio: malo equidem librum aliquem veterem in usum doctiorum illustrare, quam talem, qualis haec est, editionem parare. IPSE non ignoras, VIR AMICISSIME, quanta temporis, quanta laboris impensa mihi constiterit tenuissimus hic libellus. Nam plerisque fere locis, antequam ullam litterulam chartae mandarem, cogitandum erat, aut videreturne omnino opus esse aliqua explicatione, aut quid potissimum dicerem, aut quam idem et breviter et plane apteque exprimerem; quae cogitatio fieri non potuit quin multo plus temporis absumeret, quam ipsa scriptio. Quare qui vere recteque de hac editione iudicare voluerit, ubique debebit quaerere, quae mihi aut dicendi aliquid aut tacendi causae fuisse videantur. Sed cum varia sit doctrina nec idem ingenium eorum, qui me duce Virgilium cognoscere cupient, erit et qui saepius haereat et qui facilius mentem poetae perspiciat. Illorum, qui fortasse plures erunt, aequum erat me potissimum rationem ducere, his, qui aut plus valent ingenio aut paratiores sunt a doctrina, auctor sum, ut, si, quae legerint, sua sponte intellexerint, ne inspiciant quidem notas nec requirant ducem, nisi ubi periculum esse senserint, ne destituti duce aberrent a vero.

Textum, quem vocant, exhibui fere talem, qualis est in maiore editione, a quo cum ceteris in rebus raro mihi discedendum putarem, illud tamen laboravi, ut iam aequabilior et constantior esset verborum scribendorum ratio, quam orthographiam appellant. Atque etsi verecundatus sum omnia revocare ad antiquam in hoc genere consuetudinem, restituenda tamen visa sunt ea, ad quae neminem fore existimarem qui magnopere offenderet. Participiorum et Adiectivorum tertiae declinationis, non item Substantivorum omnium, Accusativos in ... *is* terminavi. Indicem verborum aliter, ac vulgo fit, scriptorum infra adiiciam. Causas harum mutationum qui cupit cognoscere, aut

ex quinto Volumine maioris editionis, quod etiam separatim venditur*), petet, aut, si utetur idoneo magistro, ab eo quaeret. Erit autem, qui me reprehendat, quod ipse in commentariis non ubique posuerim easdem, quas in textu, verborum formas. Factum hoc est eo consilio, ut, si qua paulo inusitatiora videri possent, ea commutarem cum tritis et usu receptis**).

Nec in interpungenda oratione ex omni parte mihi satisfeci; gratum mihi erit, si satisfecero iis, quorum in usum adornata est haec editio. Non libet singula persequi; illud admonere non fuerit supervacaneum, tantum me in hac quoque re perspicuitati tribuisse, ut aliquando non curarem constantiam.

Criticis quaestionibus nihil hic loci relictum erat. Itaque satis habui commemorare quasdam insigniores lectionum, quas vocant, varietates, quarum rationes, si visum fuerit, aut ipsi lectores ingenii exercendi causa disceptent, aut a magistris sciscitentur, aut in maiore editione expositas introspiciant. Notavi has varietates adiecto nomine *Alii*, puta *legunt*.

In hac igitur editione, VIR EXCELLENTISSIME, solas interpretis partes suscipiendas duxi, idque munus mihi videor ita administrasse, ut nullam difficultatem, quae multae sunt et magnae, subterfugerim. Non pauca hic videbis emendata, quae in maiore editione deliqueram, complura explicata, quae in illa neglecta erant. Quo factum est, ut haec editio pro Supplemento maioris haberi ipsisque etiam magistris usui esse possit.

---

*) Publi Vergili Maronis Carmina ad pristinam Orthographiam revocata ed. Ph. Wagner. Accedit Orthographia Vergiliana. Lips. 1841.

**) Vehementer autem probo, quod Viri Doctissimi, postquam *Vergilium*, non Virgilium, audisse hunc poetam ostendi, illa nominis huius forma uti coeperunt; ipse in hac quidem editione uti non sum ausus, circumspecto prudentissimi Redemptoris iudicio obsecutus. Ceterum probabili ratione ductus Chr. Guil. Glück („*Die bei C. Iulius Caesar vorkommenden Celtischen Namen.* München. 1857." pag. 132) nominis Vergiliani originem repetit a Celtico vocabulo *vergo*, quod Germanice dicitur *Werk*, Latine *opus*; quare Vergilius dictus videbitur, qui opus rusticum facit.

PROLEGOMENA

DE VITA CARMINIBUSQUE VIRGILII.

§. 1. De vita Virgilii nec multa tradita sunt, nec ex omni parte certa. Nimirum accidit Virgilio idem, quod plerisque, qui apud Graecos Romanosque vel rerum gestarum gloria vel litterarum suarum monumentis clari facti sunt. Non multum illi veteres curabant suam cuiusque vitam resque domesticas; quam quisque in commune utilitatem attulisset, quaerebant; cetera ad se aut nihil aut parum attinere arbitrabantur; unde factum est, ut vitas singulorum hominum scriptitare non ante sublatam publicam libertatem instituerint.

Natus est P. Virgilius Maro in pago, qui Andes dictus, anno p. u. c. 684 Idib. Octobr. Is pagus (hodie, ut creditur, Pietola) non longe distabat a Mantua; quare fuerunt, qui hunc poetam appellarent Mantuanum. Humili loco ortus patrem habuit Virgilium Maronem, colonum Andinum (figulum quidam vel mercenarium fuisse dicunt), matrem Maiam vel Pollam. Pater erat ita a re familiari instructus, ut filium primum Cremonam, deinde Mediolanum, illas Insubrium quasi Athenas, discendi causa deduceret. Postea, sumpta toga virili, Virgilius Neapolim se contulit ibique a Parthenio poeta et grammatico, Graeco homine, eruditus est; hinc Romam venit, ubi se in Syronis, philosophi Epicurei, disciplinam traderet. Putabimus igitur Virgilium omnibus, quibus tum iuventus Romana impertiri solebat, liberalibus artibus imbutum fuisse, quo pertinent etiam mathematica et physica. Erant autem veteres et Graeci et Romani in ea opinione, ut bonum poetam plurima scire oportere existimarent; nec potuerunt aliter statuere, qui Musas ipsas, quarum nomine humanitatem ac doctrinam contineri scribit Cicero Tusc. 5, 23, *πολυμαθεστάτας* esse nossent.

Cum revertisset ex Urbe Virgilius, cum aliis, ut videtur, studiis, tum rei rusticae dedit operam et poesi. Has ad res ut eum sua natura rapiebat, ita ratio valetudinis, infirmae fere atque inconstantis, abstrahebat a gerenda sive domi sive foris republica. Primam sibi famam peperisse videtur eo carmine, quod Culex inscriptum erat, scripto anno 709 vel 710; quod quo plus laudatur a veteribus,

eo minus credere licet Virgilii esse miserum illud carmen, quod adhuc nomen Culicis prae se fert. Praeterea tribuuntur a Grammaticis Virgilio Priapeia, Epigrammata, Moretum, Catalecta, Dirae, Ciris, Copa, Aetna, quae si essent omnia ab hoc poeta profecta, certe ex parte his proximisque annis scripta videri possent; sed Moretum et Copa etsi plane digna sunt talis poetae ingenio illoque, talium elegantiarum parente, saeculo, tamen a Virgilio videntur abiudicanda; cetera quoque, praeter partem Catalectorum, iniuria pro Virgilianis venditantur. Anno 712—716 Virgilius scripsit pastoricia carmina, Bucolica; nam ita ab ipso poeta nuncupata esse pro certo haberi potest; *) postea Eclogae vocari coeptae sunt, quo nomine significabantur carmina minora varii argumenti. Inciderunt hi anni in illos motus, qui tum Italiam concusserunt. Quae eo tempore fuerit poetae fortuna, his ipsis carminibus relatum legimus; ac ne bis eadem mihi dicenda sint, remitto lectorem ad prooemia singulis praemissa, in quibus quandam quasi historiam istorum temporum contextam invenies, modo illud teneas, non eo, quo nunc collocata sunt, ordine ea carmina scripta esse, sed illo, qui indicatus est ad Ecl. I. Partim his carminibus, partim fortasse etiam ante editis effectum est, ut Virgilius se in amicitiam ac familiaritatem clarorum potentiumque virorum insinuaret, ut C. Asinii Pollionis (v. Prooem. ad Ecl. I. II. IV. VIII.), boni et oratoris et poetae et historici et imperatoris, Alfeni Vari (v. Prooem. ad Ecl. VI.), poetarum Cornelii Galli (Ecl. X.), L. Varii atque Horatii, denique Maecenatis, qui plurimum apud Octavianum poterat, ipsiusque etiam Octaviani. Annis 717—724, ut aiunt Grammatici, aut, si ipsi Virgilio (Ge. IV, 559 sqq.) credimus, annis 723—725 scripta sunt Georgica, sive carmen de re rustica. Post aggressus est epicum carmen, Aeneidem, in quod annos impendit undecim, 725—735, ita tamen, ut complura in eo poemate emendanda, limanda, expolienda sibi relinqueret. „Anno aetatis quinquagesimo secundo, ait Donatus Vit. Virgil. § 51, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, statuit in Graeciam et Asiam decedere triennioque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. Sed cum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam revertenti, una cum eo redire statuit. Ac cum Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, languorem nactus est, quem non intermissa navigatio auxit ita, ut gravior in dies tandem Brundisium adventarit, ubi diebus paucis obiit“ anno 735 a. d. X. Kal. Octobr.; sepultus est ad viam Puteolanam prope Neapolim.

§. 2. Insignis dicitur in Virgilio fuisse lenitas, mansuetudo, pudor candorque pectoris. Ingenio fuit acri sollertique, inprimis ad narrandas describendasque res apto; animo ut ad magna magno ore

*) Servius in prooemio Georgicis praemisso: „cuius [libri Hesiodei] titulum transferre noluit, sicut Bucolicorum [a Theocrito] transtulit“ Virgilius.

sonanda forti, ita molli ad teneriores affectus et facile concipiendos et feliciter exprimendos *). Sermonis tanta usus est copia, varietate, elegantia, gravitate, ut nullus poeta Romanus hac ex parte adaequaverit Virgilium, nedum superaverit. Itaque non est mirum, quod Itali maxime et Francogalli, his virtutibus Virgilianae dictionis inprimis delectati, hunc poetam omnibus poetis praetulerunt. Similiter olim vulgo Germani. Sed ex quo nostri homines ad Graecarum litterarum studia toto animo incubuerunt, fastidiri a multis ac prope contemni coeptus est Virgilius tamquam purus putus, ut aiunt, neque is optimus, imitator Graecorum. In tanta igitur opinionum discrepantia dispiciamus primum aliquam rationem necesse est, ad quam nostrum iudicium dirigamus. Plurimis veterum scriptorum, eorumque maxime idoneorum, testimoniis compertum est ab ipsis Romanis Virgilium principem Latinorum poetarum habitum esse. Itaque, si aequi volumus esse iudices, non tam illud in ea causa quaeremus, quid nobis placeat, quam quid placuerit Romanis. Romanum induat animum sensumque oportet, qui Virgilium recte legere iustaque aestimatione dignari decreverit.

Vita Romanorum principio fere in negotiis ad rem rusticam, forensem, senatoriam, bellicam spectantibus continebatur; artes ad doctrinam politioremque humanitatem pertinentes negligebantur, ad quas tum demum otium suppetere coepit, cum Italia victa subactaque hostes de imperio cum Romanis certantes fracti prostratique sunt. Quamquam autem non deerat ingenium Romanis ad has quoque complectendas, tamen ita eorum animos suarum rerum, maxime imperii, cura tenebat, ut nihil ea potius haberent. Itaque cum artes litterasque Graecorum cognoscerent, has sibi in loco grati quidem ac iucundi, sed non necessarii, ornamenti ponendas censuerunt, quaeque in eo genere a Graecis iam parata essent, ea, quemadmodum reliquam praedam, in suum usum transferenda existimarunt. Coeperunt igitur Graecorum libros latine vertere aut imitando exprimere. A rudibus principiis profecti paulatim fingere et expolire orationem omnemque sermonem instituerunt. Nam ipsius orationis cum multus apud eos esset usus in republica magnaque in omni negotio vis, ad hanc excolendam, ornandam varieque locupletandam omne studium conferendum putarunt. Atque ita hoc consecuti sunt, ut, quae a Graecis sumpsissent, re quidem essent peregrina, verbis autem et sententiis tota latina et domestica esse viderentur; idque diu arbitrabantur satis esse ad laudem boni scriptoris; quamquam fieri non potuit, quin existerent, qui etiam res domi natas persequerentur et ad similitudinem Graecorum exigerent. Ac de Homeri Theocritique imitatione, quali usus sit Virgilius, infra singillatim dicetur. Sed ne in posterum iustis Virgilii laudibus officiat comparatio cum Theocrito atque Homero, imitatus quidem ille

*) Copiosius de ingenio moribusque Virgilii nuper exposuit Sainte-Beuve, *Moniteur Universel* 1855 no. 351. 365. et 1856 no. 14. 28. 42. 49. 63. 77.

est utrumque, contendere certe cum iis noluit, ac ne id voluisse videretur, eo cavit, quod (etsi Orpheum et Musaeum libro Aeneidos sexto cum multo verborum honore commemoravit) illorum ne nomina quidem in carminibus suis usquam posuit, Ascraeum carmen Georgica sua, prope nimis modeste, appellare contentus G. 2, 176.

§. 3. Maximas res antiquissimis temporibus gesserant Graeci, celebratas illas a magnis epicis poetis. Idem populus cum natura ad discendum quaerendumque esset factus, mature delectabatur semperque delectatus est didacticis carminibus. Cum autem divina virtute ac fortitudine libertatem suam a barbaris defendissent, extulit sese tragoedia, quae quasi in lucem vitamque restitueret heroas illos, quorum posteros se esse Graeci iam non solum verbis ferebant, sed etiam factis probarant. Sed idem saeculum (quintum a. Ch. n.), quod res Graecorum ab omni parte viderat florentissimas, primas peperit causas magnae, quae insecuta est, conversionis. Nocebat ipsa securitas tutumque otium; tum mercatura Graecos, inprimis Athenienses, locupletaverat; ex divitiis nata luxuria, e luxuria licentia et morum corruptela, ex hac amissio libertatis; ea autem sublata exaruit uberrima illa vena ingenii, ex qua, tamquam ex inexhausto fonte, profluxerant illa divinitus scripta, quae omnibus saeculis admirationi fuerunt. Eo tempore longe inter aequales suos excellens prodiit Theocritus Syracusanus, qui floruit saeculo III. a. Chr. nat., ultimus e numero magnorum poetarum Graeciae. Is cum cetera carminum argumenta a superioribus poetis occupata videret, ipse autem ruris amoenitatibus ac pastoriciae vitae iucunditate inprimis delectaretur, carmen pastorale, antea inconditum et agreste, in artis formam redegit atque ita perfecit, ut neminem invenerit, qui cum ipso comparari posset; adeo ille veram vitam, verum sermonem, veros mores pastorum imitando effinxit*). Theocriti exemplum secutus Virgilius primus Romanorum bucolica scribere instituit, sed, ut supra dictum est §. 2, non ita, ut in certamen laudis cum illo venire in animum induxerit. Satis habuit, pauca ex Theocrito integra imitando exprimere; formam magis quandam carminis bucolici, quam argumentum, ab eo petiit. Pleraque nec imitationis causa, nec quod hoc genus inprimis amaret, scripsit Virgilius, iussus, ut ait ipse Ecl. 8, 11 sq., ab Asinio Pollione, sed quia, cum res moneret, ut se suasque rationes commendaret aut gratias ageret amico alicui potenti, optime hoc ita fieri posse vidit, si ipse, rusticanus homo, qua erat modestia, tenuem postoris personam

*) Quae scripseram hoc loco in secunda editione, iis prolusit quodammodo A. F. Naekius Opusc. Vol. I. p. 162: „Has vitae pastoriciae descriptiones non ad priscorum hominum ingenium sensumque factas, sed aevo proprias esse in peiorem partem converso luxuriaque diffluenti, cum homines saepe aliquo abundantiae voluptatisque taedio capti aliunde imaginem simplicitatis revocare et repraesentare sibi eoque titillare suos animos student, et alii dudum, si recte memini, senserunt et ego ita persuasum habeo, vix ut potuisse ante Theocriti saeculum excogitari talem poesin putem."

susciperet, nec desiderantis multa nec nimis magna petentis. Hinc nata est illa allegoria in his Virgilii carminibus, a multis paulo iniquius vituperata; hinc illud quoque factum, id quod item multi iniuria, ut opinor, reprehendunt, ut multo tersior ornatiorque, a nativa illa pastoricii carminis simplicitate remotior, etiam doctior interdum videatur Virgilius, quam Theocritus. Tantum abest autem, ut omnia a Virgilio scripta, quia sint scripta a Virgilio, plena manu laudanda iudicem, ut facile largiar accidere his carminibus, quod solet accidere toti huic generi certis temporibus hominibusque in propria poetae causa tributo, ut iis maxime placeant, quorum aliquo modo interest ut scripta sint, minus placeant iis, qui ab his temporibus remoti sunt aut quorum alia est vita, alii mores, aliae rationes. Quae cum ita sint, aliud apparet genus esse bucolicorum Theocriti, aliud Virgilii; tertium invenit Sal. Gessner, popularis noster, pariter ut Virgilius iniquiores censores expertus. Ac de Gessnero quidem verissima mihi videntur quae pronuntiavit A. Th. H. Fritzsche Theocr. a se ed. p. 19 et 20, quae nolim a iuvenibus nostris, qui in his studiis versantur, praeteriri ac negligi; quod quidem ne fiat, ita, quantum ego possum, cavebo, ut ipsa verba viri praestantissimi subiiciam: „Nennen wir ihn (Gessner) immerhin den Dichter des idealisirten Naturlebens, und preisen den glücklich, der noch die geistige Unschuld hat, sich daran zu laben. Ja kehrt die Zeit wieder, wo die, welche Gebildete sein wollen, die Alten wieder lesen mit der Absicht, in welcher Melanchthon sie las, nemlich um sich zu bessern und ihren Geschmack zu veredeln — und sie wird wieder kommen — so wird der klassische Werth der jetzt bespöttelten Dichtungen auch wieder anerkannt werden und das Entzücken sich erneuern, mit welchem die Väter unsrer Väter sprachen: ja, Gessners Idyllen sind doch schön!“ Sed ad Virgilii bucolica ut redeam, id quidem iam nemo est qui neget, durum et horridum priscae poesis sermonem in his carminibus primum commutatum esse cum molli cultoque, asperos numeros cum lenibus vel potius cum talibus, qui ipsis sententiis optime responderent; nec desunt, quae commode inventa et tractata sint, quae hominum, morum, rerum varietate delectent suaque suavitate ac lepore animum alliciant. Quare ut Georgicis et Aeneidi, sic his quoque carminibus aeternitatem auguratur Ovidius:

Tityrus ac segetes Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Ipse tamen Virgilius de hac operae suae parte ita modeste loquitur, ut iuvenilem quandam audaciam excuset G. 4, 565 sq.

§. 4. Ad Georgica scribenda poetam et studium ipsius reique iucunditas invitavit, et auctoritas Maecenatis (Ge. 3, 41), et otium pace confirmatum, fortasse etiam neglecta inter bella civilia omninoque pristino honore destituta cultura agrorum Italiae. Rem ipsam, quam hoc carmine persecutus est, si spectas, non hoc agendum est didactico

poetae (si poetae nomen retinere vult, non nauseam creare legentibus), ut omnia complectatur, quaecumque in ea, quam explicaturus est, arte continentur, piaculumque fecisse censeatur, si quam vel minimam partem transierit; debet is summas rerum attingere eaque potissimum ex ceteris seligere, quae maxime admittunt ornatum, alia leviter perstringere, quaedam a poetica dictione abhorrentia omittere. Quadripartita est totius operis distributio, resque monebat ipsa, ut primus locus agrorum, secundus arborum culturae daretur, tertius rei pecuariae, quartus apiariae. Ut autem in deligendis rebus elegantissimo iudicio usus est Virgilius, ita plane divinus est in exornandis. Quod eo maioris fuit ingenii, quo tenuiora atque exiliora sunt pleraque ad rem rusticam pertinentia. Id ipsum cum sentiret Virgilius, ne languescerent studia legentium, hoc instituit, ut praeclaris quibusdam episodiis distingueret hoc carmen eoque fessum legendo animum quasi reficeret. Vultis optima quaeque et splendidissima hic a me percenseri? Nihil non nitet in hoc carmine, omnia sunt summo ingenio digna. Videritis ipsi, num quid in hoc genere perfectius aut esse aut cogitari possit. Longus fui, cum praefabar bucolicis carminibus; quo breviori mihi esse hic licuit; nemo hic melius quam poeta suam ipse causam tuebitur. Sed antequam ad alia progrediamur, restat, de quo dicatur, nodus ad expediendum difficillimus. Exordium libri tertii hoc est „*Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus Pastor ab Amphryso, vos, silvae amnesque Lycaei.*“ Poeta postquam his binis versibus declaravit, de quo scribere sibi proposuerit, repente deflectit ad rem ab eo proposito prorsus abhorrentem: „*Cetera,* inquit, *quae vacuas tenuissent carmina mentes, Omnia iam volgata: quis aut Eurysthea durum, Aut inlaudati nescit Busiridis aras?*“ etc. Quod quare fecisse videatur, haud ineptum fuerit quaerere. Primum autem velim attendas ad duos versus extremos superioris libri:

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia solvere colla,

qui, nisi fallor, ita comparati sunt, ut poetam magis totum opus hic terminare voluisse censeas, quam partem tantum operis. Immensum aequor se confecisse ait tempusque esse finem labori facere. Ita qui scribit, videtur indicare exactum esse infinitum illum, quem susceperit, laborem; nihil iam esse, quod velit addere; confecto negotio otium paratum esse. Id veteres quoque sensisse testis est Servius, qui ad l. II. vs. 541 ita scribit „Plerique volunt ideo eum dixisse hoc loco carmini georgico finem se esse facturum, quod duo sequentes libri pastorales sunt, non georgici;“ quam quidem causam etsi Servius ipse reiicit, repudiatam etiam a Vossio vol. III. p. 461, tamen hoc manet, multos fuisse, qui finem Georgicon illis verbis indicari statuerent. Neque vero intelligitur, quare operam in uno libro haud ita longo consumptam poeta appellet immensam; feremus hoc, si ad duos minimum libros relatum fuerit; sic hic labor comparatus cum mino-

ribus, quae ante in lucem emisit, carminibus recte immensus dici potuit. Ex his consequitur Virgilium principio noluisse ultra primum et secundum librum procedere. Sed his ad finem perductis Maecenas ad alia poetam vocavit, et partem rei rusticae restare admonens et multa in mythis esse, ut labores Herculis, quae Romana poesis nondum attigerit. Sic demum intelligitur, quod praeterea intelligi vix potest, quomodo ea in hoc libro locum invenire potuerint, quae vs. 3—8 (*Cetera - Acer equis*) leguntur. Ergo hoc dicit Virgilius, nolle se materiam carminis a rebus dudum tractatis ducere, sed scribere, quae Graeci poetae intemptata reliquerint. Eius autem generis sunt ea, quae de re pecuaria et apiaria compositurus est. Itaque quae iam sequuntur *temptanda via est* usque ad vs. 45 non, ut quidam faciunt, in quibus Vossius*), ad Aeneidos condendae referes consilium, sed ad propositum primis binis versibus indicatum, quod ipsi poetae multo plus difficultatis, quam libri superiores, habere visum est (*haud mollia iussa* Maecenatis vs. 41 appellat), simul vero ad suam gloriam efficacius esse et illustrius; nam primus Romanorum (consulto enim praetereo Lucilium) in argumento elaborare ausus est a Graecis poetis praetermisso; hinc „intacti saltus" vs. 41; atque haec est illa, quam vs. 9 et 17 sibi promittit, victoria; hanc ab ipsa Graecia sibi, Romano homini, concessum unaque concelebratum iri confidit vs. 19 sq. Sed praeter ea, quae supra memoravimus, Maecenas etiam ut res Caesaris Octaviani carmine extolleret, hortatus erat, id quod ostendunt vss. 46—48, quibus versibus Aeneidem significari vix persuadebitur ei, qui *ardentes Caesaris pugnas* ad tale argumentum, quale in Aeneide persecutus est poeta, trahi posse negaverit. Ita qui loquitur, summam eius carminis ad laudes bellicas Caesaris redituram esse testatur; at in Aeneide, si exceperis, quae universe dicta sunt l. 1, 286 sqq., nihil eo pertinet praeter pugnam Actiacam l. 8, 675 sqq. adumbratam. Verum ut tamen aliquo modo voluntati Maecenatis Caesarisque honori statim satisfaceret, interposuit ea, quae vss. 13—39 comprehenduntur. Sed hic nova suboritur dubitatio, quam obiicit tempus, quo scriptum videatur hoc exordium. Res ab omni parte pensitata non uno tempore omnia haec scripta esse evincit. Illud primum dubitari non potest, quin poeta, cum inchoaret hunc librum, nihil prius sibi faciendum existimaverit, quam ut propositum suum declararet; unde apparet aliquo modo, quando exarati sint versus primus et secundus. Cum hac propositi notatione coniungenda erat, quam hodie appellant, dedicatio libri; quem cum, ut ceteros, poeta Maecenati missurus esset, non licebat, quae ille hortatus erat (qua de re supra diximus) silentio praeterire. Illud quoque supra expositum est, quo vinculo haec particula (*Cetera - Acer equis*) colligata sit cum versibus subsequentibus. Ergo et primos versus 25 et vss. 40—48 uno eodemque tempore scriptos iudicabimus. Contra ipsarum rerum ratio indicat versus 26—39 non

*) Apud Servium eius rei nec vola nec vestigium.

ante annum 724 attexi potuisse. Sed quamvis probabiliter haec, si per se spectaveris, disputata videantur, tamen iure opponetur huic opinioni exordium libri primi Georgicon, quo poeta non solum binos priores libros, sed omnes quattuor complectitur. Paratum est, quod ad haec respondeamus. Cum iam non, ut prius instituerat poeta, duobus libris absolvisset Georgica, sed alteros duos adiecisset, non potuit facere, quin mutato, quod ad illos solos pertineret, exordio horum quoque mentionem faceret, qua in re, ut fit, accidit imprudenti, ut intactam relinqueret, quae et ipsa mutanda erat, clausulam libri secundi.

§. 5. Post Georgica coepit Virgilius, iussus a Caesare Octaviano, ut refert Servius, Aeneidem scribere. Facile credemus Caesarem Virgilio auctorem fuisse, ut carmen epicum componeret, cui rei fidem afferunt, quae legimus G. 3, 46 sqq. „Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas Caesaris etc.“, quamquam ex his verbis hoc tantum recte colligitur, Virgilium morem gerere Caesari eiusque res gestas carmine epico persequi voluisse, Aeneidos condendae consilium tum, cum ista scribebat, nondum videri cepisse. Summa huius poematis est adventus Aeneae cum parva suorum manu in Italiam, multis ille quidem magnisque impedimentis retardatus, et initia rei Romanae ab eodem posita. In quo quis non videt illud admiratione, quam omne carmen epicum excitare propositum habet, dignissimum esse, quod homo ex patria incensa profugus fatis ducentibus per immensa ignotaque maria vectus in alieno solo atque in terra a bellicosissimis hominibus habitata acerrimeque defensa novum regnum condit, idque aliquando omnium, quae umquam exstiterunt, maximum futurum maximeque diuturnum? Descripsit poeta hoc argumentum in duodecim libros. Primo libro Aeneas relicta, quo delatus fuerat, Sicilia petens Italiam foeda tempestate correptus aufertur ad Africae eam partem, qua tum Karthaginem a Didone constitui finxit (si ipse finxit) poeta. Disiecta classe ibi opperiri, donec socios amissos reciperet, Didonisque auxilium ad eam rem implorare statuit. Dido benigne exceptum cum aliis ducibus classis Troianae epulis adhibet et, cum finis esset convivandi, iubet excidium Troiae fugaeque ipsorum fata exponere; id quod fit secundo tertioque libro. Sed Dido, dolo Veneris circumventa, amore Aeneae incenditur speratque illum sibi coniugem futurum; de eo amore funestoque exitu Didonis exponitur l. IV. Aeneas relicta Africa iterum ad Siciliam classem appellit, utitur ibi cum suis hospitio Acestae, Troiani hominis, eoque die, quo superiore anno funus duxerat patri Anchisae, parentat editque ludos funebres. Interim mulieres Troianae, dum solae sedent in litore, pertaesae itineris incendunt classem; perimuntur igne quattuor naves; iam Aeneas, mulieribus, senibus et quidquid invalidorum erat in castris, apud Acestam relictis, cum solo robore iuventutis pergit in Italiam; haec continentur l. V. Liber sextus haec habet: Accedit Aeneas ad eam partem Italiae, ubi posteriore tempore Cumae sunt conditae; Sibylla Cumana deducit eum ad inferos, quo

descendere pater eum iusserat, docetque omnem rationem istorum locorum; addit Anchises, quae illa praeterierat, idemque evolvit fata posterorum Aeneae absolvitque quandam quasi historiam imperii Romani. Ita aucto animo reversus Aeneas classe vehitur Caietam. Lib. VII.: Praetervectus insulam Circes tandem adfertur in Latium. Ibi regnum Laurenti tenebat Latinus, qui destitutus virili prole unicam habebat filiam, Laviniam, regni heredem futuram. Hanc sibi Turnus, iuvenis fortissimus, rex Rutulorum, populi Latini, in matrimonium petebat annuente matre virginis, patre abnuente, quia varia portenta et responsa vatum ipsiusque Fauni, avi Laviniae paterni, qui post mortem pro deo fatidico colebatur, vetuerant eam Latino homini nubere; externo regi reservandam esse. Interea Aeneas, cum certis signis cognosset venisse se eo, quo deorum iussu intendisset, castra fieri ad similitudinem urbis iubet, quam Troiam appellat; tum pacis causa legatos mittit ad Latinum, qui placide acceptos donis instruit Aeneaeque filiam suam in matrimonium promittit. Tum vero exardescit ira Turni ac Rutulorum; ipsi, qui Latino parebant, Latini rustici, infelici casu a Troianis offensi, arma capiunt adversus advenas. Postremo enumerantur copiae Turni cum suis ducibus. Lib. VIII.: Nocturno viso monitus Aeneas opem petit ab Euandro, qui ex Arcadia cum manu Arcadum advectus eo loco, quo postea Roma fuit, parvum regnum condiderat. Facile promittit Euander. Interim Venus impetrat a Vulcano, ut Aeneae in tantum bellum eunti arma faciat; in his inprimis fuit memorabilis clipeus, in quo maximae res a Romanis, ipso inprimis Augusto, gestae mira arte expressae erant. Lib. IX.: Dum abest Aeneas, Turnus accedit cum exercitu ad castra Troianorum; qui cum non procedant ad pugnam, classem conatur incendere; at singulae naves intercedente Cybele mutantur in singulas deas marinas. Nocte subsecuta dum consultant duces in castris relicti, quid agant aut quomodo Aeneam de tanto discrimine certiorem faciant, ultro offert operam suam iuvenis Nisus cum amico Euryalo paene puero; promittunt se beneficio noctis per media Rutulorum castra evasuros ad arcessendum Aeneam. Collaudati a ducibus egrediuntur atque invitante ipsa opportunitate quam plurimos possunt hostes somno sopitos interficiunt. Quod cum bene successisset, incidunt in turmam equitum Latinorum nocturno itinere ad Turnum tendentium, a quibus, et fuga et pugna frustra tentata, interimuntur. Orto proximo die Turnus summa vi adoritur castra. Lib. X.: Vocato deorum concilio altercatio Veneris et Iunonis praeciditur ab Iove ita, ut vetet quemquam deorum alterutri parti in pugna adesse. Rutuli pergunt acerrime oppugnare castra. Interim Aeneas ab Euandro admonitus ad Tarchonem regem Etruscum se contulerat factoque cum eo foedere firmum Etruscorum exercitum mari Tyrrheno subvehebat; huius quoque recensus agitur a poeta. Arcades equites duce Pallante, Euandri filio, terrestri itinere adventant. Iam venitur ad manus. Varia editur pugna. Pallantem rem strenue gerentem interficit Turnus; pugnam ea re prope

inclinatam instaurat Aeneas, clausique castris qui fuerant Troiani eruptione facta urgent hostem. Interim Iuno Turnum, sollicita de eius vita, e pugna subducere decernit; fingit igitur inanem imaginem in similitudinem Aeneae; ea, instante Turno, coniicit se in navem Etruscam; quo cum secutus esset Turnus, abrumpit Iuno retinacula abactumque in altum restituit in patriam. Sustentat aciem interea fortitudine sua Mezentius, exsul Etruscus, ob crudelitatem regno pulsus; sed ab Aenea graviter vulneratus excedit proelio. Tum vero Aeneas fertur in Lausum, filium illius, praestantissimum iuvenem, unum patri solatium relictum; quo interfecto redit in pugnam Mezentius et ipse quoque ab Aenea confoditur. Lib. XI.: Tropaeum statuitur ab Aenea. Funus ducitur Pallanti; factisque induciis utrique suos, qui in pugna ceciderant, sepeliunt. Laurenti ingens pavor; accedunt responsa Diomedis, qui tum rex erat Arporum, in societatem armorum a Latinis vocati, bellum dissuadentia. Contrariis sententiis in concilio procerum certant Drances et Turnus. Sed allato nuntio de Aenea cum instructo exercitu adventante dirimitur consilium et ad arma discurritur. Turnus partitur omnem curam belli cum Camilla, regina Volscorum, fortissima virgine; ipse saltum propinquum insidet Aeneam insidiis excepturus; Camillam in campo hostibus occurrere iubet. Pugnatur acerrime; Camilla cum multa egregia facinora edidisset, dolo Arruntis interficitur. Tum effusa fuga Volsci Rutulique ad urbem feruntur. Ea res excitat etiam Turnum ex faucibus, quas obsederat, monetque, ut urbi succurrat. Sequitur Aeneas. Sed nox intercipit proelium. Lib. XII.: Turnus statuit ita bello finem facere, ut solus cum solo Aenea depugnet. Latinus ea causa sollemni ritu cum Aenea foedus peragit. Quod dum fit, Iuturna Nympha, soror Turni, sumta specie Camertis perturbat omnia, hastam in adversos Arcadas iaculata. Quo facto cum et Arcades et Laurentes procurrissent ad pugnandum, mox omnibus partibus manus conseruntur, ipse Aeneas vulneratur. Tum vero Turnus magnam edit stragem. Interea Aeneas divina ope sanatus quaerit Turnum toto campo; quem ubi non invenit, tum demum oblatum sibi quemque hostium obtruncat. Sed quo rem citius conficiat, ad ipsam urbem Laurentum ducit exercitum. Iam flammae inde relucent trepidusque nuntius venit ad Turnum, obsecrans, ne urbem perire sinat. Tum omni reliqua spe abiecta Turnus se ipse offert Aeneae ad decertandum. Interea Iuppiter maerentem Iunonem ita consolatur, ut genti Latinae cum Troianis commixtae et nomen et sermonem et mores mansuros integros polliceatur, sacra Troianorum sacris Latinorum accessura dicat. Ipso certamine vincitur Turnus et occiditur.

§. 6. Intelligitur vel ex his ita breviter decursis, quanta sit in hoc poemate et ubertas rerum et varietas, quamque apte haec omnia sint inter se coniuncta. Accedit copiosa, omnis generis luminibus distincta, in summo ornatu nusquam tumida, gravis et ad quamque rem accommodata oratio; denique tanta in ipsis versibus componendis ars, ut nihil aut mollius suaviusque aut fortius vehementiusque esse

possit versu Virgiliano. Itaque vel has ob causas non mirabimur valde placuisse Romanis hoc poema. Verum non illud solum, quod modo attigimus, intelligitur ex ea expositione, sed sponte etiam apparet, quanta sit rerum ab Homero tractatarum cum his similitudo. Ac de universa imitatione, quali et ceteri poetae Latini et ipse Virgilius usus sit, supra diximus. In Aeneide autem licet distinguere et necessariam quandam et voluntariam imitationem. Et illam quidem nemo debet esse ita iniquus ut reprehendat, hanc prudentissimus poeta ita videtur instituisse, ut eam certe popularibus suis probaverit. Proposuerat sibi Virgilius quodammodo totam populi Romani historiam perpetuo carmine complecti; nam dum scribit res ac fata Aeneae, scite interposuit variis locis (maxime l. 6, 756—883 et 9, 626—728) ea, quae a summis viris, alio alia aetate, gesta sunt; quae res uti non potuit non maxime grata esse Romanis, ita hanc habebat commoditatem, ut Iuliae gentis, maxime autem ipsius Octaviani gloria ei carmini intexi posset. Nam Italia diu misere vexata ac vastata victo ao. 723 Antonio sedatisque turbis omnibus ea temporum felicitate utebatur, ut Romani iacturam libertatis, quam amplius tueri non possent, aequo animo ferrent atque Octavianum, cui hanc tranquillitatem pacatumque rerum statum deberent, in astra laudibus tollerent et tamquam praesentem in terris deum colerent. Itaque Octavianus ab omnibus poetis, qui tum fuerunt, splendidissime ornatus est. Ubi autem virtus tanti viri populo commendari melius poterat, quam in eo carmine, quod totum ad praedicandam eius populi gloriam spectaret? At dices periculum esse, ne nostris pueris adolescentulisque id carmen legentibus videatur servitus commendari? Nihil est, quod ea causa trepides. Vides enim homines nostri saeculi liberrimos eosque, qui libertate dignissimos se praestiterunt, Anglos, plurimum illud lectitare atque ipsis, quae in eo proposita sunt, honestissimis exemplis alere spiritum illum verae ingenuaeque libertatis. Sed redeamus eo, unde defleximus. Tantam igitur rem cum animo concepisset Virgilius, neminem potuit invenire, cuius persona esset ad tale consilium exsequendum aptior, quam Aeneam, et primum rei Romanae conditorem, et virum iis virtutibus excellentem, quae in Romano homine maxime laudabiles viderentur, et ipsius gentis Iuliae, in quam a Divo Iulio Caesare adscitus erat Octavianus, auctorem. Fuerat autem Aeneas e numero ducum Troianorum adversus Graecos pugnantium; is eversa Troia profugit novamque patriam quaesivit, eam vero ipsam, cum pacis artibus non posset, armis obtinuit. Haec necessario magnam habent cum Homeri carminibus similitudinem, partim cum Iliade, partim cum Odyssea; itaque priores sex libri Aeneidos iure cum Odyssea, posteriores cum Iliade comparantur. Cum autem mores, instituta, genus pugnandi, ceteraque, quae maxime propria illius erant aetatis, ex Homero cognita essent, non potuit non in ea re Romanus poeta totus pendere e Graeco. Nam ut haec apud antiquissimos homines Italiae diversa fuerint (ac puto fuisse diversa), nulli tamen

exstiterant scriptores, qui, qualia fuissent, posteritati proderent; aut si quid ex eo genere ad eam propagatum esset, poterat id tantum Italis hominibus tribui, non Aeneae huiusque sociis. Itaque haec, quae plurima sunt atque maxima, et quaedam alia pertinent ad eam, quam diximus necessariam, imitationem. Alia posita vel sunt vel certe videri possunt in voluntaria. Huc fortasse multi referent crebras deorum intercessiones; sed quamquam Virgilium ea re minus feliciter (praeterquam l. XII.) usum esse concedo, quam Homerum, tamen, cum ea aetate, qua illae res actae sunt, deos saepe suam operam humanis rebus praesentes interponere vulgo crederent ipsiusque etiam Aeneae mater dea esset, non videtur interventu deorum carere potuisse poema Virgilii. Praetereo alia. Catalogum quoque copiarum Turni (l. VII. extr.) ex eo genere esse fortasse erunt qui opinentur; at ea enumeratio etsi simillima est alteri parti libri II. Iliadis, tamen, cum Virgilius primordia rei Romanae, quae maxime coniuncta erant cum prisco statu Latii, hoc carmine explicare statuisset, prope necessaria videri debet. Voluntaria imitatione includes cum alia multa, tum amorem Didonis l. IV., quem conferes cum amore Calypsus et Circes; ludos l. V. factos; descensum ad inferos l. VI.; Aeneae profectionem ad Euandrum l. VIII., qua effectum est, ut Troianorum fortuna in discrimen adduceretur, quemadmodum ira Achillem arcens a pugnando exitialis videbatur Graecis futura; tum arma Aeneae atque in his maxime clipeum operibus quibusdam insignem a Vulcano facta; porro consultationem ducum Troianorum nocturnam l. IX Nisique cum Euryalo commune consilium simile nocturnae excursioni Diomedis atque Ulixis; fortasse etiam Turni multis rebus probatam, antequam cum eo congrederetur Aeneas, fortitudinem; imaginem Aeneae ab Iunone ad Turnum decipiendum effictam l. X., illi similem, qua decepit Diomedem Aeneae instantem Apollo; adde, si placet, altercationem Drancis et Turni l. XI.; denique foedus a Latino atque Aenea ante ineundum certamen singulare factum idemque vulnerato ex insidiis Aenea turbatum l. XII. Praeterea ea imitatio cernitur in multis partibus orationis; quis nescit, ut hoc unum afferam, plurimas comparationes ex Homero translatas? Denique etiam numeri versuum interdum ad similitudinem Homeri sunt compositi. Verum gravissimi erroris culpam sustineat, qui Virgilium unum esse existimet ex iis, quos his verbis ridet Horatius: „O imitatores, servum pecus!“ Nempe multa quidem ille mutuatus est ab Homero, sed ita, ut eadem novo aliquo modo eoque, qui Romanis maxime placere posset, tractaret multumque variaret. Compares velim particulam eorum, quae supra posui, cum Homericis, unde sumpta sunt, ac facile ita esse fatebere. Miramur iure divinam illam simplicitatem Homeri; tamen hanc si aemulari planeque exprimere voluisset Virgilius, profecto ea, quam abstulit, palma alii acutiori fuisset relinquenda. Quippe mores cum ipsa etiam oratione Homeri quidem tempore iidem fere fuerunt, qui Troicis temporibus; longe autem aliter sentiebant ac loquebantur

Romani eo, quo Virgilius erat, quam illo, quo Aeneas fuit, tempore, i. e. eo, quo ne fuerunt quidem ulli Romani. Mollior delicatiorque ab omni parte cultus Romanorum, urbanitas morum perpolitioque sermonis nihil iam ferebant durum, asperum, horridum; orationis erat ea et copia et elegantia, ut, cum Cicero omnes, qui soluto usi erant sermone, sua praestantia vicisset, non liceret poetae epicum genus tractanti inferiorem esse his virtutibus. Itaque vides Homeri simplicitatem a Virgilio cum ubere et copiosa, eademque et in rebus et in sententiis et in verbis elucente, exornatione commutatam esse atque adeo, si, quod omnes poetae volunt, placere suis vellet, commutari debuisse. Possunt de ea re multa dici; nobis hic satis est quasi digitum ad eam intendisse. Unum hoc adiicio: res quidem, quas attigit Virgilius, magna ex parte sunt alienae ac peregrinae; mens et oratio in toto carmine spirat Romana. Ergo qui id carmen recte leget, sentiet sibi accidere idem, quod accidit T. Livio historiam Romanam scribenti, ut suus sibi animus videatur fieri antiquus, i. e. gravitatis, fidei, constantiae, fortitudinis, pietatis illius antiquae plenus. Ac nescio, an id ipsum egerit Virgilius, ut degeneres Romanos pristinae laudis admoneret ad maiorumque virtutem exsuscitaret revocaretque. Vere enim dici potest hunc poetam esse praeceptorem et quasi speculum virtutum Romanarum, eundemque et ei, qui rempublicam capessere populumque dicendo flectere dandisque consiliis regere, et illi, qui omnino vitam sapienter instituere et cum gravitate ac dignitate degere velit, longe utilissimum.

§. 7. Accedebat alia res, quae Aeneidem Romanis commendaret. Explicantur enim in hoc carmine antiquissimae res Italiae multorumque origines morum institutorumque, etiam sacrorum atque gentium Romanarum. Haec omnia ad venerabilem illam vetustatem relata non potuerunt non ipsa multo venerabiliora et quasi augustiora videri, idque eo magis, quod videbant Virgilium peritissimum esse Romanae antiquitatis istasque res a vulgari scientia longe remotas studiosissime cognosse magnaque cum fide tradidisse. Perspexit nostro tempore hanc laudem Virgilii optime homo perspicacissimus, B. G. Niebuhr, quo nuper fortasse nemo fuit qui verius eruditiusque iudicaret de hoc poeta (Roem. Gesch. I. p. 218 sp. ed. tert., adde p. 112 not. 317.). Ita enim se res habet: magni homines magnorum hominum praestantiam et facillime vident et agnoscunt libentissime. Res igitur in Aeneide tractatae magna ex parte vetusta et pro vera a Romanis credita fama continebantur; hinc talia, quale *Fama est*, *Prisca fides facto*, *si rite audita recordor*, *Hunc genitum accipimus*, adde 5, 300—302; poetae opera versabatur fere in componendis illis atque exornandis. Dixi: magna ex parte; nam quis credat theatra, naumachias, et quae sunt his similia, iam prisca illa aetate fuisse instituta? Quae sunt qui parum scite a poeta in carmen suum illata dicant. Sed falluntur illi meo quidem iudicio; pertinent enim haec quoque ad illustrandam, quae postea fuit, magnificentiam rerum Ro-

manarum, qua illo tempore homines delectabantur. Denique nihil fere est magnum et memorabile gestum ab hoc populo, quod Virgilius non interposuerit huic carmini iisque, quibus solet omnia, luminibus verborum illuminaverit. Et mirabimur tantopere probatum fuisse Virgilium popularibus suis maximisque, quibus poterant, laudibus celebratum? Quid est igitur, quare idem nobis placeat parum? Immo agite, optimi iuvenes, intuemini libenter magnorum hominum magnique populi virtutes in illustri monumento positas, accensique talibus exemplis, huic tempori inprimis salubribus et necessariis, facite ea, quae et vobis et vestra patria digna sint quaeque ipsa simili praeconio aliquando condecorari mereantur! (Aen. 9, 451 sqq.)

At dicet aliquis, qui principes in Iliade et Aeneide personas inter se contulerit, longe meliorem esse causam Achillis, quam Aeneae; illum insigni iniuria affectum iure iratum fuisse Graecis, post autem occiso, quem aeque ac semet ipsum amasset, amico exarsisse iustissimo propterea que implacabili odio adversus Hectorem, inimicissimum suum; ea ita esse comparata, ut nemo sit qui non probet; contra Aeneam nulla re a quoquam offensum insonti Turno et sponsam et imperium Latii praereptum ire; durum id et exsecrabile videri. At non ita visum est Romanis, cavitque prudentissimus poeta, ne ita videri posset. Cum enim duabus maxime rebus ab initio niteretur res Romana, fortitudine et deorum religione, binique haberentur imperii conditores, Romulus, qui armis primo rem fundasset, et Numa, qui pietate eandem in perpetuum stabilisset, sapientissime fecit Virgilius, ut utriusque partes in uno Aenea coniunctas eumque exemplum omnis Romanae virtutis esse vellet et quasi archetypum. Itaque nulla sua cupiditate incensum, sed deorum voluntate actum facit venire in Italiam. Nam cum Troia consideret in cineres, non illud, quod plerumque fit in tali casu, potissimum Aeneas agendum sibi putavit, ut pretiosissimum quidque secum auferret, sed ut senem parentem deosque patrios flammis eriperet asportaretque. Hanc tantam pietatem dignam iudicarunt dii, quam pro merito colerent, cumque esset in fatis, ut regnum Troianum in Italia renasceretur, iure Aeneae hunc honorem habuerunt, ut Troianos deosque a se servatos illuc deduceret, novum imperium conderet et sua sacra cum sacris indigenarum consociaret. Debitum erat Aeneae Latium, debita etiam, non erepta, Lavinia, etiam ante illi a Latino patre promissa, quam a Turno petitam sciret. Ita apparet, quare non aliquem pedibus celerem, πόδας ὠκύν, aut astutum et πολυμήχανον, aut flavum, ξανθόν, aut his similem maluerit poeta, sed pium potissimum effingere Aeneam. Ac fortasse non aberraverit a vero, qui etiam hoc sibi proposuisse Virgilium statuerit, ut Romanum populum, oblitum iam avitae virtutis, ad pristinam pietatem hoc carmine reduceret; quae res et ipsa non potuit non sapientissimo cuique ex eius popularibus vel maxime probari. Nunc vide, num Achillis Ulixisque personam a Virgilio in Aenea repraesentatam vel ipse malis vel Romani maluisse videantur?

§. 8. Quale igitur quamque egregium, ac prope dixerim divinum, Romanis videri hoc poema debuerit, ita iam manifestum esse arbitror, nihil ut sit, quod addam amplius, nisi hoc: nobis, si ea, qua par est, mente lectitabimus, idem non posse non admirabiliter placere. Itaque facile discedemus in Schilleri nostratis sententiam „Qui suae satisfecerit aetati homo egregius, eum satisfecisse omnium aetatum posteritati.“

Sed licet immortalem laudem consecuta sit Aeneis, tamen, ut iam supra indicatum est, imperfectam Virgilius reliquit; quod si nesciremus aliunde, ex multis semiplenis versibus colligeremus. Praeterea pauca sunt, quae mutaturum fuisse Virgilium suspiceris. Mandavit autem moriens poeta Tuccae et Vario, amicis suis, doctis hominibus, ut, quae vellent, resecarent, nihil ipsi adderent. Demsisse illi dicuntur prooemium quattuor versuum Aeneidi praemissum particulamque libri secundi, vs. 567—588.

Atque haec habui, quae Aeneidi potissimum praefanda ducerem. Exstiterunt autem nuper in Germania multi, qui spretis litteris Graecis Latinisque id unum spectandum censerent, ut patriis domesticisque litteris iuventus nostra erudiretur; sic enim eventurum, ut iam in moribus nostris omnia germana essent, nihil peregrini, nihil adventicii resideret; eas autem aiunt esse nostras litteras, ut antiquarum aliquo quasi subsidio nihil indigeamus. Omitto, quae praeterea contra eam opinionem dici possunt, eaque sunt plurima; unum hoc cogitari velim — non ab illis, quibus difficile est resipiscere, sed ab iis, qui nova bona sic consectantur, ut antiqua non abiiciant —: ita mox futurum esse, ut iis similes evadamus, quibus minime velimus. Nempe quidquid est incorruptae stirpis Germanicae, ita est comparatum, ut semina quaedam habeat omnium earum virtutum, quae maxime elucent in Graecis et Romanis. Quos duces si deseruerimus, ut iubent nostri Bruti atque Coclites, periculum erit, ne optima illa semina tamquam in agro inculto sparsa intereant ipsique propediem ita degeneremus, ut simii antiquorum Germanorum, non posteri esse videamur. Quod si quando tantis exsplendescemus virtutibus, quantas in illis populis admiramur maximas, tum licebit nostris bonis confisos impune negligere illorum litteras, quamquam, cum veteri proverbio similis gaudeat simili, nescio, an tum maiore etiam in honore apud nos futurae sint, quam quo umquam antea fuerunt.

§. 9. Restat, ut paucis dicamus de fontibus, ex quibus Virgilius res in Aeneide relatas derivarit; neque enim, ut iam supra diximus, existimandum est aut omnes aut plerasque ab ipso fictas esse. An vero Homerum suopte ingenio pleraque invenisse opinabere ac non potius sermonibus populi celebrata carmine exornasse? aut tantam apud populares suos auctoritatem adepturum fuisse, si non pro veris crederentur, quae ille prodidit memoriae? Atqui sciebat Virgilius tanto plus gratiae suum carmen habiturum, quo propius ad fidem historicam ac speciem quandam veritatis accederet. Felicior in ea

re fuit Homerus, qui ex copia praesenti et ad usum exposita sumeret, durior condicio Virgilii, cui materia ex variis veterrimorum auctorum monumentis priscaeque famae obscuritate colligenda esset. Plurima autem in Aeneide fit mentio Troicarum rerum et Italicarum. Illas, Troicas, explicanti praeter Homerum praesto fuerunt cyclici poetae (totum orbem, *κύκλον*, earum rerum complexi, quae vel ad causas vel ad priora et ad extrema tempora belli Troiani, vel ad casus eorum pertinebant, qui huic bello interfuerant), ut Arctinus (*Αἰθιοπὶς* et *Ἰλίου πέρσις*), Lesches (*Ἰλιὰς μικρά*), Agias (*Νόστοι*), qui non ita multo post Homerum fuerunt, tum Stesichorus, lyricus poeta (*Ἰλίου πέρσις*), porro etiam unus et alter fortasse e numero logographorum rerumque Sicularum scriptores, denique tragici et Graeci et qui illos expresserunt veteres Romani. (Adiungerem Callisthenis, comitis Alexandri M., bellum Troicum a Cicerone Ep. ad Fam. 5, 12, 2 commemoratum, nec me deterreret, quod idem Cicero Ep. ad Quintum fratrem 2, 13, 4 scribit „Callisthenes vulgare et notum negotium, quemadmodum aliquot Graeci locuti sunt," nisi verisimillimum videretur, quod coniecit Orellius Onomast. Cic. Vol. II. p. 119. Ciceronem scripsisse *Crisaicum*, quo spectat Athenaeus, ab ipso Or. laudatus, 13, 10). Antiquarum rerum Italicarum notitiam Virgilius hausit e Naevii primo bello Punico, Saturniis versibus (⏓ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ – | ⏑́ ⏑ – ⏑ – ⏓) scripto, ex Ennii Annalibus*) omninoque ex antiquissimis historiae Romanae monumentis, inprimis vero ex Catonis Originibus librisque variis multiplici doctrina refertis M. Terentii Varronis. Horum omnium librorum, si discedis ab Homero tragicisque Graecis, admodum paucae hodie supersunt reliquiae; tamen vel hae satis declarant, quantum studii Virgilius posuerit in congerenda ex diffusa lectione materia, qua ad scribendam Aeneidem uteretur. Praeterea quae sexto libro Aeneas vel vidisse vel audisse traditur, ea sunt ex parte a philosophis Graecis sumta. Iam cum vel mera ipsorum poetarum commenta magnam delectationem habere possint, quantum voluptatis Romanos cepisse credibile est ex carmine, quod etsi plurima miraculis similia contineret, tamen omnes prope numeros historicae fidei implere videretur?

§. 10. Ut olim Livii Andronici Odyssea aliique priscorum poetarum Romanorum libri in scholis explicabantur, ita postea Virgiliana carmina, proximisque post Virgilium saeculis multi docti homines exstiterunt, qui ea scriptis suis illustrarent. Sed haec prope omnia interciderunt, ac praeter exiguas quasdam particulas scholiorum Probi

---

*) Hic, homo Graecus, Rudiis in magna Graecia ortus, primus carmini epico Latino hexametrum versum adhibere ausus, iure summus poetarum Romanorum habitus est usque ad Imperatoris Augusti tempora. Tantum autem afuit, ut sperneret antiquiores Romanorum poetas Virgilius, ut non dubitarit, quae ipsâ antiquitatis commendatione placere possent, ex illis decerpta suis carminibus interponere.

Iuniique Philargyri*), quibus Bucolica et Georgica enarrantur, lacerasque ac minutas Aspri, Cornuti aliorumque reliquias ab A. Maio Mediol. 1818 editas, sola restant, quae totum opus Virgilii complectuntur, commentaria Mauri Servii Honorati, qui fuit quarti saeculi grammaticus. Hic multa servavit ab eruditis grammaticis antiquis ad interpretandum Virgilium collata; sed media, quae dicitur, aetate in breve coactus multisque locis exquisitioris doctrinae ornatu spoliatus est.

Rhetores Graeci ad illustranda praecepta sua Homericis versibus multum usi sunt, similiter Romani Virgilianis. Ac Donatus quidem, seposita fere reliqua enarratione, Aeneidem ita interpretatus est, ut omnia ad instituendum oratorem rettulerit. Ex huius quoque opera nonnullum fructum ad hanc editionem redundasse suis locis intelligetur. Et quam utilis ad formandam orationem habitus sit Virgilius, probat Quintilianus, homo integerrimi iudicii, qui inter scriptores Romanos, ex quibus exempla eloquentiae petenda sint, huic poetae primum locum attribuit. Ac profecto insignis ille est et verborum proprietate, elegantia, copia, et sententiarum veritate, varietate, gravitate; pariter egregius in simplici atque in ornato genere orationis; in declarandis vero affectibus animi humani sive tenerioribus sive vehementioribus artifex plane divinus; et quod haec omnia superat (nam in vero oratore plurimi faciemus integritatem animi), uti se omni vitio praebet inimicissimum, sic virtuti omni amicissimum.

Denique, ut etiam iis, qui post literas saeculo XIV renatas in explicandis Virgilii carminibus optime versati sunt, suus honos constet, digni sunt, qui praeter ceteros commemorentur, Cerda Hispanus, Ruaeus Francogallus, tum tres Germani Heynius, Vossius ac, de quo supra praedicavi, Thielius, quorum hominum laudem Vos, qui haec legitis, memoriae vestrae velim habeatis commendatissimam!

---

*) Idem is est, qui Iunilius Flagrius, cum similibus scriptis a C. W. Muellero Bernae et Rudolphipoli 1841 sqq. editus; adde Suringari Historiam criticam scholiastarum Latinor. Lugd. Bat. 1834. part. II. pag. 272 sqq. et meas de Iunio Philargyro commentationes duas, Dresd. 1846 et 1847.

INDEX

verborum aliter, quam fere fit in editionibus Virgilii, scriptorum.

Explicatio notarum quarundam, quibus in Commentariis usus sum:

cf. significat ipsa scriptoris, qui laudatur, verba esse adhibenda ad illustrandum poetam.
v. indicat ea, quae loco ita notato in Commentariis scripsi, esse consulenda.
h. l. hoc loco.
i. e. id est.
i. q. id quod.
l. l. loco laudato.
s. sive.
sc. scilicet.
sq. sequens.
sqq. sequentes.
vs. versus.

E. Ecloga
G. Georgica
A. Aeneis
ubi nulla harum notarum numeris praefixa est, indicatur ea ipsa pars carminum Virgilianorum, quae quoque loco enarratur; itaque nec nota *E* in Eclogis invenitur, nec *G* in Georgicis, nec *A* in Aeneïde.

Catal. Catalecta Virgilii.
[ ] uncis inclusi versus insiticii sunt, quos nolui loco movere, ne numeri versuum semel recepti turbentur.
Singulae * binaeve ** stellulae vel leviorem vel graviorem suspicionem indicant, non videri ea verba, quibus appositae sunt, ab ipso Virgilio adiecta esse.

Qui in Commentariis laudantur antiqui scriptores, fere hi sunt:

Aesch. Aeschylus.
Anth. Anthologia.
Apollon. Apollonius Rhodius.
Appul. Appuleius.
Arat. Aratus.
Auson. Ausonius.
Caes. Caesar.
Callim. Callimachus.
Calp. Calpurnius.
Cat. Catullus.
Cic. Cicero.
Claud. Claudianus.
Col. Columella.
Corn. Nep. Cornelius Nepos.
Curt. Curtius.
Dem. Demosthenes.
Diod. S. Diodorus Siculus.
Dion. Hal. Dionysius Halicarnasseus.
Donat. Donatus, interpres Aeneidos.
Enn. Ennius.
Eurip. Euripides.
Fest. Festus.
Gell. Gellius.
Geop. Γεωπονικά, i. e. Cassiani Bassi Excerpta ex variis libris de re rustica scriptis.
Grat. Gratius Faliscus.
Herod. Herodotus.
Hes. Hesiodus.
Hom. Homerus.
Hor. Horatius.
Inscr. lat. Inscriptiones latinae.
Iust. Iustinus.
Iuv. Iuvenalis.

Lact. Lactantius.
Liv. Livius.
Luc. Lucanus.
Lucr. Lucretius.
Macrob. Macrobius.
Mus. Musaeus.
Nemes. Nemesianus.
Ov. s. *Ovid.* Ovidius.
Pallad. Palladius.
Paus. Pausanias.
Petron. Petronius Arbiter.
Philarg. Philargyrus, interpres Virgilii.
Pind. Pindarus.
Plat. Plato.
Plaut. Plautus.
Plin. N. H. Plinii Naturalis Historia.
Plin. Ep. Plinii Epistolae.
Plut. Plautarchus.
Prob. Probus, interpres Virgilii.
Prop. Propertius.
Quint. Quintilianus.
Sall. Sallustius.
Sen. Seneca.
Serv. Servius, interpres Virgilii.
Sil. Silius Italicus.
Soph. Sophocles.
Stat. Statius.
Suet. Suetonius.
Tac. Tacitus.
Ter. Terentius.
Theocr. Theocritus.
Tib. Tibullus.
Thuc. Thucydides.
Val. Fl. Valerius Flaccus.
Val. Max. Valerius Maximus.
Varr. Varro.
Vellei. Velleius Paterculus.
Xenoph. Xenophon.

Paucissima menda in plagulis corrigendis relicta sunt; inveni haec in Commentariis:

pag. 40. l. 3. *meeum* pro *mecum*.
„ „ l. 5. *scmentem* pro *sementem*.
„ 75. l. 3. (ab infer. margine) *rceidens* pro *recidens*.
„ 102. l. 4. „ „ „ 730 pro 732.
„ 153. l. 13. *terracum* pro *terrarum*.
„ 155. l. 11. *η* excidit e voc. *κήρυκα*.
„ 173. l. 4. delendum est punctum, quod est post stant.
„ 317. l. 11. pro *roseum* lege *russeum*.

Item in Commentariis vocales *a* et *o* vitiatae sunt aliquoties superposita quadam lineola, ut Aen. 4, 155. 158. 7, 477. 509. 512. 517. 9, 433. 10, 87. 172. 309.

Ceterum pag. 51. l. 3. post *servorum* adde: dominis, ut caveant, hoc dictum est. — p. 91. lin. ult. pro *gyri* lege *turbinis*. — p. 183. l. 2. pro *in sacris* lege: Dativus, sacris (mysticis) praestari solita.

P. VIRGILI MARONIS
BUCOLICON
LIBER.

ECLOGA I.

TITYRUS.

MELIBOEUS. TITYRUS.

M. Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:
Nos patriae finis et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.
T. O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.

Ecloga I. Octavianus, Bruto Cassioque anno post u. c. 712 proelio Philippensi victis, cum Romam redisset, insequenti anno XXXIV urbium Italicarum agros, quo fides anno 711 data exsolveretur, suis et Antonii militibus dividere coepit. Milites, cum ager Cremonensis illuc missis non sufficeret, invaserunt etiam Mantuanorum agros, qui proximi erant (9, 28); sic factum est, ut etiam Virgilio praediolum suum eriperetur a Claudio quodam, milite veterano. Sed Virgilius, intercedentibus, ut videtur, cum aliis, tum Asinio Pollione, legato M. Antonii, Galliae Transpadanae praefecto, ab Octaviano impetravit, ut ager suus sibi restitueretur. Scripsit Virgilius hanc Eclogam, qua pium erga Octavianum gratumque animum testificaretur, anno p. u. c. 713 autumni tempore; cf. vs. 81. Virgilius sub Tityri villici persona ita latet, ut pleraque, quae loquitur Tityrus, ipsi Tityro, quaedam hero, Virgilio (cf. vss. 43 sqq.) conveniant*). || 2. *Silvestrem Musam*, carmen pastoritium; per silvas enim saltusque vere, aestate ac per partem autumni greges pascunt Itali; cf. 6, 2. — *meditaris*, μελετᾷς, unde illud ortum videtur. Meditatio est maxime oratorum et poetarum, cerniturque in rerum, quas oratione aut carmine illustrare et ornare volunt, inventione; itaque *meditaris Musam* est: carminibus pangendis operam das. Plin. N. H. 10, 29 „Meditantur aliae (lusciniae) iuniores, versusque, quos imitentur, accipiunt.“ — *avena*, fistula pastoritia, vel praeludente vel intercinente vel succinente; cf. 3, 22. 8, 21. 25. 31. | 3. *dulcia* appellantur omnia, quae mutuae cuiusdam caritatis vinculo obstrictos nos tenent, ut parentes, fratres, liberi, tum terra et domus, ubi nati educatique sumus. | 4. *fugimus*, φεύγομεν, expellimur patria. — *lentus*, ad otium agendum ... A. 12, 237 ... vel fruendum compositus. | 5. Amaryllidem, amicam, carminibus celebrans facis, ut Echo, quae frequens est in silvis, eius nomen referat. | 6. *deus*, Octavianus, a Iulio Caesare, qui anno p. u. c. 712 in numerum τῶν ἡμιθέων relatus *Divus*que appellatus est, filius adoptatus, ipse etiam vivus aliquanto post publice

*) Scriptae sunt Eclogae Virgilii hoc ordine: II. III. V. I. IX. IV. VI. VIII. VII. X. Quae quarta fuit tempore, ordine primam esse voluit Virgilius, quippe honori et meritis Octaviani dedicatam.

Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.
M. Non equidem invideo; miror magis: undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protinus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De caelo tactas memini praedicere quercus,
[Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.
T. Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similis, sic matribus haedos
Noram, sic parvis conponere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
M. Et quae tanta fuit Romam tibi caussa videndi?
T. Libertas; quae sera, tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

pro deo cultus; a Virgilio quidem ob ingens acceptum beneficium ita dictus, v. vs. 44.| 8. *agnus ab ovilibus n.*, petitus ex ovili nostro, s. agnus de grege nostro. Tibull. 2, 1, 57 „a pleno memorabile munus ovili.“ G. 2, 243. 3, 33. A. 1, 160.| 10. *Ludere*, ut *παίζειν*, v. G. 4, 565; calamo sive fistulae quid in ea re negotii fuerit, dictum est ad vs. 2. — *cal. agr.* Theocritus Epigr. 2, 3 sq. ornatum instrumentumque pastoritium paucis complectitur „*τοὺς τρητοὺς δόνακας, τὸ λαγωβόλον, ὀξὺν ἄκοντα, νεβρίδα, τὰν πήραν.*“| 12. *adeo, tantus, talis, tot, τόσος, τοῖος*, graviter pro *nam maxime, nam maximus* cet.; v. A. 5, 404. 7, 447. 12, 831. „Miror potius (*magis*); nam atrocissime milites turbant omnia“; nempe exturbant colonos sedibus suis et possessionibus.| 13. *Protinus, πρόσω, vorwärts.* — *aeger*, animo maesto.| 15. Ut liberi spes parentum, qui genus suum per illos propagatum iri sperant, ita haedi, agni, vituli spes gregis; cf. G. 3, 473. 4, 162. — *silice in nuda*, non substratis herbis aut stramentis; cf. G. 3, 297 sq.| 16. *laeva*, tarda, stupida.| 17. quercus fulmine icta exsilium portendere (praedicere) credita est.| 18. cf. 9, 15.| 19. *Sed tamen* eam hic vim habet, ut, postquam ad alia deflexit oratio, redeatur ad supra dicta vs. 6. — *da*, dic; ut *accipe* i. q. audi.| 21. *nostrae*, Mantuae.| 22. *depellere* breviter pro: depulsos a lacte sive ab ubere materno vel agere vel portare, cf. 7, 15. G. 3, 187.| 28. Libertas a domino, qui tum Romae erat, impetranda, quae sera quidem venit, sed venit tamen. — *inertem*, quia sibi cura peculii, quo uteretur ad libertatem a domino redimendam, non fuerat; vs. 32 sq.| 33. *peculi*, peculii; illa Genitivi forma nominum substantivorum in ..*ius* et ..*ium* desinentium sola usitata est Virgilio; praeterea ubique apud

Quamvis multa meis exiret victima saeptis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
Non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.
M. Mirabar, quid maesta deos, Amarylli, vocares,
Cui pendere sua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.
T. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quot annis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros.
M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt!
Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta gravis temptabunt pabula fetas,
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic, inter flumina nota
Et fontis sacros, frigus captabis opacum!
Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite, saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,

eundem *di*, *dis*, *idem*, *isdem* pro *dii* s. *dei*, *diis*, *iidem*, *iisdem*. — Ceterum servis, qui sint frugi parcique, minus sexennio opus esse ait Cic. Phil. 8, 11, quo pretium pro libertate ex peculio solvere possint. | 35 sq. Comice urbi imputat Tityrus, quod suae stultitiae imputare debebat, quasi illa fructu suo eum fraudaverit, pro optimis rebus, quas parvo pretio emtas accepit, pessimas, ad luxum Galateae pertinentes, easdemque magno pretio venditas reddiderit atque sic ingratam se ei praebuerit. | 39. Iam intelligo, cur deos invocaverit Amaryllis: Tityrus hinc aberat. — *aberāt* 3, 97. 7, 23. G. 2, 211. A. 1, 308 et saepius. — *Ipsae cet.* pinus etiam fontesque te desiderabant et quasi vocabant; transfertur enim saepe, maxime a poetis, qui hominum esse solet sensus, ad loca, arbores *cet.*; cf. 5, 21, 27 sqq. 62 sqq. 9, 29. 10, 13 sqq. item in Aeneide 7, 759 sq. 8, 91 sq. Hom. Il. 4, 126, tum Cic. pro Sext. 60. de Fin. 5, 2, 4. | 42. *tam praes. div.*, qui me meaque aeque tueri possent; quippe qui praesens est, paratissimus est ad iuvandum; cf. G. 1, 10. | 43. v. vs. 6. | 44. *Bis s. dies*, puta Kalendis vel etiam Nonis aut Idibus singulorum mensium. Colit Tityrus Octavianum ut Larem domesticum, cui menstrua sacra fieri solebant. | 45. *primus*, ille primus me liberavit ea, qua dudum angebar, cura, ne agrum hunc amitterem. | 46. *submittere*, tritum rustico sermone verbum, alere ad supplendum propagandumque gregem. | 47. *maneb.*, erunt tua, ut antea fuerunt. | 49. *limoso*, qui in solo limoso nasci solet. — Ceterum ostendit poeta per alienum hominem Octaviano animum suum paucis contentum; simul intelligitur non ita multum aviditati militum praereptum esse. Neque vero offendet te hyperbole, quae est in voce *omnia*. | 50 sq.: Non tu exsulans a paterno rure gregis tui perniciem videbis. Non afferent morbos (*temptabunt*) aegris (*graves*) e partu matribus (*fetas*), tuis ovibus, insueta pabula, ut meis capellis, cf. vss. 13 sqq., quae ex alio in alium locum actae semper mutant papula, quod perniciosum est. | 53 sq. Hic in tuo rure ad vitandum calorem aestivum captabis auram frigidam in umbra arborum ad fontes rivosque satarum. — *sacros*, a Nymphis habitatos. — *nota*, ad quae, ut antea, venire soles, dum nos exsulatum imus. | 54—56. Hinc, a vicino limite, saepes salignea, quae semper

Saepe levi somnum suadebit inire susurro;
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.
T. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces,
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore voltus.
M. At nos hinc alii sitientis ibimus Afros;
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En umquam patrios longo post tempore finis
Pauperis et tuguri congestum caespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?

Hyblaeis apibus florem depasta (est), saepe tibi levi (apum) susurro suadebit somnum inire. Verba *a vicino limite* per appositionem adiecta sunt particulae *hinc;* cf. 3, 12. A. 1, 235. 2, 18. 3, 616. 6, 305. 7, 209. 12, 273; sunt eadem verba non suo loco posita; neque infrequens talis traiectio apud poetas, cf. 9, 3. G. 2, 227. A. 8, 168, negligentiori pastoris sermoni pulchre conveniens. (Alii iungunt: *saepes a vic. lim.*, i. e. quae est a parte vicini limitis.) — *semper florem depasta,* v. 3, 106; quae quoties novis floribus se induit, statim depasci solet ab apibus, ἀεὶ νεμομένη. — *Hyblaeis*, epitheton ab Hybla ductum, monte Siciliae, qui apibus mel egregium facientibus abundabat. Sic praestantia rei saepe eiusmodi epithetis significatur, ut 10, 59. G. 1, 228. 3, 343. A. 7, 816. 11, 773; alibi quandam doctrinae speciem captant poetae Romani e talibus epithetis, ut 5, 27. 9, 13. 30. G. 3, 12. A. 11, 580. — *somnum suad. inire*, susurrus apum ad somnum te invitabit.| 57. frondator stringit frondes arborum maritatarum, ne vites obumbrentur. — *ad auras*: ut tantum aurae eum audiant, quia solus est, cf. 2, 4 sq.| 58. *cura*, apud poetas saepe id, quod cum quadam sollicitudine amamus.| 59. *gemere*, turturum et columbarum proprium. — *aeria*, perpetuum arborum epitheton, altitudinem indicans.| 60 sq. Ante cervi avium, pisces terrestrium animalium induent naturam. — *levis* perpetuum volantium epitheton. — *nudos*, non amplius undis tectos.| 62 sq. Parthi pererratis Germaniae finibus in Galliam venient, Germani pererratis Parthorum finibus ad Tigrim.| 64. *illius*, Octaviani.| 65. *Afros*, ad Afros.| 66. *Pars ... et ... Et*, i. q. alii ... alii ... alii, v. A. 1, 701. 7, 626. (Alii legunt *rap. cretae ven. O.*, ut Oaxes idem sit, qui alias Oxus dicitur, flumen limosum Bactrianos a Sogdianis dividens, *cretae* autem pendeat ex *rapidum,* qui cretam secum rapiat, cretosus.)| 67. *toto divisos orbe:* orbem terrarum ambit Oceanus; Britannia autem sita est ultra Oceanum. Senec. Consol. ad Marc. c. 14 „*Britanniam* peragravit Caesar, nec felicitatem suam *Oceano* continere potuit.“ Eleg. ad Messal. 54 „Vincere et Oceani finibus ulterius.“ add. Tibull. 4, 1, 147 sqq. Fuit autem provisum aliquod perfugium transmarinum veteribus istorum agrorum possessoribus ab Octaviano, quo aveherentur, Africa scilicet aliaeque remotae regiones, Dyrrhachium in Illyrico et Philippos in Thessalia nominat Dio.| 68. Ut hic, ita 8, 7 *en* coniungitur cum interrogatione vehemens desiderium exprimente.| 69. *tuguri*, v. vs. 33.| 70. *Post* sc. *longo tempore*, quod repetes ex vs. 68; cf. G. 2, 259, 261. — fietne aliquando, ut revisam agros meos, mirabundus, si rarae in illis, qui olim fertilissimi erant, aristae aliquot oculis occurrent? Negligebatur ab his militibus agrorum cultura, ut ante a Sullanis colonis „quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil relicui fecerant.“

Impius haec tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes? en, quo discordia civis
Produxit miseros! en, quis consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.
T. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles et pressi copia lactis;
Et iam summa procul villarum culmina fumant
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ECLOGA II.

ALEXIS.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini, nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Adsidue veniebat. Ibi haec incondita solus

Sall. Cat. 28.| 71. *Impius: pii* sunt agricolae, pacis ac iustitiae amantes nec quemquam laedentes; *impii* milites, quibus vis ac ferrum pro lege est; quare „Mars impius“ G. 1, 511.| 72. *Barbarus*, Galli aliique, qui in exercitu Romanorum erant.| 73. *quis*, quibus.| 74. Ironice haec dicta: Quid iuvat nunc insevisse! — *ordine*, in quincuncem; cf. G. 2, 277.| 76. *viridi*, cuius ostio frondes arboris vel fruticis alicuius imminent, ut 5, 7 et 9, 41.| 80 sqq. His verbis Tityrus abeuntem Meliboeum prosequitur.| 81. *Fr. s. viridi*, Theocr. 7, 132 „*ἔν τε βαθείαις ἁδείας σχίνοιο χαμευνίσιν ἐκλίνθημες ἔν τε νεοτμάτοισι γεγαθότες οἰναρέοισιν*“ et ibid. vs. 67 sq.| 82. *Molles*, dulces; *mollissima vina* G. 1, 341. — *lac pressum*, caseus, qui, ut solidus fiat, ponderibus premitur.| 83. Fumant villae, in quibus paratur coena.

Ecloga II. Haec Ecloga tempore prima est omnium, quas scripsit Virgilius, facta a. p. u. c. 712 (fortasse iam a. 709). Viderat poeta puerum quendam, Alexandrum nomine, apud Asinium Pollionem (vid. quae Ecl. I. praefati sumus) pocula ministrantem, eumque eo, quo Socrates, Plato aliique formosos pueros, more amare coepit. Is est, qui hoc carmine celebratur, Alexis; ipse Virgilius Corydonis pastoris nomen sibi, Iollae Asinio induit. Pollio, hoc carmine delectatus, donavit Virgilio Alexandrum, qui deinde, ab illo doctrina excultus, grammaticus factus est. Multa in hoc carmen ex Theocrito transtulit poeta, quae suis quaeque locis indicata velim diligenter cum Theocriteis comparentur a legentibus. || 1. *ardere aliquem*, ardenter amare; Propert. 1, 13, 23: *amor Herculis flagrans Heben.*| 2. *nec, quid sp., habebat*, nulla spes videbatur esse; legitur etiam *quod*, i. e. nulla spes erat. — Hoc unum (*Tantum*) ei reliquum erat, ut silvis ac montibus quereretur se ab Alexi spretum. — *inter* cum verbis motum indicantibus iunctum spectat ad plures vel homines, vel res, quas inter medias quis venit; cf. A. 5, 618. 10, 710. — *umbrosa cacumina fagos*, cf. 9, 9.| 4. Theocr. 11, 17

Montibus et silvis studio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentis.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristis Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori!
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans;
Mille meae Siculis errant in montibus agnae;
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
Iudice te metuam; si numquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura

et 18. — *incondita*, inornata. | 5. cf. 10, 32 et vid. 1, 39. — *iactabat*, voces ore emissae iaci, iactari dicuntur; sed v. A. 1, 102. | 7. Theocr. 3, 9. | 8. *umbr. et fr.*, frigus umbrarum; cf. G. 3, 331 sqq. | 9. Theocr. 7, 22. | 10 sq. Thest. contundit in mortario acres herbas, moretum, ut videtur, effectura. | 12. cano eo diei tempore, quo, quiescentibus ceteris animalibus, solae cicadae canunt. — *tua d. v. l.*, dum persequor vestigia, qua incessisti dominum huc comitatus. | 15. *nonne M.?* sc. *ferre*, cuius notio inest in praegresso *pati*. | 16. *niger* vel a natura, vel a sole, cf. 10, 41. | 17. *ne crede col.*, ne confide candori tuo. | 18. *cadunt*, decidunt et iacent neglecta. *leguntur*, placent et carpuntur. Spectant haec ad vs. 16. | 20—24. Theocr. 11, 34—38. | 21. Rem in Sicilia agi, pastorum carminibus celebrata, fingit Virgilius. | 24. Amphion Thebanus, a fonte Boeotiae Dirce appellatus Dircaeus, puer recens natus in confiniis Boeotiae et Atticae, quae Acte antiquitus vocabatur, cum fratre Zetho expositus est et a pastore educatus. Totus versus, ut multi similes, qui hiatum habent et vocabulo quattuor syllabarum clauduntur, ad Graecam rationem conformatus est: *Ἀμφίων Διρκαῖος ἐν Ἀκταίῳ Ἀρακύνθῳ*. cf. A. 3, 74 et v. 6, 53. | 25. Theocr. 6, 34 sqq. | 26. *plac. vent. mare*, ventis (placidis) stratum, cf. A. 3, 69. 5, 763 „placidi straverunt aequora venti." Hor. Od. 1, 3, 15 „Quo (*Noto*) non arbiter Hadriae maior, tollere (quando vehemens est) seu (quando placidus) ponere vult freta." Callistr. Ic. 14. p. 906 „*ὁ ζέφυρος* (placidus ventus) *τὴν θάλασσαν κατευνάζει*." Anth. Gr. T. 2. p. 272. 24, 4 „*κῦμα θηλύνει πρηΰγελως Ζέφυρος*." Itaque Soph. Ai. 674 scripsit „*λείων* (non *δεινῶν*) *ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον*." — Audeam cum Daphnide, formosissimo Siciliae pastore, certare de pulchritudine. | 28. Sententiae ita procedunt: O libeat tantum tibi mecum ruri degere; multa est ibi ac varia iucunditas: cantus pastoralis vs. 31—39, munera ex venatu vs. 40—44, flores ac poma vs. 46—55. — *sordida*, quae tu, quippe cultu urbanae munditiae

Atque humilis habitare casas et figere cervos
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere pluris
Instituit; Pan curat ovis oviumque magistros.
Nec te paeniteat calamo trivisse labellum:
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis: tibi candida Nais,
Pallentis violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;

carentia, meras sordes esse putas.| 29. Venationem non alienam esse a vita pastoritia discitur etiam ex 3, 12 et 75. imprimis ex G. 3, 404 sqq. — *figere* sagitta A. 4, 69 sq.| 30. *comp. hibisco*, ad hibiscum; satis frequens hic Dativi usus apud poetas; sic *rivo iace* pro *in rivum* 8, 101. adde A. 2, 276. 10, 683. *Huic* A. 7, 346, in hanc; etiam *Ibat bello* 7, 761. *invitat solio* 7, 178. *fusum labris* 12, 417. *πίπτειν πέδῳ* Soph. El. 747 et v. G. 2, 206.| 31. v. 1, 2.| 32. Pan inventor syringis; Ovid. Met. 1, 689—712.| 33. *ov. magistros;* cf. 3, 101. Tibull. 2, 5. 35. Cic. pr. Planc. 25 „sin emimus, 'quem vilicum imponeremus, quem pecori praeficeremus."| 34. *paeniteat*, parum tibi videatur. — *trivisse lab.*, quia movetur calamus ad labra canentis.| 35. *quid non?* i. e. omnia.| 36. syrinx, cf. Ovid. Met. 1, 711 sq. — *cicutis*, cf. 5, 85.| 37. *Damoetas*, ut *Amyntas*, pastoris nomen.| 38. *secundum*, canendi arte mihi proximum; cf. 5, 48 sq. Horat. Sat. 2, 3. 193 „Aiax heros ab Achille secundus."| 40. Theocr. 11, 40 sq. 3, 34 sqq. Ovid. Met. 13, 834 sqq. Commendatur donum ipso periculo, quod C. subierat, dum capreas has silvestres cubili suo detrahit in valle rupibus clausa adituque difficillima.| 41. *albo*, maculis albis, quas post sextum fere mensem amittunt.| 42. *die*, quotidie; 3, 34.| 44. Theocr. 3, 36.| 45 sqq. Theocr. 11, 56 sq. Haec omnia ruri nascuntur; diversis quidem temporibus, non simul cuncta. — Flores coronaeque minime contemnenda dona visa veteribus, qui illis in convivio, in re sacra, in victoria redimiebantur; iisdem dei ornabantur.| 47. *pallentes*, flavi, ut videtur, coloris; Ovid. Met. 11, 110 „saxum quoque *palluit auro*."| 50. *pingit*, variat, distinguit. — *mollia*, tenera; 5, 38. 6, 53.| 51. mala cydonia, *Quitten;* Anthol. Lat. Burm. T. 1. l. 3. Ep. 211, 3 „velleribus hirsuta cydonia canis." Calpurn. Ecl. 2, 90 sq. „notavi Cerea sub tenui lucere cydonia lana."| 53. Plin. Nat. Hist. 15, 13 „Sunt nigra pruna, ac laudatiora *cerina*." Ovid.

Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positae quoniam suavis miscetis odores.
Rusticus es, Corydon: nec munera curat Alexis,
Nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
Heu, heu, quid volui misero mihi! floribus austrum
Perditus et liquidis inmisi fontibus apros.
Quem fugis, ah, demens? habitarunt di quoque silvas
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci
Et sol crescentis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
Ah, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

Met. 13, 817 sq. — Hiatus excusatur interpunctione, ut A. 1, 405. 5, 235, extremo loco et A. 12, 648 etiam arsi. — Hoc quoque pomum gratum tibi erit. | 54. *proxima*, quae in calatho proxima laureis frondibus ponetur; cf. vs. sq. | 55. Plin. N. H. 21, 2, 3 „Postea variari coeptum mixtura versicolori florum, quae invicem odores coloresque accenderet.“ | 56. Theocr. 20, 3. — Increpat stultitiam suam, qui ruri natus et rei rusticae deditus Alexim ex urbe ad se pellicere studeat; cf. vs. 60 sq. | 57. *concedat*, cedat donorum amplitudine. | 58 sq. Stultitiae accusatio sub hac imagine latet; stulte fecit Corydon, qui, cum videret numquam se voti compotem futurum, animi sui tranquillitatem dementi huius pueri amore perverterit cum magno suarum rerum detrimento; cf. vs. 70. — auster in Italia hominibus, arboribus floribusque damnosus; quare qui hortos instituebant, curabant, quantum fieri posset, ut ab austro tuti essent; — fontes quoque arcendarum ferarum pecudumque causa saepiebantur. — *Perditus*, misere s. perdite, i. e. vehementissime, amans; 8, 88. | 60. Theocr. 20, 33. Tibull. 2, 3, 11. — Paris inter pastores adolevit. | 61 sq. Sine Palladem suas arces habitare, tu mecum silvas et vitam rusticam ama. — Minerva conditrix praesesque urbium, unde *πολιάς*, *πολιοῦχος*, *ἀκραία* dicta. | 63. Theocr. 10, 30 sq. — *sequitur*, potiri studet. — *lupus ipse*, *λύκος δ' αὖ*. distinguit *ipse* alterum ab altero; cf. 1, 39. | 65. *trahit*, allicit et tenet. | 66. aratra, antiquo tempore rotis carentia, iugo domum referunt, *suspensa*, ita sublata, ut solum non tangant. Significatur tempus vespertinum, *βουλυτός*. | 68. Theocr. 2, 40 et 7, 56. Opera diurna cessant sole iam decedente, solus amor meus non residit. | 69 sqq. Theocr. 11, 72 sqq. | 70. Amori indulgens curam operis rustici neglexerat. Arbores, ulmi imprimis, maritantur in Italia vitibus; et hae et illae certis temporibus putabantur, vites quidem ita maxime, ut inutilia, vetera, contorta resecarentur, ulmi vero sic, ut commoda tabulata, solem auramque facile admittentia, praeberent vitibus. | 71. Junge *Quin potius;* habent haec vim admonendi. — *aliquid saltem*, quantumvis exiguum. *aliquid* sc. eorum; sic A. 11, 81 *manus, quos*, ib. 172 *tropaea, quos*, i. e. manus, tropaea *eorum*, quos. adde A. 4, 597 et v. 9, 174. — *quorum indiget usus*, quae opus sunt; *usus*, *χρεία*, *Bedürfniss*, Tacit. Annal. 1, 32 „si qua alia praesens *usus* indixerat.“ | 72. ut corbes, qualos, G. 2, 241, etc.

ECLOGA III.

PALAEMON.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

M. Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
D. Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o semper, ovis, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus ovis custos bis mulget in hora;
Et sucus pecori et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista viris tamen obiicienda memento.
Novimus, et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo — sed faciles Nymphae risere — sacello.
M. Tum, credo, cum me arbustum videre Miconis
Atque mala vitis incidere falce novellas.
D. Aut hic ad veteris fagos cum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
Et, cum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
M. Quid domini faciant, audent cum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem: Quo nunc se proripit ille?

Ecloga III. Scripta est haec Ecloga sub aestatem anni p. u. c. 712; composita ad similitudinem Theocr. 4 et 5. Certant Menalcas et Damoetas, more Arcadicorum et Siculorum pastorum, de praestantia facultatis poeticae, arbitro Palaemone constituto. ‖ 1 sq. Theocr. 4, 1 sq. *cuium* antique; retinebatur *cuius*, ... *a*, ... *um* in quibusdam formulis iuris Romani, aliquamdiu etiam in familiari, et diutius fortasse in rustico sermone. | 3. *ipse*, dominus Aegon. | 5. *alienus*, ut mercenarius. — id ille turpis lucelli causa facere dicitur. | 6. v. 10, 13. — *Et ... subducitur*, quo fit, ut subducatur. | 7. *viris tamen*, qui tamen vir sum (cf. Sueton. Vespas. c. 13.), non, qualis tu es, cinaedus. — *viris:* Pluralis Nominum saepe eum denotat, qui est e numero vel in condicione eorum, qui appellantur eo nomine; cf. A. 3, 488. 7, 359. 12, 799. 876. 947. | 8. *qui te, et quo sacello:* reticetur turpe aliquod verbum, ut apud Theocr. 1, 105. Terent. Heautont. 5, 4, 18 sq. „Ten' mi per fallacias adducere ante oculos —? pudet Dicere hac praesente verbum turpe." adde 5, 1, 40. Salax genus est hircorum; quapropter dicuntur turpitudinem istam oculis *transversa tuentibus*, i. e. obliquis s. transversis, adspicere stimulati scilicet libidine et invidia. | 9. *faciles*, indulgentes, cum alii dii graviores ulturi fuissent id sacrilegium. — *sacello* Nympharum scilicet. | 10 sq. Noto ironiae genere de se praedicat flagitium alterius. — Arbustum hic sunt arbores vitibus maritatae; solebant autem vites et arbores aetate pares iungi; itaque ille novellas et arbores et vites laesit. — *videre* ii scilicet, qui erant in vicinia. — *mala f. inc.*, per malitiam falce inc. | 12. „Aut tum, cum fregisti" cet. | 13. *calamos*, sagittas; Hor. Od. 1, 15, 17. — *perverse*, maligne. | 14. *donata* a me. | 15. cf. 7, 26. | 16. Cum servi alienos tam audacter compilant, quomodo domini, fidei illorum sua committentes, furta eorum cavere poterunt? |

Tityre, coge pecus: tu post carecta latebas.
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.
M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam — ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus —
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca;
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius, —
Insanire libet quoniam tibi — pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, et — quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,

20. Tityrus caprarius Damonis. — *cogere pecus*, dispersum ac vagum compellere in unum locum. | 21. *redderet* (Damon) caprum: daret debitum mihi victori. | 22. cf. 1, 2. | 24. *negabat*, quam ob causam? | 25. *illum?* sc. vicisse te ais. | 26. in triviis indocti et rudes apud ignobilem plebeculam canere solebant. (Aliter Servius. In triviis enim imagines Hecates erant positae, Hecataea, quae dea vel augere greges vel minuere credebatur. „Consuetudo fuerat“, ait ille, „ut per trivia et quadrivia ulularent et flebile quiddam in honorem Dianae [sive Proserpinae sive Hecates] canerent rustici ad reddendam Cereris imitationem, quae raptam Proserpinam in triviis clamore requirebat.“) | 27. *disperdere* significantius quam *canere;* miserum enim erat carmen. | 29. *vitula*, iuvenca; cf. G. 4, 299. | 30. cf. G. 3, 176—78. | 31. *Depono*, pignus pono, quod auferas, si me viceris. | 32. *tecum*, i. e. uti tu pignus de grege ponis; cf. G. 1, 41. 2, 8. A. 1, 675. | 33. *pater*, sc. iniustus, quod ex eo, quod sequitur *iniusta*, repetes; nempe filio peccanti videtur iniustus, qui tantum severus est, cf. Terent. 1, 2, 30 sqq. | 34. *bis*, mane, cum educitur, et vesperi, cum redit pecus in stabula, — *die*, v. 2, 42. | 35. *id quod*, crebrum in parenthesi. | 36. *pocula* duo, ut vs. 44; et solebant paria poculorum haberi. | 37. Alcimedon nomen artificis clari, sed praeterea ignoti; similiter pastor ap. Theocr. 5, 105 crateram a Praxitele factam se habere iactat. Cernimus in ea re vel credulitatem quandam vel comicam vanitatem hominum in tenuissima fortuna viventium; nam ne forte putemus esse has imitationes nobilium artificiorum, vetat vs. 44. | 38. torno res rotundantur; itaque tornus hoc loco i. q. caelum vel scalprum. — in superiore horum poculorum parte sive ora addita s. exsculpta erat vitis, quae explicabat se supra hederam, a qua diffusi corymbi pendebant. — *facili t.* docta et perita manu tractato. | 39. *hed. pallente*, diversum hoc genus a nigra. | 40 sq. Conon Samius clarus fuit mathematicus et astronomus tertio ante Chr. saeculo. — *alter*, Eudoxus Cnidius, Platonis auditor, summus astronomus, cuius Phaenomena agricolarum usibus per Italiam inserviebant, significari videtur. Colum. 9, 14, 12 „in hac ruris disciplina sequor Eudoxi et Metonis antiquorumque fastos astrologorum.“ — *radius* geometrarum, hic astronomi, virga est, qua figuras

Tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.
M. Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
Audiat haec tantum — vel qui venit, ecce, Palaemon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
D. Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla,
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
Sensibus haec imis, res est non parva, reponas.
P. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos;
Nunc frondent silvae; nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camenae.
D. Ab Iove principium Musae; Iovis omnia plena;
Ille colit terras; illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.

in pulvere delineabant. — *orbem* caelestem. | 42. ita, notato siderum ortu et occasu, definierat tempus, quando metendum, quando arandum esset. — *curvus*, curvato corpore incumbens aratro, et sic ipso corporis pondere vomerem terrae altius imprimens. | 45. *molli*, flexili, ut 2, 72. | 46. *sequentes*, ad cantum eius venientes; Hor. Od. 1, 12, 7 sqq. | 48. *ad*, usitatum in comparando. „Tuum pignus cum meo comparatum leve est“ Quod iam Men. vs. sq. ita interpretatur, quasi subterfugere Damoetas certamen velit. | 49. *Numquam*, gravius simplici negatione; cf. A. 2, 670. — *veniam, q. v.:* declarant haec promptum ad quidvis audendum animum; elatusque certa victoriae spe se quoque vitulae pignore certaturum significat; vs. 32 et 109. | 50. *Aud. h. t.* — volebat subiicere nomen pastoris alicuius, qui arbiter esset certaminis, cum circumspicienti se offert Palaemon. | 52. Theocr. 5, 78 „*Εἶα λέγ', εἴ τι λέγεις.*“ | 53. nec tuum, nec cuiusquam certamen fugio. | 54. Adtendas acerrime ad certamen nostrum. — *res e. n. parva;* spectant haec ad magnum victoriae praemium, vitulam. | 56. Bion. Idyll. 6, 17. | 58. Theocr. 9, 1 sq. | 59. *δι' ἀμοιβαίων* Theocr. 8, 61. — *amant a. C.*, Hom. Il. 1, 604. | 60. Theocr. 17, 1. A laudibus Iovis carminum initium facere, sollemne erat antiquioribus. — *Iovis o. p.* cf. G. 4, 220 sqq. Aratus Phaenom. 2 sqq. „*μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ θάλασσα Καὶ λιμένες.*“ | 61. Iovi grati acceptique sunt ruricolae, pastores pastorumque carmina. | 62. Modestius respondet Men., cum Dam. superbius iactasset Iovi placere sua carmina. cf. Theocr. 5, 80—83. eadem est sententiarum iunctura ap. Theocr. etiam 4, 9 sq. | 63. v. 2, 24. — *sua*, quae Phoebus ipse sua esse voluit; cf. Ovid. Met. 1, 557 sqq. et 10, 162 sqq. — Sequuntur quina carmina amatoria, 64—83, quae non ad ipsos eorumque amores referri debent, sed ficta sunt ab ipsis, aut ab aliis audita. | 64. Theocr. 5, 88. Mala Veneri sacra; quare malo petere, mala mittere, amantium est. | 65. *Et f. ad s.*, amantium est etiam delitescere; Plaut. Rud. 2, 5, 9 „Amat

M. At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aeriae quo congessere palumbes.
M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.
D. O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divom referatis ad auris!
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
D. Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit,
Et Longum, formose, vale, vale, inquit, Iolla.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
M. Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;

hercle me, ut ego opinor: delituit mala." | 66. 10, 38. | 67. *Delia*, nomen amicae, quae saepe ad pastorem suum veniebat. | 68. *Veneri*, puellae amatae, Galateae; ut *amor*, is, quem amamus. | 69. *Ipse*, mea manu, puta, incidens signum aliquod in arbore. — *aeriae*, in alto nidificantes; v. 1, 59. — *congessere*, nidum. | 70. *puero*, Amyntae. | 71. Theocr. 3, 10. — *misi*, tuli et donavi, cf. 9, 6. Terent. Phorm. 1, 1, 16, ubi Donatus „*mittere* proprie de muneribus," item πέμπειν. — *altera*, sc. decem. | 73. Particulam saltem aliquam ex illis blande dictis promissisque referatis ad aures deorum, ut hi testes sint et Galateam in fide contineant. | 74. *ipse* rem per se spectatam denotat: scio equidem, si animum tuum solum per se specto, amari me a te; sed si fructum amoris specto, non eum inde capio, quem velim; cupit enim semper una esse cum illo. | 75. v. 2, 29. Ad retia maneo, ad quae compellis apros. | 77. Significatur sacrum ambarvale; v. 5, 67. 74. — *faciam vitula*, vitulam sacrificabo; Plaut. Stich. 1, 3, 96 „*quot agnis fecerat?*" plene Livius in carmine Marcii vatis et in senatus consulto 25, 12 „Graeco ritu hostiis sacra faciant" et „sacra facerent Apollini bove aurato" cet. Festus grammaticus: „Ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis, qui *pro frugibus faciunt*." Ceterum dicta haec sunt cum irrisione; die enim natali indulgebant genio atque amoribus, in sacris autem deorum, ad quae Iollam invitat, omnia debebant esse casta. | 78 sq. ita illa discessum meum aegre tulit, ut potius Iollae valedixerit, me secutura. — *longum vale*, in longum vel sempiternum vale. — formosum appellat cum quadam cavillatione. — *valĕ inq.* cf. 2, 65. 6, 44. G. 1, 281. A. 3, 211 cet. | 80. cf. Theocr. 8, 57 sqq. — *Triste lupus*, Graecismus; Hom. Il. 2, 204. cf. 7, 22. A. 4, 569. | 82. *depulsis*, a lacte et ubere materno remotis. | 85. pascite vitulam, pro Pollionis, lectoris vestri, salute sacrificandam. Ex more Musae aut dicuntur aut iubentur facere id, quod ipse poeta aut facit, aut, ut faciat, se admonet. | 86. *nova*, praeclara, qualia numquam antea facta; fuit autem P. poeta tragicus. | 87. cf. A. 9, 629 et G. 3, 234. | 88. *quo te q. gaudet*, sc. pervenisse, ad eandem, quae illi

Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,
Atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos.
D. Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
M. Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
Creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat.
D. Tityre, pascentis a flumine reice capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.
M. Cogite ovis, pueri; si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
M. Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.
M. His certe neque amor caussa est; vix ossibus haerent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
D. Dic, quibus in terris — et eris mihi magnus Apollo —
Tris pateat caeli spatium non amplius ulnas.
M. Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: et Phyllida solus habeto.
P. Non nostrum, inter vos tantas conponere lites.
Et vitula tu dignus, et hic. — Et quisquis amores
Haud metuet, dulcis aut experietur amaros.
Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

contigit, praestantiam. | 89. Exprimitur his verbis aurei saeculi felicitas. | 90. Bavius et Maevius mali poetae, obtrectatores Virgilii. | 91. Sunt hae proverbiales locutiones, rem plane ineptam et absurdam denotantes. — *iungat* ad arandum. | 92 sqq. Sequuntur sententiae temere arreptae, ut se certanti Damoetae offerebant. | 93. *Frigidus*, Theocr. 15, 58. | 94. *Parcite*, nolite. | 95. documento est ipse dux vester aries, quem iis, quos ducit, cautiorem esse par erat; v. A. 2, 394. | 96. *reice*, pro reiice; sic alii *eicit*, *deicit*, pro eiicit, deiicit. | 97. Theocr. 5, 146. v. 1, 39. | 98. *Cogite* ad umbram et frigus captandum; aestus siccat ubera. | 102. Theocr. 4, 15. — *neque*, i. e. *ne ... quidem:* tui quidem tauri laborant malo, cui occurri potest; meis agnis ne illud ipsum quidem, quamvis sit magnum, causa est maciei, sed maius: fascinatio. | 103. oculis invidorum ac malevolorum fascinandi vis inesse credebatur. | 104. Veteres interpretes, Servius ac Philargyrus, narrant Caelium quendam, decoctorem Mantuanum, omnibus, quae possederat, divenditis, nihil nisi locum, quo sepeliretur, sibi reservasse; hoc ipsum sepulcrum, spatium fere trium ulnarum capiens, designari a Damoeta, et totum aenigma versari in nomine Caelii sive *Caeli*, v. 1, 33. | 106. *regum*, Aiacis et Hyacinthi, qui erant filii regum; Ovid. Met. 10, 206—208. In flore hyacinthi literae *AI* et *T* conspici videbantur. — *inscripti nomina*, nomina inscripta habentes; G. 2, 131. A. 1, 228. *ardentes corpora* G. 4, 99. 338. *faciem mutatus* A. 1, 658. *lacerum ora manusque* 6, 495. *pictus chlamydem* 9, 582. *labant vestigia* 10, 283. *saturata dolorem* 5, 608. | 107. cf. vs. 76. et 78. | 109 sq. qui non fugit amores, ad utrumque paratus esse debet, ut aut dulces experiatur, aut amaros. Tangit Pal. diversa horum pastorum in amore fata; cf. vs. 76 sqq. 80 sqq. 101. 107. Ceterum facile sentis parum haec huic loco convenire nec videri ita scripta fuisse a Virgilio. Pro *Haud metuet* Virgilium *Haud temnet dulcis*, *haud* scripsisse suspicatur O. Ribbeck. | 111. Exisse Palaemon villicus existimandus est servis imperatum, ut rivos ad irriganda prata aperirent, quos nunc claudi iubet.

ECLOGA IV.

POLLIO.

Sicelides Musae, paulo maiora canamus!
Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
Si canimus silvas, silvae sint Consule dignae.
Ultima Cymaei venit iam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.

Ecloga IV. Ingentibus malis afflicta erat tota Italia, primum ex agrorum divisione, — vide quae praefati sumus Ecl. I. — tum ex inimicitiis inter Antonianos et Octavianum agitatis ortoque inde sub exitum autumni a. p. u. c. 713 bello Perusino, denique ex fame atrocissima, intercluso omni per Sext. Pompeium ac L. Domitium Ahenobarbum commeatu, quorum ille Siciliam et inferum mare, hic superum obtinebat. Tanto maiorem laetitiam attulit foedus Brundusinum, autumno a. 714 ictum, quo restituta est inter Antonium et Octavianum concordia. Adhibuerat Antonius ad componendam illam pacem Asinium Pollionem. Is paulo post Romam reversus consulatum iniit, sub idemque tempus filium sustulit. Obtinuerat iam antea fama, novam instare mundi aetatem. Cum autem Italia Pollionis maxime opera ex miseriis suis emersisse videretur, ita per Ecl. IV. poeta consulatum Pollioni gratulatur, ut eum tamquam auspicem et ducem novae istius aetatis novique rerum ordinis praedicet atque in huius rei signum puerum ei natum esse auguretur. ‖ 1. *Sicelides:* pastoritii carminis praesides; Sicilia enim, patria Theocriti, bucolici carminis parens habetur. cf. Bion. Idyll. 15, 1. Mosch. Idyll. 3, 8 „*Σικελικαὶ Μοῖσαι.*“ | 2 sq. Non omnium personis dignum hoc carminis genus; itaque si tanto nomine inscribendum est eiusmodi carmen, sit hoc ita comparatum, ita supra vulgarem modum elatum, ut ne dedeceat viri summi, consulis, dignitatem. | 4. *Ult. Cym. carm. aetas*: Sibylla Cumana carminibus suis discreverat decem saecula sive aetates generis humani; ea saecula impari erant spatio, alia longiora, alia breviora. Eo ipso, quo haec scribebat Virgilius, tempore decimum agi putabatur, et Volcatius haruspex anno 710 dixerat adesse exitum noni, initium decimi saeculi, cui praeesse Apollo existimabatur. Eiusmodi aetas, qualem decem saeculis complexa erat Sibylla, respondet m a g n o illi anno, quem statuerunt Plato et qui hunc sequebantur. Exacto autem hoc magno anno novus revolvi credebatur ordo saeculorum, qui item ac pristinus inciperet ab aurea aetate. | 6. *Iam redit:* laetabundus poeta animo praecipit eum reditum, qui e x a c t a decima aetate futurus erat, tamquam iam praesentem. — *Virgo,* Astraea s. Iustitia, *Δίκη*. Ovid. Met. 1, 149 sq. G. 2, 473. — *redeunt* pro repetenda copula: *et Virgo et Sat. regna;* cf. A. 7, 75. 327. 8, 91. 10, 314. 11, 171. 12, 548. Propert. 4, 10, 19 „*Idem* equus *et* frenis, *idem* fuit aptus aratris,“ i. e. Idem aptus *et* frenis *et* aratris. — Saturno in Italia regnante aureum saeculum fuisse credebatur; Tibull. 1, 3, 35 sqq. G. 2, 538. | 7. novum et melius hominum genus deorum beneficio existet, v. vs. 9. | 8. *puero,* Gallo, Asinii filio. — *quo f. p. des.,* cuius ortu terminatur aetas ferrea. | 9. *gens aurea,* Cic. de Nat. Deor. 2, 63 „ab illo *a u r e o g e n e r e*, ut poetae loquuntur.“ Hesiod. *Ἔργ.* vs. 109 *χρύσεον γένος μερόπων ἀνθρώπων.* Theocr. 12, 15 *χρύσειοι ἄνδρες.* cf. G. 2, 538. — *mundo,* orbe terrarum. | 10. *Lucina,* quippe quae nascentibus adesse putaretur; eadem credita, quae Diana, soror Apollinis; hinc *tuus,* frater. Servius: „Ultimum saeculum ostendit, quod Sibylla Solis esse memoravit.“ Discretum autem prius Solis et Apollinis numen

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet divisque videbit
Permixtos heroas et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantis hederas passim cum bacchare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium volgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
Iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus:
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector nec nautica pinus

postea saepe confusum est. | 11. *decus h. aevi*, praeclara haec aetas, *inibit*, initium capiet. | 12. *magni menses*, utpote partes magni anni. | 13. *Te duce*, inde a tuo consulatu. — *sceleris*, puta, pristinae discordiae civilis; nondum autem ab armis recesserat S. Pompeius. | 14. *Irrita*, abolita liberabunt genus humanum formidine. | 15. *Ille*, puer, aget vitam deorum et versabitur inter deos heroasque. Hesiod. *Ἔργ.* 112 sqq. Ovid. Fast. 1, 247 sq. | 16. *illis*, sc. permixtus. | 17. ad summos in pacata ac denuo confirmata republica honores olim evectus, patriis, i. e. iisdem, quibus pater splendet Pollio, virtutibus eam gubernabit. | 18 sqq. Felicitas aureae huius vitae initia capiet cum pueritia Galli, incrementa (vs. 26 sqq.) cum adolescentia, consummabitur (vs. 37 sqq.) cum virili eiusdem aetate. — *nullo cultu*, uti omnia in saeculo aureo nascebantur; Hesiod. *Ἔργ.* 117 sq. Ovid. Met. 1, 109 sq. | 20. *ridenti*, sua pulchritudine oculos delectante. | 21. *Ipsae*, sponte, nullo ducente; ut paullo post *Ipsa*, nullo serente. | 25. *amomum* in Armenia et Media nascitur; Assyriae nomine saepe plagae orientales a poetis appellantur. | 26. *simul* i. q. *simulac*. | 27. et virtutem (s. *quae sit virtus*) cognoscere poteris ex illorum factis. | 28. *molli a.*, lēvi et glabra, non acutis quibusdam acubus vallata; non opus his erit amplius ad arcendas aves in tam affluenti omnium rerum copia. | 30. *querc. sud. rosc. mella*: putabatur mel aurea aetate roris modo de foliis quercuum stillasse; G. 1, 131. Ovid. Met. 1, 112 et v. G. 4, 1. | 32 sqq. Similis erit haec aetas heroicae. — *Thetim*, mare; Ovid. Met. 1, 94 sqq. Tibull. 1, 3, 37. | 34. Tiphys gubernator Argus. | 38 sq. Non opus erit impor-

Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos — aderit iam tempus — honores,
Cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque tractusque maris caelumque profundum,
Aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses;
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

tandis mercibus; omnia enim domi nascentur. | 42. *mentitur l. colores*, utpote non suos referens, sed quibus tincta est. | 43 sqq. Oves iam carpent feliciores herbas, et ita fiet, ut inter pascendum sponte trahant eos colores, qui summo in pretio habentur. Murex, lutum, sandyx, mera hic sunt colorum nomina, non herbarum. | 46. adverte brachylogiam poetae *currite* cum accusativo iungentis; *currite saecla*, i. e. currentes volvite s. | 47. Concordes propter stabilem certamque Fati voluntatem. | 48. v. vs. 17. | 49. *deum s.*, cf. vs. 7. — *m. I. incr.*, *θεῶν, Διὸς θρέμμα*, qui divinitus dignitate et honore praeter ceteros mactatus est; unde *διοτρεφεῖς βασιλῆες* apud Homerum. | 50—52. Videtur sibi poeta videre mundum, *convexum* a caeli omnia complectentis specie dictum, tamquam numinis adventu et apparentia (ut hoc utar vocabulo), moveri ac nutare, quod laetum est ac faustum signum. — *Terrasque*, ut G. 1, 153. 164. 352. A. 3, 91. 4, 146. 9, 767. cet. — Alii *laetentur*; Indicativo res significatur ipso adspectu testificata, ut E. 5, 7. A. 8, 192. | 54. *Spiritus*, ingenii vis vigorque poeticus. | 57. *Orphei* Dativus Graec. | 58. *Arcadia*: est enim ipse deus Arcadiae; E. 10, 26. | 60—62. Quasi iam natum alloquitur puerum poeta morae desideriique impatiens. Et duplici causa matrem ex risu eius a puero cognosci vult, una, quod matri praegnanti longa fastidia perpetienda fuerunt, altera, quod risus matris magno erit ad fortunam pueri momento, nam *cui non risere p.* etc. Ceterum matrem risu eius cognoscit puer ita, ut hunc risum mutua arrisione excipiat, quo nullum laborum suorum praemium matri iucundius. — *decem* menses tempus significant, quo exacto gravidae parere solent. | 63. Spectant haec eo, quod hic puer aliquando inter heroas et deos locum habiturus est; cf. vs. 15 sq.

ECLOGA V.

DAPHNIS.

MENALCAS. MOPSUS.

ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
Hic corylis mixtas inter considimus ulmos?
MO. Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca,
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Aspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.
ME. Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
MO. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?
ME. Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignis,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.
MO. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,
Experiar. Tu deinde iubeto ut certet Amyntas.
ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
MO. Sed tu desine plura, puer; successimus antro.

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant; vos coryli testes et flumina Nymphis;
Cum conplexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus

Ecloga V. Anno p. u. c. 712, cum natales Divi C. Iulii Caesaris mense Iulio celebrarentur per Italiam, Virgilius in eius laudem composuit Eclogam V. Vs. 20—44 pertinent ad mortem, vs. 56—80 ad apotheosim Daphnidis, personati Caesaris. Pastoritio carmine cum poeta Caesarem prosequi vellet, non potuit dignius tanto viro nomen deligere, quam Daphnidis, nobilissimi pastoris, qui et parentem deum habuit, Mercurium, et ipse ad deos receptus est. ‖ 1. Theocr. 8, 4. — *boni inflare:* Statius Silv. 2, 3, 69 „*optimus Condere* divitias;" Eleg. ad Messal. vs. 7 „*expromere* cantus *Maximus;*" G. 1, 284 „*felix ponere* vitem." | 4. *maior*, natu. | 5. Alii *mutantibus.* | 7. *sparsit*, v. 4, 52. | 8. Alii *certet.* | 9. *Quid, si certet*, cum irrisione dictum | 11. *Phyllis* et *Alcon* ficta nomina; non item Codrus, malus poeta et obtrectator Virgilii; 7, 26. cf. 3, 90. | 12. *servabit*, tuebitur. | 13. cf. 10, 53 sq. | 14. *mod. alt. not.:* dum simul modulor, i. e. modos sive numeros musicos facio inter describenda verba, cum ipsis versibus modos alternans notavi; cf. 1, 2. | 15. cf. vs. 9. — Alii *iubeto certet*, omisso *ut.* | 16. *pallenti*, frondem subviridem habenti; 6, 54. | 21. v. 1, 39. | 22. *complexa*, sc. est. | 23. deos vocat, i. e. dicit, crudeles, astra item crudelia; G. 4, 356 „et te crudelem nomine dicit." Astra quandam ad hominum fata vim habere putabantur. — *mater*, Venus, parens Iuliae gentis credita; cf. 9, 47. | 24 sqq. In ceteris, quibus caedes denuntiata est Caesari, prodigiis hoc memoratur a Suetonio Iul. c. 81 „Proximis diebus equorum greges, quos in traiiciendo Rubicone flumine conse-

Frigida, Daphni. boves ad flumina; nulla nec amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores; mandat fieri sibi talia Daphnis;
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.
ME. Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

crarat ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere ubertimque flere.“| 26. *graminis herb.*, i. e. recens ac tenerum gramen; cf. G. 1, 134.| 27. Caesarem si poeta sub alicuius pastoris persona latere voluit, non potuit is pastor alius esse, quam ille omnium nobilissimus Daphnis. Verum ita differt hic Virgilianus Daphnis a Siculo illo, ut nulla ei certa sedes assignetur resque et in Asia et in Africa gessisse dicatur; ita nihil erit offensionis nec in Armeniis tigribus nec in leonibus Poenis. Facta autem et merita Daphnidis extollens poeta bonas leges atque sapienter instituta ostendere videtur, quibus Caesar rempublicam auxit.| 29—39. Omnis hic locus eo redit, ut Daphnis rem pastoritiam excoluisse ac vitium culturam apud suos instituisse dicatur; cum hac coniunctus erat Bacchi cultus. Haec autem ita spectant Caesarem, ut ipsa natura per eius numen laetiorem induisse vultum, sed eundem, illo exstincto, mutasse dicatur.| 29. Bacchi ritu vehi tigribus currui iunctis. — *curru* Dativus pro *currui*, ut A. 1, 156. 3, 541. 4, 369.| 30. *inducere*, instituere, *θιάσους εἰςάγειν*. Servius, quod a nullo praeterea proditum est memoriae, scribit „Caesarem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.“| 31. *foliis*, viteis et hederaceis. — *lentas*, teretes et flexiles. — *hastas*, hastilia, stipites. — Describitur thyrsus, quem bacchantes gestabant.| 32. Theocr. 8, 79 sq. v. 2, 70.| 33. Ovid. Art. Am. 1, 290 „armenti gloria taurus.“ Tibull. 4, 1, 208.| 34. *tulerunt*, sustulerunt; Hom. Il. 2, 302.| 35. *Apollo* Nomius, qui praesidet pascuis, *ταῖς νομαῖς*, et v. G. 3, 1.| 36. *Grandia*, ad serendum selecta; G. 1, 197—99.| 37. *Infelix*, infecundum. — hordeum in lolium et avenam degenerare, opinio veterum fuit; G. 1, 154. — *steriles*, intelligenda est avena fatua Linnaeo dicta, *wilder Hafer*, Gall. *haveron*. — *nascuntur*, sc. in iis sulcis, quibus *cet.*| 38. *moll. v.*, quae coloris teneritate sensum molliter afficit; et significatur *τὸ λευκὸν ἴον* s. *λευκόϊον*.| 40 sqq. Locum, ubi Daphnis sepultus est, frondibus conspergi et arbores circum fontem, ad quem humatus est, seri tumulumque constitui vult. Solebant ruri sepulcra ad fontes fieri arboresque circumseri.| 43 sq. Theocr. 1, 120 sq. — *in silvis*, v. 1, 2.| 47. *quale restin-*

Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus Daphnimque tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
MO. An quicquam nobis tali sit munere maius?
Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.
ME. Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!
Sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
Pocula bina novo spumantia lacte quot annis
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi,
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.

guere, οἷον τὸ σβέσαι. | 48. *sed*, quod maius est, ipsa voce, ipsis carminibus. — *magistrum*, ipsum Daphnidem; cf. vs. 51 sq. | 49. v. 2, 38. | 50. *nostra*, mea carmina. | 51. *tollemus ad astra*, summis laudibus celebrabimus; cf. vs. 43. A. 3, 462. | 54. pueri iuvenes pastores appellantur etiam vs. 19 et 49. | 56. *Candidus*, ut deus; sunt enim dei insignes candore. — *Olympus*, arx caeli, ubi dii habitare putabantur. | 58. *cetera*, quia rus silvas et pascua complectitur; et v. 1, 2. | 60. Cum illa voluptate coniuncta est summa securitas. Theocr. 24, 84 sq. | 61. *bonus*, benignus, ut vs. 65. A. 12, 647. | 62 sqq. v. 1, 39. | 63. *Intonsi*, silvosi, incaedui. | 65. v. vs. 61. — *felix*, propitius, ut A. 1, 330. | 66. plures arae ponuntur, ut plura sacrificia fieri una possint; cf. G. 4, 538 sqq. — *duas altaria*, cum altaribus, in quibus victimae crementur; in sola ara tus, fruges et similia diis offeruntur. — *Phoebo*, quod Iul. Caesaris natalis (III Id. Iul.) in ludos Apollinares incidit. | 67 sqq. Ad bina praeterea sollemnia Daphnidem adhibiturus et libationibus deveneraturus est Menalcas, ad Ambarvalia, quae fiunt extremo Aprili, incipiente iam in Italia messe, et ad Liberalia, exeunte autumno celebrari solita; huc spectant illa *si frigus erit, si messis* vs. 70. Et cum Laribus suae essent in utraque sollemnitate partes, cf. Tibull. 1, 1, 19 sqq. et 2, 1, 17. coll. 1, 10, 15, pro Lare a se cultum iri Caesarem significat Men.; v. 1, 44. | 67. *pocula bina:* bina in singulis aris, ut in epulis solebant singulis convivis bina poni; *duos* autem *crateras*, i. e. in singulis aris singulos. | 69. *convivia*, epulae post sacrificium. | 71. *Ariusia* ex promontorio et tractu Ariusio in insula Chio. Qui eiusmodi epulis intererant, in mensis secundis generosius vinum libabant, v. G. 2, 101 sq. — *nectar* illud dicit, ut vinum dulcissimum, *novum*, ut ruri nondum cognitum. | 72. *Lyct.* Lycto, oppido Cretae, oriundus. | 73. Satyri, numina ruralia,

Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota
Reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quot annis
Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.
MO. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
ME. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexim,
Haec eadem docuit, Cuium pecus? an Meliboei?
MO. At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes — et erat tum dignus amari —
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

ECLOGA VI.

VARUS.

Prima Syracosio dignata est ludere versu

Bacchi comites, quorum commode fit mentio in sacris ad deos agrestes, in primis Bacchum, pertinentibus. | 74. Hic honos semper tibi habebitur, et *cet.* — *sollemnia,* quae quotannis nuncupari solent; cf. vs. 79 sq. | 75. Nymphas quoque Liberalibus veneratos esse pastores hinc discitur. Theocriteus quoque pastor 5, 53 sq. crateram lactis et alteram olei ponit Nymphis. — *reddemus,* solvemus. — *cum lustr. agros:* significantur Ambarvalia; *lustrare* proprie est *ambire, circumire;* ducebatur enim hostia circum agros; itaque lustratio agrorum in eo versabatur, quod ducta circum agros hostia sacrum faciebant diis ruralibus eosque precabantur, ut omnia mala a frugibus, pecore et agrestium turba arcerent; rem totam optime cognosces ex Tibull. 2, 1. G. 1, 343 sqq | 77. cicadas, succum ex floribus et foliis sugentes, rore vivere veteres credebant. | 80. *damnabis votis,* s. *voti,* i. e. quibus contigerit id, quod per te sibi contingere cupierunt, eos obligabis tuo beneficio, ut solvant tibi, quod voverint. | 85. *cicuta,* cf. 2, 36. | 86. *Haec — docuit,* ad hanc modulatus sum E. II. et III.; cf. 10, 34. 51.

Ecloga VI. Scripta est haec Ecloga a. 714. p. u. c. et missa Alfeno Varo, qui cum Corn. Gallo poeta Galliae Cisalpinae ab Octaviano praefectus negotium agrorum dividendorum ibi curabat. Vix licet dubitare, quin Varus Virgilium ad epicum carmen (cf. vs. 3) componendum hortatus sit, in quo ipsius Vari res bello civili gestae locum habiturae essent, cf. vs. 6 sq. Sed poeta, ab Apolline se admonitum fingens, pro epico carmine mittit Varo bucolicum, in quo Silenus primum originem mundi canit, tum insignes quasdam ex antiquissimis fabulis attingit. || 1 sqq. Ad humile et tenue se carmen, bucolicum, natura ferri, a graviore genere carminum abhorrere ingenium suum significat poeta. — *Prima,* Adiectivum pro Adverbio, *primum,* ut G. 1, 12. A. 6, 811. 8, 59 et v. A. 4, 494. Primum poeta ad bucolicum genus se applicuerat; aliud deinde cum temptaret, vs. 3, revocatum se ab ipso Apolline fingit vs. 4 sq. — *Syracosio,* v. 4, 1. Syracusis natus erat Theocritus; *Συρακόσαι* antiquior huius nominis forma. |

Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.
Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit et admonuit: Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.
Nunc ego — namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella —
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non iniussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore leget: te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
  Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi — nam saepe senex spe carminis ambo
Luserat — iniiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naiadum pulcherrima, iamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri: satis est potuisse videri.
Carmina, quae voltis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.

2. v. 1, 2. — Thalia praeses carminis bucolici. | 3. *aurem V.:* in ima aure, quae proprie dicitur auricula, sedes esse memoriae putabatur, Plin. N. H. 11, 103. Nostro quoque more obliviosos similiter admonemus; oblitus autem erat poeta, quid sibi pastori conveniret. | 5. *deductum*, tenue; proprie vox deduci, i. e. submitti extenuarique, dicitur. | 6. iunge *super-erunt*; cf. A. 2, 567. 7, 559. G. 2, 349 „*Inter* enim *labentur* aquae.“ ib. 351 *super-urgerent*. adde A. 6, 254. — Et *superesse* hic dicitur de abundantia, ut A. 11, 420. | 8. v. 1, 2. | 9. *Non iniussa*, sed iussa ab Apolline; cf. vs. 4 sq. | 10. *c. amore l.* tali carminum genere delectabitur. — *myricae*, cf. E. 4, 2. | 12. *pagina*, liber; carmen Varo inscriptum. | 13. *Pergite*, agite. — *Chromis* et *Mnasylos* Faunorum vel Satyrorum nomina. | 15. Liv. 26, 14 „Impletae cibis vinoque venae.“ | 16. *procul*, iuxta; non enim ubique *procul* rem *longe* remotam indicat; immo *tantum capiti delapsa iac.*, i. e. non haerebant iam in ipso capite, iacebant tamen prope caput. | 17. *gravis*, magnus quippe et amplus; eumque ille epotaverat; Macrob. 5, 21 „Scyphus Herculis poculum est,-Liberi patris cantharus.“ — *attrita*, multo usu. — *pendebat*, semisupinum manu tenebat. | 19. ex ipsis, quae ille gesserat, sertis; cf. vs. 16. | 21. *videnti*, expergefacto. | 24. *satis e. pot. vid.*, ut videamini me vincire potuisse. | 26. *simul*, i. e. haec dicens, his dictis, ut G. 4, 359. 381. A. 9, 221. | 27. *in num. ludere*, ad rhythmum eius cantilenae saltare. | 30. *Rhodope* et

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit et rerum paulatim sumere formas;
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem
Altius, atque cadant submotis nubibus imbres;
Incipiant silvae cum primum surgere, cumque
Rara per ignaros errent animalia montis.
Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.
His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret;
Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore iuvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides inplerunt falsis mugitibus agros,
At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum
Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:

Ismarus montes Thraciae. | 31 sqq. Canit Sil. primum rerum omnium originem; qua in re poeta Epicurum sequitur. — Duas res a principio fuisse statuit Epicurus: spatium (*magnum inane*, τὸ ἄπειρον κενόν) et atomos. Inane dicitur illud spatium ita, ut continere quidem atomos putaretur, sed eas ipsas tam tenues, ut oculis cerni nullo modo possent, spatium igitur illud vacuum esse videretur. Atomi inter se erant temere mixtae, nondum secretae; haec sunt illa in unum coacta rerum semina. Certis autem paribusque atomorum generibus paulatim inter se coeuntibus exstiterunt, quae vulgo dicuntur elementa rerum, ignis, aqua, aer, terra. | 32. *animae*, aeris; *maris*, aquae. | 33. *liquidi*, utpote ex tenerrimis atomis orti. — *primis*, principiis s. materiâ rerum, unde ductum omne initium rerum, *exordia omnia*. | 34. *tener*, v. vs. 33. — *mundi orbis*, caelum, v. 4, 50. | 35. *durare*, durescere. — *Nerea*, i. q. aquas. — *discl. ponto*, discretas includere mari. | 38. *Altius*, quippe a terra separatum (solem) et altiore loco positum. Nempe quae ante sociata erant mixtaque, ea nunc sunt disiuncta, quorum alia iam altiorem, alia inferiorem tenent locum; atque huic *altius* respondent *submotae nubes*, sursum evectae scilicet. | 39. *canit cum incipiant pr. surgere*, canit surgentes silvas, s. originem silvarum. | 40. *ignaros*, expertes antea animalium. | 41 sq. de ordine rerum v. A. 10, 38. — *Saturnia regna*, saeculum aureum; v. 4, 6. Ceterum probabilius est Virgilium *Saturnjaque r.* scripsisse. Cf. Ovid. Met. 1, 348—415. | 42. Prometheus ignem Iovi furatus dederat hominibus; quapropter Iovis iussu Caucaso affixus est; aquila autem quotidie iecore eius, per noctem rursus crescente, vescebatur. — *Cauc. volucres:* Plurali, ut solet, in circumlocutione usus *unam* significat aquilam poeta; v. 3, 7. | 43 sq. Cum Argonautis in Colchidem navigans Hercules Hylan, puerum a se amatum, a Nymphis raptum amisit. | 46. *Pasiphaen*, uxorem Minois, matrem Minotauri. — *solatur*, canit Pasiphaen se amore tauri solantem, i. e. solatium sui ardoris et voluptatem ex amore tauri capientem. Poetae ipsi facere dicuntur, quod factum canunt; cf. vs. 62 sq. E. 9, 19. | 47. *virgo* hic de iam nupta, item *puella*, G. 4, 458. | 48. Proeti, regis Tirynthii, filiae insanientes in vaccas mutatae sibi videbantur. |

Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas,
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia; forsitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
Tum Phaethontiadas musco circumdat amarae
Corticis atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum,
Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus haec illi, divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.
Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto

53. *fultūs hyac.*, ut G. 2, 5. 4, 137. A. 11, 69. Tales versus ad Graecorum similitudinem efficti implent aures. — Ceterum v. 3, 106. | 54. *nigra* e viridi, i. e. *dunkelgrün; pallentes*, *χλωράς*, *hellgrün.* | 55—60. *Claudite* cet. Pasiphaen haec loquentem facit poeta. | 56. Dictaeae, a monte Cretae, Dicte. | 57. *Sí* saepe ponitur, ubi rem explorare, ut G. 3, 331 sqq. A. 1, 181. 578, vel temptare, experiri aliquid volumus, ut A. 6, 78. 10, 458. Experiar, num forte ita fiat, ut mihi occurrat ille bos. | 60. Gortyn, s. Gortyna, urbs Cretae. | 61. Atalantam; cf. Ovid. Met. 10, 560 sqq. — *Hesperidum mala*, cf. A. 4, 481 sqq. | 62. cf. vs. 46. — *Phaethontiadas*, s. Heliadas; cf. Ovid. Met. 2, 325 sqq. | 64. vide, quae huic Eclogae praefati sumus. — *Permessus*, fluvius Boeotiae. | 65. *Aonas*, i. e. Aonios; Aones primi Boeotiae incolae; ibi Helicon mons Musis sacer. — *sororum*, Musarum, Tibull. 3, 4, 45. Ovid. Met. 5, 254 sq. | 66. Musae adsurgunt Gallo; quae honoris testificatio! | 67. cf. 4, 56 sq. | 68. *crinis ornatus*, v. 3, 106. | 70. *quos*, sc. dederunt *Ascraeo seni*, Hesiodo, ab Ascra, vico Boeotiae, ita dicto. | 71. v. 3, 46. | 72. Grynium s. Grynēa oppidum Aeolidis fano Apollinis, quod in luco amoenissimo situm erat, nobile. Fabulas ad originem huius fani lucique spectantes carmine celebraverat Euphorion Chalcidensis, idque in latinum sermonem transtulerat Gallus; cf. 10, 50 sq. Apparet hoc carmen habuisse aliquid coniunctum cum vita carminibusque pastorum; et pastor fuerat etiam Hesiodus, non tamen poeta bucolicus. | 73. *quo se plus i.*, quo magis glorietur, quem magis amet. | 74. *Quid loquar?* formula est breviter reliqua attingentis. — Erant duae Scyllae, Nisi altera, altera Phorci filia, saepe inter se a poetis, ut h. l., permutatae; quae hic narrantur, spectant ad Phorci filiam; cf. Ovid. Met. 14, 1—67; de Nisi filia Ovid. Met. 8, 1 sqq. — *Scyllam*, sc. ut mutatam narraverit; quod repetes e vs. 78. | 76. Dulichium insula maris Ionii prope Ithacam, posteriore tempore eadem, quae Ithaca, credita; hinc Dulichius Ulixes dictus; cf. Hom. Od.

Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut ut mutatos Terei narraverit artus,
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas iussitque ediscere laurus,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles;
Cogere donec ovis stabulis numerumque referri
Iussit et invito processit Vesper Olympo.

ECLOGA VII.

MELIBOEUS.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

M. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas,
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat; atque ego Daphnim
Aspicio. Ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Meliboee! caper tibi salvus et haedi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci;
Hic viridis tenera praetexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,

12, 245 sqq. | 78 sqq. cf. Ovid. Met. 6, 424 sqq. — *Tereï*, cf. vs. 42. A. 1, 41. 120. 7, 249. 12, 541. | 79. *dona:* satiato Tereo caput et pedes filii intulit. | 80. *quo cursu*, i. e. quali c., insolito quippe, nam in avem erat mutata; *cursus* etiam A. 6, 194 volatum significat. *quibus alis*, alis lusciniae. | 82. *Ph. medit.*, v. 1, 2. tum scilicet, cum Hyacinthum, Oebali filium, Spartanum, amabat Phoebus; v. 3, 106. | 83. laurus ad Eurotam sitas; v. 1, 39. 3, 46 et supra vs. 71. | 84. *pulsae*, resonantes eius cantu, ut A. 7, 702. | 85. *cogere—referri*, ut A. 3, 61. 5, 773. 11, 84; ceterum v. 3, 34. | 86. Vesper, Hesperus, Veneris stella. *invito*, quod ipsum caelum fingitur aegre ferre, nocte ingruente carmen finiri.

Ecloga VII. Scripta videtur haec Ecl. vere anni 716 p. u. c. || 1. *arguta*, sibilante, dum leni vento agitatur; Theocr. 1, 1 sq. | 2. Theocr. 6, 1 sq. | 4. Theocr. 8, 3 sq. — Arcades servi post deletam Corinthum in Italiam, ubi haec geruntur, cf. vs. 13, venisse videntur; nisi omnino pastores significantur Arcadicis similes. | 5. v. 5, 1 sq. | 6. *def. a frig.*, puta, stramentis eas tegens. | 7. Theocr. 8, 49. — *dēĕrrav.*, G. 2, 200. A. 10, 378. grex cum ipso capro, cf. vs. 9. — *atque* hic facit exspectationem; cf. A, 6, 162. 7, 29. 10, 219 et v. A. 4, 261. | 11—13. Commendatur locus rerum iucunditate. — *ipsi*, sponte, scilicet quia

Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere; alternos Musae meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
c. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
T. Pastores, hedera nascentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
Aut, si ultra placitum laudarit, bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
c. Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
T. Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.
c. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, hedera formosior alba,
Cum primum pasti repetent praesepia tauri,

Daphnis ab armento recessit; v. 4, 21. — *sacra*, G. 3, 332.| 15. *a lacte*, a matrum ubere. — *quae cl. a.* puta ante frigus vespertinum.| 16. *Cor. c. Th.*, certaturus enim Cor. erat cum Th., cf. A. 5, 339.| 19. Musae, amantes alterna, cf. 3, 59, hanc legem carminis dicebant, ut versibus alternis illi canerent. *alternos meminisse*, mentem adiicere ad canenda alterna; sic *ἄλλου λόγου μέμνησθε*, mementote de alia re loqui s. mentem adiicite ad alium sermonem, Aesch. Prom. 531. Eurip. Hel. 119.| 20. *in ordine*, deinceps.| 21. Libethrus fons cum antro in Helicone. Nympham poeta invocat etiam 10, 1. cf. Theocr. 7, 91 sq.| 22. v. 5, 11. — *proxima*, proximos diceres secundum consuetudinem, v. 3, 80.| 23. v. 1, 39.| 24. Qui arti alicui renuntiabant, eius instrumenta deo eiusdem artis praesidi suspendebant sacrabantque. — *sacra* Pani.| 25. *nascentem*, nunc primum carmina temptantem. — Servius „Hederâ coronantur poetae, quasi Libero consecrati“ et cf. 8, 13. poetae haud minus curae sunt Baccho, quam Apollini, cf. Ovid. A. A. 3, 347 sq. Tibull. 3, 4, 43 sq.| 26. cf. 3, 15.| 27. *ultra plac.*, plus, quam ipsi videtur, s. si Codrus nos immodice et praeter veritatem laudat; quo fascinari veteres putabant ea, quae invidemus alteri. — *bacchare*, quo fascinus depelli existimabatur.| 30. sc. dedicat, ob prosperam venationem; cf. A. 9, 407 sq. et v. A. 3, 288.| 31. Si tam felici venatu perpetuo uti contigerit *etc.* *proprium* enim saepe id, quod perpetuo nostrum manet; cf. A. 6, 872. Corn. Nep. Thrasyb. c. 4. — *tota*, Servius „Solent enim plerumque caput tantum vel thoraca (*Brustbild*) facere.“| 32. *sur. ev.*, v. 3, 106. — *coth.*, A. 1, 337.| 35. De industria Thyrsis magnifice loquitur, Micone magna Dianae pollicito, maiora et in ridiculum aucta promittens. — *pro temp.*, pro meis, quales nunc sunt, facultatibus.| 37 sq. Theocr. 11, 19 sqq. — *Nerine*, s. Nereis, Nerei fil. — *thymo .. Hyblae*, v. 1, 55 et cf. 5, 77.| 38. Ut est genus hederae nigricans, ita et albi-

Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
T. Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, proiecta vilior alga,
Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.
C. Muscosi fontes et somno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite; iam venit aestas
Torrida, iam lento turgent in palmite gemmae.
T. Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper, et adsidua postes fuligine nigri;
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
C. Stant et iuniperi et castaneae hirsutae;
Strata iacent passim sua quaque sub arbore poma;
Omnia nunc rident; at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.
T. Aret ager; vitio moriens sitit aeris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras:
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit
Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo;
Phyllis amat corylos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phoebi.
T. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis;
Saepius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsim.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

cans. | 41. Declarat et Th. suum Galateae desiderium. *Sard. herbae*, batrachii s. ranunculi genus, *Hahnenfuss*, cuius ferax Sardinia. | 43. Theocr. 12, 2. | 44. pudeat vos pastos, quasi nondum satiata fame, tam tarde domum procedere et me ab amicae amplexu distinere. | 45 sqq. Theocr. 8, 33 sqq. | 45. Theocr. 5, 51. 15, 125. | 46. *et tu, arbute, quae fontes herbamque tegis.* — *rara*, non densa, sole interlucente. | 47. *defendite*, arcete, ut A. 10, 905. adde G. 3, 155. | 48. *lento*, Servius „Bene tarde frondere vites commemorat in Venetia, quae est provincia frigidior. | 49. Theocr. 11, 51. — In hoc *ἀμοιβαίων* genere non referuntur omnia a canentibus ad id anni tempus, quo canunt. | 50. *ful. n.*, utpote in paupere tugurio sine *καπνοδόκη*. | 52. numerus pecoris lupum non deterret. | 53—60. Theocr. 8, 41—48. | 53. v. 2, 24. — *Stant*, horrent fructibus, bacis et echinis; sic aliquoties *stare* i. q. horrere, ut G. 3, 368. | 54. Theocr. 7, 144 sq. — Alii *quaeque.* | 57. *vitio aeris*, nimio calore. | 58. aret vinea. | 60. *Iuppiter*, aer; ex hoc enim decidit pluvia; cf. G. 2, 325. Horat. Od. 1, 1, 25. | 65. *pinus in hortis*, hortensis, *ἥμερος*. | 66. *in fluviis*, ad fluvios, in ripis fluviorum; cf. G. 2, 110 et v. A. 7, 683. | 70. Theocr. 8, 92. — Ex illo tempore Corydon, iam ante a me pro magno poeta habitus (vs. 16), vere Corydon summusque in canendo artifex habetur.

ECLOGA VIII.

PHARMACEUTRIA.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Inmemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris, en erit umquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium, tibi desinet. Accipe iussis
Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victricis hederam tibi serpere laurus.
Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba,
Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.
D. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum,
Coniugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis

Ecloga VIII. Missa est haec Ecloga Pollioni autumno anni 715, victis Parthinis, populo Dalmatiae, in Italiam redeunti. Continet haec Ecl. duo carmina, quorum alterius (vs. 17—61) argumentum ex Theocr. 3, alterius (vs. 64—109) ex Theocr. 2 petitum est; illud continet conquestionem amatoris a perfida puella decepti, in hoc inducitur mulier amatorem infidelem sacris magicis aggrediens. Ex eodem Theocr. 2 titulus *Pharmaceutria* translatus. ‖ 2. v. 1, 39.| 4. *requierunt suos cursus*, ut est in Ciri vs. 233 „rapidos requiescunt flumina cursus" et Calvus apud Servium „Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus." — *mutata*, quippe desinentia currere.| 6. *mihi:* Dativus Pronominis pers. saepe animum aliquo modo, hic quidem gaudio, affectum omninoque rem ad nos aliquo modo pertinentem, significat; cf. vs. 30. G. 2, 252. 4, 354. A. 1, 136. 261. Horat. Ep. 1, 3, 15 et v. G. 2, 206. — *Timavus*, non longe ab Aquileia lato flumine in mare Adriaticum se effundens; cf. A. 1, 244.| 7. Qui in superiore Adria, turbido mari, cf. Horat. Od. 3, 9, 23, navigabant, ut tuto hoc fieret, litus legere solebant. — *en*, vehementiam desiderii indicat.| 10. cf. 3, 84. Carmina Sophocle, summo tragicorum Graec., digna. Cothurnus tragoedorum, soccus comoedorum calceamentum; cf. Horat. Od. 2, 1, 12 et Art. poet. vs. 90.| 11. „Laudes tuas omnibus meis carminibus praedicandas sumsi;" cf. 3, 60; haec, cum proverbii in morem dicta sint, non nimis proprie accipienda; cf. Hom. Il. 9, 97. Theocr. 17, 1.| 12. *i. carmina c. t.*, v. 3, 7: carmen hoc, quod est ex eo genere, sc. bucolico, ad quod temptandum tu me excitasti.| 13. Permitte, ut inter laudes tuas bellicas etiam hic ex poetico encomio honos tibi accedat, nec Musam meam dedignare. v. 7, 25 et Ovid. Met. 1, 558—561.| 16. *Inc. olivae*, baculo oleagineo nixus.| 17. iunge *prae-veniens;* v. 6, 6. — *diem age, L.*, A. 2, 801 sq.| 18. *Coniugis*, i. e. puellae amatae, ut infra v. 66. iuvenis amatus; cf. A. 7, 189. — *indigno am.*, quo ipsius fides digna non erat, i. e. perfidia.| 19. *testibus* ab

Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
Semper habet; semper pastorum ille audit amores
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Iungentur iam grypes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula dammae.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor;
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno coniuncta viro, dum despicis omnis,
Dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae
Hirsutumque supercilium promissaque barba,
Nec curare deum credis mortalia quemquam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saepibus in nostris parvam te roscida mala —
Dux ego vester eram — vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;
Iam fragilis poteram ab terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum

amica ad testandum amorem adhibitis. | 21. v. 5, 86 et 1, 2. — Versus intercalaris, ut ap. Theocr. 1, 64. 70. 73. cet. 2, 17. 22. cet. — *Maenalios*, i. e. Arcadicos, pastoritios; v. 4, 1. Maenalus mons Arcadiae. | 22. nemus pinosque cantu pastorum resonantes. | 24. v. 2, 32. | 26. v. vs. 32. | 27 sq. „Omnia naturae praepostera legibus ibunt" Ovid. Trist. 1, 8, 1 sqq. — *Iungentur*, eidem currui; cf. E. 3, 91. — *grypes* autem, fabulosa animalia, perpetuam cum equis inimicitiam gerere ferebantur. | 28. *ad poc.*, ad potum. | 29 sq. incisis lignis para taedas; his utebantur ad novam nuptam domum mariti deducendam, quod vesperi fiebat; huc spectat illud *tibi*, quod ea res Mopso grata est, cf. vs. 6. — *des. Hesp. Oet.*, Oetam, montem Thessaliae, *deserit*, i. e. supra Oetam ante visus iam relinquere eam procedens videtur. In Graecia haec geri apparet; admiscuit tamen poeta Romanum morem nuces pueris spargendi. Spargebantur autem nuces nupta iam in domum et thalamum deducta. Ceterum *novas* non ut iterum uxorem ducturus, sed novum dicitur omne, quod primum fit vel quod incipit fieri; sic dicimus *novam* nuptam; cf. G. 2, 332. A. 7, 554. 8, 695. | 32. *O. d. c. viro*, cum irrisione haec dicta. Quali, dum ceteros despicatui habes, viro nupsisti! | 34. Theocr. 11, 30—33. | 35. Dii perfidiae ultores. — *mortalia*, res humanas, Ovid. Met. 13, 70. | 37. Theocr. 11, 25—29. — *Saep. in n.*, in horto nostro saepe aliqua (viva) clauso. — *rosc.*, rore matutino adspersa, δροσόεντα. | 38. *legent.*, carpentem, ut 2, 51. 3, 70. | 39. *Alt. ab undec.*, duodecimus; cf. 5, 49. | 41. Theocr. 2, 82. 3, 42. Hom. Il. 14, 294. Cum te vidi, quanto exarsi statim amore! *perire*, misere amare; Propert. 2, 15, 13 „Paris fertur periisse Lacaenâ," Helena. — *mal. error*, insania quaedam amoris. | 43 sq. cf. A. 4, 365 sqq. Theocr. 3, 15 sq. — *Tmaros*, mons Epiri, *Rhodope* Thraciae. — *Garamantes*, populus Africae; *extremi*, remotissimam orbis terrarum partem incolentes; A. 8,

Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque, mater;
Crudelis mater magis, an puer inprobus ille?
Inprobus ille puer, crudelis tu quoque, mater.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
Pinguia corticibus sudent electra myricae,
Certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite, silvae:
Praeceps aerii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus.
Haec Damon; vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.
A. Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta,
Verbenasque adole pinguis et mascula tura,
Coniugis ut magicis sanos avertere sacris

727. Ceterum v. 2, 24.| 45. *edunt:* Praesenti utitur poeta, quod *edunt* idem valet, quod *parentes sunt;* cf. G. 1, 279. A. 1, 731. 7, 485. 8, 141. 294. 9, 266. 10, 518. Herod. 1, 82 „*ἑκάτεροι ἔφασαν νικᾶν,*" utrique affirmabant se victores esse.| 47. *matrem*, Medeam, quae, ab Iasone coniuge repudiata, communes filios occidit.| 48 sqq. Mater illud nefas ausa crudelitatis notam, Amor, qui illam, ut animum maternum exueret, impulit, turpiorem et foediorem saevitiae atque improbitatis sustinet. Ergo nequior et taetrior Amor nequissimis et taeterrimis, qui umquam fuerunt, hominibus. — Ceterum lusus verborum, qui hic deprehenditur, minime abhorret ab hoc carminum genere, cf. 1, 1—5.| 49. *inprobus*, improbior; repetes enim praegressum *magis.*| 52 sqq. vs. 27. cf. Theocr. 1, 132—36.| 54. electrum, in summo pretio habitum, populi, vel alni, aliaeve arbores in ripis Padi, non humiles frutices, quales myricae, exsudare perhibebantur in fabulis; cf. 4, 2.| 55. *Certent*, sc. cantu. — *Tityrus* praeter cetera frequentatum pastorum nomen.| 56. v. 1, 2. — *Arion* Methymnaeus cantu delphinas deleniens ab uno eorum servatus; Ovid. Fast. 2, 91 sqq.| 58. Velim adeo omnia longe lateque mari contegantur; perire omnia vult, cui omnia odiosa sunt. — *Vivite*, valete; cf. Theocr. 1, 115 sqq.| 59. Theocr. 3, 25. — *aerii*, v. 1, 59.| 60. Acerbe Damon: Hoc muneris, hanc tibi laetitiam moriens offero, ut tua causa misere peream. Theocr. 33, 20 sq.| 63. Alphesiboei carmen, tamquam doctius, a Musis vult recitari, se ei recitando imparem esse proverbiali locutione „*non o. p. omnes*" significans.| 64 sqq. Mulier aliqua venefica inducitur amatorem suum, a se abalienatum et ex agro in urbem profectum, magicis sacris ad se revocans. Alloquitur Amaryllidem, sacrorum horum administram; *σύμμυστιν* appellat Servius.| 64. *aquam*, lustralem; cf. A, 6, 229 sqq. — *molli*, utpote *lanea.*| 65. *Verbenas*, frondes sacro usui destinatas; *pingues*, fortasse, ut in re magica, venenato succo tumentes; cf. A. 4, 513 sq. — *masculum* tus, optimum, stagonias appellatum.| 66. *Coniug.*, v. vs. 18. — *sanos av. sensus*, quasi a sanitate avertere, pervertere

Experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel caelo possunt deducere Lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hanc altaria circum
Effigiem duco; numero deus inpare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo, et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragilis incende bitumine laurus.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita, nec serae meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,

et in amoris insaniam convertere. | 67 *carmina*, incantamenta. | 69. Mira, sed saepe a poetis commemorata superstitio; cf. Tibull. 1, 8, 21. Horat. Epod 5, 46. 17, 78. Putabatur autem luna ita deducta spumas quasdam emittere, quibus utebantur magae. | 70. cf. Tibull. 4, 1, 62 sq. Hom. Odyss. 10, 203 sqq. | 71. v. 3, 93. Medea de se ap. Ovid. Met. 7, 203 „Vipereas rumpo verbis et carmine fauces," adde Ovid. Am. 2, 1, 25. — *cantando*, cantu, s. eo, quod quis incantat; falso enim Gerundium passivam vim habere creditur; cf. G. 2, 250. 3, 215. 454. | 73. *Terna*, Servius „tria alba, tria rosea et tria nigra;" *tibi*, Daphnidi, per parvam imaginem repraesentato; eaque ipsa duplex fuit, altera e limo, altera e cera; cf. vs. 80 et v. A. 4, 508. | 75. *inpare*, v. A. 4, 510. | 77. cf. vs. 73. — Amaryllidem iubet facere, quod ipsa, dum tenet imagunculam, commode non potest. — *nodis*, Servius „alligationibus," unde suspicabimur ipsorum l i c i o r u m extremitates in nodos collectas esse. | 78. *modo* est instantius imperantis. | 80. v. vs. 73 et G. 1, 479. | 81. Sic D. mollis et mitis fiat erga me, durus autem adversus alias puellas. | 82. *molam*, v. A. 4, 517. ἄλφιτα Theocr. 2, 18. — *fragiles*, fractum quid sonantes, cum incensae sunt, v. G. 1, 357 et A. 12, 522; et illitae erant bitumine, quo celerius flammam corriperent. | 83. Ut Daphnis me urit, sic ego laurum hanc imagini eius iniectam ita uro, ut D. eo igne se uri flammaque amoris corripi sentiat; *in D.* ut ἐπὶ Δέλφιδι Theocr. 2, 23. | 85. *qualis cum* idem, quod *ut cum*, ὡς ὅτε, G. 3, 196. A. 2, 471. 3, 679. 9, 563. 11, 624. Ad buculam spectat illud *qualis*. Notionem immodici cuiusdam amoris ipsa continet comparatio. | 87. *Propter*, ut G. 3, 14. | 88. *Perdita*, v. 2, 59. — *deced. nocti*, vitare frigus nocturnum ad saepta redeundo; G. 3, 467; et *calori decedere* G. 4, 23. | 89. *mederi* tali illius amori. | 91. *exuvias*, res, quas ipse olim gessit; cf.

Pignora cara sui; quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris; nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulchris
Atque satas alio vidi traducere messis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput iace; nec respexeris. His ego Daphnim
Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

ECLOGA IX.

MOERIS.

LYCIDAS. MOERIS.

L. Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

A. 4, 495 sq. et 507.| 92. limine scilicet, per quod D. saepe commeavit ad amicam.| 93. Terra, cuius magnum numen in re magica. — pignus est quodammodo vadis loco, qui sistere debeat eum, a quo datus est.| 95. *Has herb. atque h. ven.* i. e. has herbas venenatas. — *Ponto,* Colchide, parte regni Pontici, patria Medeae, nobilissimae veneficae; Horat. Od. 2, 13, 8.| 96. *Ipse M.*, summus sc. magus.| 97. lupum factum silvis se condere.| 99. *alio,* in alium agrum, et ita possessorem spe messis fraudare; *fruges excantare* id dicebant; Tibull. 1, 8, 19.| 101. v. 2, 30.| 102. *trans. caput,* aversa, Ovid. Fast. 5, 437. Ceterum v. G. 2, 290. — *nec. resp.*, ne res, quae agitur, irrita fiat; Ovid. l. l. 439 sq. — Alii *ne r.* — Quoniam artes et carmina nihil adhuc profecisse videntur, novissime id, quod efficacissimum putat quodque unum superest, experitur.| 105 sq. repente ex cinere nondum ablato, cf. vs. 101, emicat flamma in altari, quod precatur ut sit, quemadmodum est, prosperum omen.| 107. *Nescio quid certe est:* sentit mulier evenire aliquid, quo omen illud confirmari possit; et referemus haec vel ad strepitum aliquem exauditum, vel ad certam praesensionem animo repente conceptam, vel, quod malim, ad utrumque.| 108. Sunt haec verba conspicientis iam redeuntem Daphnim, sed, ut fit in tali re, vix credentis oculis suis. — *qui amant,* A. 6, 507.| 109. *Parcite:* non est iam, quod ultra per vos Daphnidem aggrediar.

Ecloga IX. Anno 714 p. u. c. cum denuo agri militibus dividerentur, Alfenus Varus, qui tum ab Octaviano Galliae Cisalpinae praefectus erat, rursus partem agrorum Mantuanis (vide, quae Ecl. I. praefati sumus) eripi passus est, invitus, ut videtur. Arrio centurioni datus ager Virgilii. Virgilius, ab hoc paene interfectus, relicto villico, qui, donec restitutus sibi esset ager, Arrio morem gereret, Romam abiit ibique scripsit hanc Eclogam, qua per ambages quasdam scite se suasque res Octaviano Varoque commendaret.|| 1. *Quo t. M. p. ducunt,*

M. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quo numquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt; veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi — quod nec vertat bene — mittimus haedos.
L. Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt mollique iugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteris, iam fracta cacumina, fagos
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.
M. Audieras? et fama fuit; sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Quod nisi me quacumque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas.
L. Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca?
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret, aut viridi fontis induceret umbra?
Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?
„Tityre, dum redeo — brevis est via — pasce capellas,
„Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
„Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.
M. Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:
„Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
„Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae,

quod ex proximo *ducit* repetendum. Theocr. 14, 42. | 2. *vivi*, Servius „diu vivendo;" putabimus igitur Moerim aetate iam provectiorem esse. | 2 sq. pervenimus *eo*, quo numquam nos perventuros putavimus, ut advena possessor agelli nostri diceret; v. 1, 54. | 5. *victi*, oppressi a potentioribus. | 6. Quae res in eius, novi heri, perniciem vertatur. — *nec:* pro *non* antiqui saepe dixerunt *nec;* unde factum est *negare*, *negotium*, *nec opinans*, *nec memor*, et similia, v. A. 12, 534; praeterea *nec*, quia fortius negabat, quam *non*, quibusdam detestandi formulis convenire visum est, ut h. l. et apud Plin. Epist. 2, 2, 3 „Illud enim nec dii sinant." — *mittimus:* portamus absenti, in urbe degenti; cf. 3, 71 et Terent. Phorm. 1, 1, 16. | 7 sq. qua colles decrescunt et paulatim ita deprimuntur, ut in clivum lenem ascensu desinant. | 9. *aquam*, Mincium. Ceterum v. 2, 3. | 10. Per Menalcan significatur Virgilius, qui per carmina sua fautores et deprecatores nactus agrum suum receperat. | 13. *Chaoniae* dictae propter oracula per columbas s. palumbes in luco Dodonaeo edita; Dodona urbs Epiri olim a Chaonibus habitata; et v. 1, 55. | 14. cf. G. 1, 155. | 15. monita cornicis tum rata sunt et eventum habitura, cum a sinistra canit. | 18. carmina eius in his temporum miseriis una solatia esse videbantur. | 19. *Quis c. N.*, hoc ad Ambarvalium sollemnitatem videtur spectare; v. 5, 75. — Quis humum florentibus herbis sparsam, quis fontes arboribus umbrosis consitos caneret? v. 6, 46 et A. 1, 165. 7, 463. | 20. *vir. umbra*, v. A. 7, 463. | 21. Quis caneret vel illa, vel tale aliquid, quale nuper tibi sublegi, i. e. te non sentiente, cum canebas, ex te didici. | 22. Spectat hic vs. ad Theocr. 3, 1. | 23—25. Theocr. 3, 3—5. | 27 sq. Vide,

„Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.
L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:
Incipe, si quid habes. Et me fecere poetam
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores; sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.
M. Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
„Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
„Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
„Fundit humus flores, hic candida populus antro
„Imminet et lentae texunt umbracula vites;
„Huc ades; insani feriant sine litora fluctus.
L. Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.
M. „Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
„Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
„Astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
„Duceret apricis in collibus uva colorem.
„Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes.
Omnia fert aetas, animum quoque; saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles:

quae praefati sumus huic et primae Eclogae.| 29. *cycni*, quia his Mincius abundabat, G. 2, 189 sq., et v. 1, 39.| 30. *Sic*, formula obtestandi per res carissimas. Sic cupio salvas esse apes tuas: ut cupio ex te audire, quae habes carmina; cf. 10, 4. Horat. Od. 1, 3, 1. Tibull. 3, 6, 1. — E taxo mel amarum, quale Corsicanum, fiebat; cf. G. 2, 257. 4, 47. — *Cyrneas*, *Κύρνος* Corsica; v. 1, 55. | 32 sqq. Theocr. 7, 37 sqq.| 35. Varius et Cinna poetae nobiles Virgilio aequales. | 36. Theocr. 7, 47 sq. Tecte rodit Anserem, malum poetam, ad quem pertinet etiam, quod est apud Ciceronem Philipp. 13, 5 „de Falerno Anseres depellentur.“| 38. v. 6, 57.| 39 sqq. cf. Theocr. 11, 42—49.| 40. *purp.* apud poetas de insigni rerum nitore ac splendore, Tibull. 3, 5, 4 et v. A. 6, 641.| 41. *cand. p.*, *Silberpappel*, *λεύκη*.| 42. *lentae*, v. 5, 31.| 44. *Quid?* ita breviter interrogamus, cum ad aliam rem transeuntes hanc potissimum nos scire velle significamus. — *pura*, serena.| 45. *numeros*, modos. — *si*, modo, dummodo.| 46. *quid suspicis*, sc. prognostica petiturus. — *signorum*, siderum, G. 1, 257. A. 7, 138. — *antiquos:* secundum consuetudinem diceres *antiquorum*. Qui ex nomine aliquo (hic *ortus*) pendet Genetivus (*signorum*), ita confunditur cum illo in unam notionem et apud Graecos et apud Romanos, ut interdum, cum accedit Adiectivum aliquod (*antiquos*), id non ei adiungatur vocabulo (*signorum*), cui potissimum adiungendum erat; ut G. 1, 211. 4, 267. A. 3, 411. 7, 533 sq. 8, 526. 10, 426. 12, 199. *maior rerum ordo*, i. e. ordo maiorum rerum, 7, 44.| 47. Dione mater Veneris, et v. 5, 23. — *processit*, apparuit, numquam antea visum; significatur stella crinita, non multo post Iul. Caesaris mortem visa, quam animam esse Caesaris inter deos recepti putabat populus; Sueton. Caes. c. 88.| 48 sq. Ea stella bonum frugum proventum ominari et maturare fingitur.| 50. Insere *nunc*, astro tam propitio lucente; sic fiet, ut (non tu solum, sed etiam) nepotes fructum habeant ex arboribus a te insitis.| 51. memoriam quoque aufert.| 52.

Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerim
Iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.
L. Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,
Aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae;
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulchrum
Incipit adparere Bianoris: hic, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;
Hic haedos depone, tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque — minus via laedit — eamus;
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.
M. Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus;
Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

ECLOGA X.

GALLUS.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem:
Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,

totos dies, qui **longi** sunt per aestatem, cantando exigere; Horat. Od. 4, 5, 29.| 54. Quem occurrens lupus prior vidisset, eum vocem amittere olim putabant. Theocr. 14, 22.| 55. v. vs. 10.| 56. Excusationes afferendo differs meum desiderium.| 57. v. A. 8, 89. — *aequor* Mincii late ibi stagnantis.| 59. *adeo*, v. A. 4, 533.| 60. Bianor, s. Ocnus, conditor Mantuae creditus.| 61. v. 1, 57.| 62. *tamen*, etiamsi paululum quiescentes dederimus operam cantilenae.| 65. *fasce*, cf. vs. 62.| 66. *puér*, 10, 69. G. 3, 76. 118. 4, 92. et saepius.| 67. *ipse*, Menalcas.

Ecloga X. Extremo anno 716 cum Agrippa in Galliam cum exercitu missus esset, Lycoris (quae vero nomine fuit Cytheris, mima), Galli poetae amica, militem quendam illuc secuta Virgilio huius carminis scribendi occasionem praebuit. Conveniunt pastores Arcadici ipsique dii agrestes ad consolandum Gallum maerore afflictum; qui cum primo malit ipse unus fuisse e pastoribus Arcadicis aut in silvis duram venatoris vitam degere, postremo mutata mente repudiat, quod modo optavit, Amorique ait concedendum esse, cui nihil possit resistere. — Versus 3 probat ipsius Galli rogatu a Virgilio scriptam esse hanc eclogam. || Arethusa Nympha fontis Syracusani, h. l. Musa bucolici carminis in Sicilia orti; v. 7, 21. tum 6, 1 et 4, 1.| 2. quae legens Lycoris commoveatur.| 4. *Sic*, v. 9, 30. — *fl. s. S.*, A. 3, 694—96.| 5. *Doris*, Nerei, dei marini, coniux, i. e. mare, idque *amarum*, i. e. salsum. Sic tibi, Arethusa, sinceritas tua perstet, non corrupta

Dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis; respondent omnia silvae.
Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno cum Gallus amore peribat?
Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum; — nostri nec paenitet illas,
Nec te paeniteat pecoris, divine poeta:
Et formosus ovis ad flumina pavit Adonis —
Venit et upilio, tardi venere subulci;
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.
Omnes „Unde amor iste, rogant, tibi?“ Venit Apollo:
„Galle, quid insanis? inquit; tua cura Lycoris
„Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
Florentis ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi

aquis marinis.| 8. *respond.*, resonant per echo; v. 1, 5.| 9 sqq. Imitatus est Virgilius carmen Theocriti primum, quo canitur mors Daphnidis amore contabescentis vs. 66 sqq. In eius carminis ingressu quaerit Th., ubi tandem eo tempore fuerint Nymphae? non fuisse enim tum ullas in vicinis locis, quae habitare antea consuessent, sed procul aliquo abisse, Peneum fortasse Pindumve visentes. Scholiastes (vs. 69) Daphnidem ait alicuius ex his fuisse amatorem; hanc cum ceteris Nymphis peregre profectam esse, Daphnidem abitu eius ad desperationem mortemque compulsum. Haec cum non conspirent cum causa Galli, Lycoridem, non Nympham aliquam, amantis, Virgilius pro sui consilii ratione immutanda sibi intellexit; increpat igitur Naidas Arcadicas (nam scaenam totius rei Arcadiam esse voluit poeta atque, ut Daphnis apud Theocr. inter Siculos pastores constitutus est, ita Gallum inter Arcadicos constituit), quod, cum ipsae in numero ruralium deorum pastoribusque amicae essent, afuerint in dolore Galli inter pastores Arcadiae versantis. Putabimus autem eas Nymphas, sicut Theocriteas illas, longinquius iter ingressas esse ad visendas alias valles amoenas, nescio quas; nam certe Parnasum Pindumve, si tum ibi essent, eas remoraturum non fuisse, quin Gallo laboranti adessent, quandoquidem hi Musarum montes, ipsi clarissimi poetae misericordia affecti (cf. vs. 15), facile eas dimissuri fuissent, suum fletum cum fletu ceterorum coniuncturas.| 10. *indigno*, quare? cf. vs. 23 et v. 8, 18. — Alii *periret*.| 11. *iuga*, quia biceps erat P.| 12. Aganippe, fons in Helicone; v. 6, 65.| 13. v. 1, 39. — *lauri*: *etiam*, 3, 6. 8, 41. G. 1, 4. 341. 2, 86.| 15. montes Arcadiae.| 16. Theocr. 1, 74 sq. — Excusat bucolici carminis humilitatem, vel maxime excusandam apud eum, qui ipse summa carminum laude floreret. — Noli contemnere oves, quae ne nos quidem contemnunt, sed accedunt ad nos sensumque habent nostri doloris.| 18. Theocr. 1, 109. Adonis, iuvenis mirandae pulchritudinis fabulis poetarum celebratus.| 20. Menalcas bubulcus venit, uvidus ab aqua, in qua glandes, sub hiemem collectae bubusque pro pabulo praeberi in Italia solitae, asservabantur.| 21. Theocr. 1, 77 sq.| 22. *insanire*, *μαίνεσθαι*, Theocr. 2, 82. — *cura*, v. vs. 38.| 24 sq. Venit Silvanus, vetus Italicum numen agreste, agresti ornatu, puta pinea corona aut simili, redimitum habens caput, et manibus ferulas ac lilia gestans atque eundo quassans.| 26. *quem*

Sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit; Amor non talia curat:
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.
Tristis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus haec vestris, soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!
Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicumque furor, — quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigrae violae sunt et vaccinia nigra —
Mecum inter salices lenta sub vite iaceret;
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostis:
Tu procul a patria — nec sit mihi credere tantum! —
Alpinas ah, dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah, te ne frigora laedant!
Ah, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati tenerisque meos incidere amores
Arboribus; crescent illae, crescetis, amores.

vid. ipsi: addit haec poeta, quod Pan non facile se conspiciendum praebebat; poeta autem se tum una cum Gallo fuisse fingit. | 31. *ille*, Gallus. — *Tamen* ponitur interdum, ubi nos eo consolamur, quod amisso maiore aliquo commodo tamen non omnia amisimus; A. 4, 329. 10, 509. | 32. v. 2, 5. | 34. v. 5, 86. | 38. *furor*, ut *cura*, *ignis*, *flamma*, de puella vel puero amato. — *fuscus*, v. 2, 16. | 39. cf. 2, 18. | 40. *sub vite*, corona vitea redimitus; auctor Culic. vs. 74: „illum Tmolia pampineo subter coma velat amictu;" ubi iunge *subtervelat*, i. e. velat corona vitea, cuius frondes dependent. Sic captivi *sub corona*, i. e. corona ex more redimiti, vendi dicebantur. Sed missa haec omnia faciemus, si Virgilius scripsit (et opinor scripsisse) *inter calices*, i. e. *inter pocula* sive inter potandum; en suavissimam imaginem hominum festo die ruri feriantium, ad quam illustrandam adhibebis G. 2, 527 sq. | 43. *consumerer* optantis est. | 44. Hunc sequentesque versus ex carmine Galli translatos esse refert Servius; quot autem transtulerit poeta, non scribit; sex, ut videtur. — Particula *Nunc* h. l. rem rei modo propositae contrariam significat, nostrum *so aber*; G. 2, 55. A. 10, 630. — *ins. amor* Lycoridis; Servius „ex affectu amantis ibi se esse putat, ubi amica est, ut *me* sit animum meum." | 46. utinam *liceat* mihi non credere rem adeo horribilem. | 50. Servius „Ibo et Theocritio stilo canam carmina Euphorionis;" et v. 6, 72. — *Ibo* hic de eo dicitur, qui constituit occipere aliud quid; Francogalli similiter *j'irai chanter*. | 53. *pati*, durare, vitam sustinere; Lucan.

Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,
Aut acris venabor apros. Non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Iam mihi per rupes videor lucosque sonantis
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula. — Tamquam haec sit nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere discat!
Iam neque Hamadryades rursus nec carmina nobis
Ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae.
Non illum nostri possunt mutare labores,
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,
Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.
Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori.

Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides; vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subiicit alnus.
Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra;
Iuniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

5, 313 „disce sine armis posse pati.“ — Ceterum cf. 5, 13. | 55. *mixtis Nymphis*, i. e. cum N., s. permixtus N. cf. A. 10, 871. | 57. cf. G. 3, 409—13. — *Parthenius*, mons Arcadiae. | 59. *Partho*, Parthico. — Cydonia urbs Cretae; A. 12, 858 et v. 1, 55. | 60. *Tamquam* cet. Abiicit rursus id, quod modo probaverat, nihil prodesse sentiens. — Alii *sint.* | 61. *deus ille*, Amor. | 62. *Hamadryades*, cf. vs. 55. | 63. *concedite*, valete. | 64. *illum*, v. vs. 61. — *labores*, cf. vs. 52—59. | 65 sqq. Theocr. 7, 112—14. — v. 2, 22 et cf. 1, 63. — Hebrus fluvius Thraciae. | 66. Sithones gens Thraciae. | 72. facietis, ut Gallo sint gratissima. | 74. *se subiicit*, se attollit, crescit; ut *se subducere* i. q. decrescere 9, 7. | 76. Lucret. 6, 784 sqq. „Arboribus primum certis gravis umbra tributa, Usque adeo, capitis faciant ut saepe dolores, Si quis eas subter iacuit prostratus in herba.“

P. VIRGILI MARONIS

GEORGICON

LIBER PRIMUS.

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis
Conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem caelo quae ducitis annum;
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem

Georg L. I. 1—4. *Exponitur totius operis argumentum: agricultura et rusticatio libro I., arborum cultura l. II., res pecuaria l. III., res apiaria l. IV. tractabitur.* || 1. *quo sidere*, qua tempestate anni, cf. vs. 68. 208. 221. | 2. *Maecenati*, cuius hortatu Georgica scribere aggressus erat, 3, 41, poeta dedicat hunc librum, eidem Horatius Carmina, Sermones, Epistolas. — *vites*, pertinet hoc ad l. II., qui est de arboribus; ceterum v. E. 2, 70. | 3. *habendo pec.*, ad tuendum, i. e. servandum supplendumque, gregem; cf. 3, 159. 2, 178. | 4. *pecori; ap.*, v. E. 10, 13. — *parcis*, σπανίαις, 3, 403. quanta experientia requiratur, ut apiarium infrequens augeas. | 5. *Hinc*, i. e. ex his, horum partem, ut τῶν ἀμόθεν Hom. Od. 1, 10; modeste, non omnia enim, quae de re rustica commentari possit, persecuturum se significat, sed tantum, ut ait A. 1, 342, quaedam rerum fastigia.

5—42. *Invocatio numinum, a quibus poeta se in pangendo hoc carmine adiutum cupit.* | 6. sidera, Sol maxime, quorum decursu varia anni tempora efficiuntur; e verbis *Ferte pedem* vs. 11. repetes communem notionem: adeste mihi canenti. | 7. *si* crebro in invocatione et obtestatione habet locum, ut vs. 17. A. 4, 317. 6, 119. 9, 406. | 8. Ante inventas fruges glande homines vescebantur; Ovid. Met. 1, 106. Tibull. 2, 1, 37—43. — *Chaoniam*, v. E. 9, 13. — *pingui*, granis tumenti. | 9. Achelous Aetoliam separat ab Acarnania. Huic flumini omnium, ut ferebatur, antiquissimo is honor datus est, ut omnis ex aliquo fonte profluens aqua diceretur A c h e l o u s. Notus est autem veterum mos vini aqua temperandi; quare in dramate aliquo Achaei satyrico aegre ferentes Satyri, quod sibi vinum aqua mixtum daretur: „μῶν Ἀχελῷος ἦν κεκραμένος πολύς; | 10. *praes.* v. E. 1, 42. | 11. Dryades invocantur, quia sunt deae silvarum, in quibus greges pascuntur. | 12. v. E. 6, 1. Ipsam rem breviter narrat Ovid. Met.

Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
Ter centum nivei tondent dumeta iuvenci;
Ipse, nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
Adsis, o Tegeaee, favens, oleaeque Minerva
Inventrix, uncique puer monstrator aratri,
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum,
Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo semine fruges,
Quique satis largum caelo demittitis imbrem;
Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
Concilia, incertum est, urbisne invisere, Caesar,
Terrarumque velis curam, et te maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto,
An deus inmensi venias maris ac tua nautae
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
Panditur; ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpios, et caeli iusta plus parte reliquit;

6, 70 sqq. | 13. *Fudit*, v. A. 8, 139. | 14. Aristaeus, Apollinis et Cyrenes filius, quem alii Thessalum fuisse, alii Arcadem volunt, frugum et pascuorum curam habens, G. 4, 327 sq., inprimis in insula Cea, una de Cycladibus, Iovis Aristaei et Apollinis Nomii nomine cultus. — *nemorum*, quae paulo post *dumeta*, v. E. 1, 2. | 16. v. E. 10, 15. — *Ipse*, etiam tu, qui haud facile discedis a patria Arcadia; et diu in sola Arcadia cultus est Pan. | 18. Tegeaeus a Tegea, oppido Arcadiae, dictus. | 19. *puer*, Triptolemus, v. vs. 165. | 20. v. E. 10, 24. — *ab rad.*, ergo cupressum stirpitus evulsam; G. 1, 319. | 24. *Tuq. adeo*, tu potissimum, *besonders*, v. A. 4, 533. | 25. *urbis*, Romae. — *Caesar* Octavianus. — *urbis inv. curam;* proprie dicimus *gerere curam;* quia autem invisere res solemus, quarum curam gerimus, cum Nomine *curae* iungitur Verbum cognatae significationis *invisere;* v. A. 1, 340. Suet. Claud. 18 „Urbis curam sollicitissime egit.“ Horat. Serm. 1, 6, 34 „Urbem sibi curae fore.“ Apte coniungitur cum terris urbis mentio, quae caput non solum Romani imperii, sed terrarum habebatur. | 28. Fingit poeta orbem, i. e. qui incolunt orbem terrarum, venerationis causa Caesaris caput corona cingentem; *materna*, v. E. 1, 6. 5, 23 et cf. E. 7, 62; et myrtea corona Caesari tribuitur tamquam rerum naturae curam cum parente gentis Iuliae, Venere (cui sacra erat myrtus), suscepturo; nam Venus, ut ait Lucret. 1, 22 „rerum naturam sola gubernat.“ | 29. Servius „*venias* magis, quam *fias*, ut propriae magis sit, quam alienae potestatis.“ | 30. *sola*, posthabitis ceteris diis marinis. — *Thule*, una, ut videtur, ex insulis Shetlandicis, extrema pars orbis terrarum tum credita solique hominum Agricolae dispecta esse visa, Tac. Agr. 10. | 31. *omnibus undis*, omnis maris imperio tibi tradito, tamquam dotali. | 32. an novum sidus futurus sis, v. E. 9, 47; siderum decursu definiuntur anni tempora, menses, *tardi*, aestivi, qui propter longiores dies tardius decurrere videntur. | 33. Inter Erigonen, s. Virginem, et Chelas Scorpii, *sequentes*, quae illi a tergo sunt, vacabat locus, qui assignari Octaviano posset, novo Librae sideri, quod media aestate in caelo visitur, postea datus. | 35. *c. iusta plus*

Quidquid eris, — nam te nec sperant Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Quamvis Elysios miretur Graecia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem —
Da facilem cursum, atque audacibus adnue coeptis,
Ignarosque viae mecum miseratus agrestis
Ingredere, et votis iam nunc adsuesce vocari.
Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur et Zephyro putris se glaeba resolvit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
Illius inmensae ruperunt horrea messes.
Ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
Ventos et varium caeli praediscere morem
Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum,
Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,
Arborei fetus alibi; atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei,
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?

parte, plus, quam uni sideri in Zodiaco debetur. | 38. cf. Tibull. 1, 3, 58 sqq. | 40. *Da fac. cursum*, a navigatione hoc translatum; Ovid. Fast. 1, 3 sq. | 42. *Ingredere* viam mecum, quod repetes e vs. superiore, i. e. adsis mihi ingredienti v. — *votis* tertius casus, i. q. *in vota*, et v. A. 5, 234. || I. *Exponitur de iis, quae ante sementem agricolae facienda, vs.* 43—99: 1) *de tempore arationis ac de varia caeli solique natura ante arandum observanda*, 43—70; 2) *de agro variis modis recreando*, 71—93; 3) *de terra comminuenda*, 94—99. | 43. *canis*, quales sunt, cum nives liquescunt. Et cf. 2, 324—331. | 44. *putr. se g. r.*, resolvitur et ita fit putris. | 46—49. Forte ac densum solum, quale fere erat Italiae, ter, etiam quater, autumno primum, tum proximo vere, aestate rursusque autumno, arabatur; ita bis solem, bis frigora sentiebat. | 47. *avari*, cui vix ullus proventus frugum satis est; v. *Prooem.* Aeneidos v. 3. | 49. *Illius* segetis. — *ruperunt*, tota repleruut ita, ut rumpere ea posse videantur; et Perfectum *ruperunt* ex more poetarum positum est in re fieri solita, quo animus ab universa quadam rerum imaginatione ad intuendam unam quandam rem praesentem traducatur, ut I, 263. 287. 391. 2, 24. 499 sqq. 3, 104. 378. 4, 213. | 50. *ignotum* aequor appellat poeta, quod fingit hominem rudem in re rustica sibi instituendum, cui cum omnia, tum natura locorum ignota sit. | 51. *caeli morem*, aeris naturam, temperiem; *varium*, pro diversa regionum natura ac situ diversum. | 52. *cultus*, colendi rationem; *habitus*, ingenium agri; *patrios*, quasi hereditarios, cuiusque loci ab antiquissimo tempore proprios. | 56. *Tmolus*, Lydiae mons. — *croceos odores*, crocum odoratum. | 57. *Sabaei*, incolae Sabae, quae erat urbs felicis Arabiae; *molles*, effeminati, ἁβροί. | 58. *Chalybes*, populus Ponti in Asia minore; *nudi*, utpote in ferro cudendo occupati, A. 8, 425. | 59. tales, quales in ludis Olympiae, vico Elidis, celebrari solitis palmam s. victoriam reportant, i. e. longe praestantissimas; cf. A. 5, 339. Ut autem canes feminae meliores ad

Continuo has leges aeternaque foedera certis
Inposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri, glaebasque iacentis
Pulverulenta coquat maturis solibus aestas;
At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant laetis ne frugibus herbae,
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare novales
Et segnem patiere situ durescere campum;
Aut ibi flava seres mutato sidere farra,
Unde prius laetum siliqua quassante legumen
Aut tenuis fetus viciae tristisque lupini
Sustuleris fragilis calamos silvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenae,
Urunt Lethaeo perfusa papavera somno:
Sed tamen alternis facilis labor; arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola neve
Effetos cinerem inmundum iactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva,
Nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
Saepe etiam sterilis incendere profuit agros
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:

venandum habebantur, ita equae perniciores ad currendum.| 60—63. Continuo s. statim a rerum humanarum principio ita diversum esse locorum ingenium natura voluit; cf. E. 6, 41. — *foedera* cet.: quasi foedere facto tenetur quisque locus certis condicionibus a natura impositis.| 63. Redit poeta ad vss. 43 sqq.| 64. *prim. a mens. a.*, id, quod supra vs. 43 *Vere novo*, et v. 3, 304.| 66. *maturi soles*, quasi adulti, *ἀκμάζοντες*, i. e. calor solis ferventissimus.| 67. *tellus non fecunda*, solum arenosum, non pingue.| 68. Arcturus Nonis Septembr. exoritur. — *suspendere*, aratro suspenso, non alte depresso, terram leviter proscindere.| 69. *Illic*, in pingui solo; cf. 2, 251.| 70. *Hic*, in sterili; ne exiguus, qui est in tali solo, humor exsiccetur.| 71. *tonsas*, demessas, *novales*, i. e. agrum, qui alternis annis vacat et novatur, *Brachacker*.| 72. *situ*, otio, cessatione. — *duresc.*, dum non movetur, indurescit ac fortior fit. — Utilissimam eam rem, si ruris patientur spatia, appellat Plin. N. H. 18, 21, 187.| 73. *mut. sidere*, v. vs. 1, alio anni tempore, autumno.| 74. *prius*, verno tempore. — *quassante*, quae mota crepitat.| 75. *tristis*, amari, cf. 2, 247.| 76. *silvam*, densam calamorum multitudinem, ut vs. 152. — *sonantem*, utpote aridam.| 77. *enim:* Prodest alternare segetem; *nam* ne linum quidem, si alternis annis seritur, etsi urit agrum, nimis eum emaciabit, modo adhibeas stercorationem.| 78. cf. A. 4, 486.| 79. alterna, neque eadem semper, serendo facilis labor reddetur agro.| 83. Noli iungere *Nec nulla*, i. e. aliqua; sed *Nec* negat totam hanc sententiam „*nulla est i. g. terrae.*“ Atque sic non fiet, ut nulla sit agri gratia (nullus fructus), quae sane est nulla, si inaratus sit ager sive cesset; contra non carebis fructu, si seres alterna.| 84. *steriles agros*, effeti agri stipulam; v. vs. 297.|

Sive inde occultas viris et pabula terrae
Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium atque exsudat inutilis humor;
Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas;
Seu durat magis et venas adstringit hiantis,
Ne tenues pluviae rapidive potentia solis
Acrior aut Boreae penetrabile frigus adurat.
    Multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis
Vimineasque trahit cratis, iuvat arva; neque illum
Flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo;
Et qui, proscisso quae suscitat aequore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro
Exercetque frequens tellurem atque inperat arvis.
    Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,
Laetus ager: nullo tantum se Mysia cultu
Iactat et ipsa suas mirantur Gargara messis.
Quid dicam, iacto qui semine comminus arva
Insequitur cumulosque ruit male pinguis arenae?
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis,
Et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam

89. *caeca rel. Spir.*, occultos meatus (idem, quod *venae* vs. 91) aeri penetrabiles aperit, occlusos ante. | 90. *vias, qua*, ut A. 5, 590. | 92. Ne pluvia (si forte diuturnior erit) sua tenuitate occultissimos terrae meatus penetrans noceat; nocendi enim significationem repetes ex verbo *adurat;* satis autem crebra haec zeugmatis figura apud poetas. | 94. *inertes*, infecundas, nisi comminuuntur. | 95. *crates*, dentatas scilicet, occandi instrumentum. | 96. *flava*, ξανθή Graecis dicta. — Cui favent dii, eum *spectare*, respicere, dicuntur. | 97. Servius e Varrone: „Cum primo agri arantur, proscindi dicuntur, cum iterantur, obfringi, cum tertiantur [iacto semine] lirari. — suscitata terga, porcae. | 98. id fit autumnali tempore. | 99. *imperat arvis*, cogit quasi agrum, ut sit fecundus, cf. *Prooem.* Aeneidos vs. 3. || II. *Quae post sementem prosint futurae segeti, vss.* 100—159: 1) *commoda tempestas*, 100—103; 2) *glaebarum contusio*, 104—105; 3) *irrigatio aridi soli*, 106—110; 4) *depastio nimis laetae segetis*, 111—113; 5) *deductio nimii humoris*, 113—117; 6) *depulsio aliorum malorum, quibus segetes, ad excitandam hominum sollertiam, premi infestarique Iuppiter post auream aetatem voluit*, 118—159. | 100 sq. Plurimum prodest satis aestas non nimis sicca, hiems non nimis humida. | 102. Tali felicitate tempestatis fit, ut Mysia, etsi ibi nullus, i. e. perexiguus, cultus adhibetur agris, tamen tantum se iactet ac messes suas ipsa miretur. | 103. *Gargara* summa pars Idae, montis Mysii. | 104. *Quid dicam, qui*, ut infra vs. 111 et 113. A. 6, 141. 453. Est hoc genus quoddam breviloquentiae, quam ita explicabis: Quid dicam, *qualem messem* (cf. vs. 103) *habiturus sit*, qui sua ipse manu, *comminus*, i. e. rastro, quod manu tenetur, glaebas tenaciores et infecundas, *cumulos m. p. arenae*, per agrum iacentes aliam post aliam, *insequens*, contundit et quasi diruit? | 106 sqq Hom. Il. 21, 257 sqq. | 107. *ager m. a. herbis*, herbae in agro aestuantes moriuntur, s. aestu enecantur. | 108. *supercilium*, ὀφρύς Hom. Il. 20, 151, crepido montis. — *cliv. tramitis*, rivi, qui tramitis instar per clivum ductus est. |

Elicit? illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Cum primum sulcos aequant sata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Praesertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit et obducto late tenet omnia limo,
Unde cavae tepido sudant humore lacunae.
Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti, nihil inprobus anser
Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris
Officiunt aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni;
Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Praedarique lupos iussit, pontumque moveri,
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit,

110. *temperare* dicitur, qui iustum rebus modum adhibet; aquis temperat arva, qui tantum, quantum commodum est, humoris in arva arentia inducit. | 112. *ten. in herba*, dum tenera est h., necdum culmos agunt sata. | 113. quando sata ita cooperiunt sulcos, ut speciem praebeant continui aequoris, quale est pratorum; „cum sata sulcos contexerint" Colum. 2, 12. | 114. qui aquam in agro depressiore stagnantem facto sulco vel fossa deducit ad locum arenosum, quo absorbeatur. | 115. *incertis m.* veris et autumni, quod anni tempus incertae tempestatis est. | 116. *Exit*, A. 2, 496 sq. | 117. *sud. h.*, secundum consuetudinem diceres: exhalant humorem. | 119. *inprobus*, commune nocentium et rapacium bestiarum epitheton, avidam voracitatem indicans, ut A. 9, 62. 12, 250; omnino *improbus* est quisquis modum non servat proptereaque improbari potest; cornix assidue crocitans vs. 388; mons vehementissime incitatus A. 12, 687. Tum idem epitheton in laudem versum laborem inprimis acrem indicat infra vs. 146. De pervicaci studio insidiantis Arruntis A. 11, 767. Intelliges autem feros anseres, non domesticos. | 119—21. cf. vs. 155—57. | 120. *Strym.*, v. E. 1, 55. — Est et hortense intibum, et agreste; hoc πικρίς vocatur Graecis. | 121. *Pater ipse*, v. vs. 163. | 123. *Movit agr.* cet., fecit, ut moverentur, s. colendi agri necessitatem imposuit, excitans sollertiam ingenii humani per curam victus quaerendi. | 126. *signare*, lapide puta; *limite*, via, qua dirimuntur agri vicinorum; Ovid. Met. 1, 135 sq. | 127. *in med.*, v. 4, 157. | 128. v. E. 4, 18. — *liberius*: „quia supra (vs. 99) ait: imperat arvis." Servius. | 129. *atris*, atrum vocatur fere quidquid dirum, exitiosum, horrendum. Ceterum contra hoc malum theriaca sunt inventa, cf. vs. 133. | 130. *moveri*, procellis. | 131. v. E. 4, 30. — *ignem rem.* Hesiod. Ἔ. κ. Ἡμ. 50, ut eius usus ignoraretur, necesse igitur esset per artem eum reperire, silicis et ferri attritu. | 132. Iunge *rivis currentia;* Ovid. Met. 1,

Ut varias usus meditando extunderet artis
Paulatim, et sulcis frumenti quaereret herbam,
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton;
Tum laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda iam verberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor atque argutae lamina serrae, —
Nam primi cuneis scindebant fissile lignum —,
Tum variae venere artes. Labor omnia vicit
Inprobus et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit, cum iam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset robigo segnisque horreret in arvis
Carduus; intereunt segetes, subit aspera silva,
Lappaeque tribolique, interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenae.
Quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
Falce premes umbram, votisque vocaveris imbrem,
Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum,
Concussaque famem in silvis solabere quercu.

111. Sic abundantem vini copiam veteres declarare solebant.| 133. *usus*, necessitas, *χρεία, das Bedürfniss.*| 134. *frum. herb.*, ut E. 5, 26.| 135. ignem, quo torreri grana panisque coqui posset.| 137. Ad distinguenda sidera observabatur numerus stellarum, quibus quodque constaret. — *nomina fecit Pleiadas*, A. 3, 18. 693. 7, 63. Liv. 7, 22: „Quidam *Kaesonem*, alii *Gaium nomen* Quintio *adiiciunt.*“| 138. Arctos sidus, Ursa maior, Helice. Callisto, Lycaonis filia per Iunonem in ursam mutata ab Iove inter sidera relata fuerat.| 141 sq. *funda*, *βόλος*, minus rete, maius *lina*, everriculum, *σαγήνη*. — *verberat*, cum sonitu iacit fundam globulis plumbeis gravatam in amnem.| 142. *Alta*, Liv. 21, 28 „primus erat pavor, cum elephanti, soluta ab ceteris rate, in altum (*fluminis Rhodani*) raperentur.“| 143. *ferri rigor*, rigidum ferrum, ut vs. 162 „grave robur aratri.“| 144. qui primi scindebant lignum, scindebant cuneis.| 146. v. vs. 119. — Theocr. 21, 1.| 148. *sacrae s.*, ante ab omni violatione tutae intactaeque.| 149. *Dodona* quercetis nobilis; quanto humilior evasura fuisset oratio, si dixisset poeta: et victum querceta negarent.| 150. frumenta malis laborare coeperunt.| 151. *Esset*, adederet. — *segnis*, infecundus.| 153. v. E. 4, 51. — *nitere* dicuntur culta, squalere et horrere inculta.| 154. v. E. 5, 37.| 155. *Quod nisi*, quamobrem nisi. — Significatur sarritio, qua herbae nocivae eradicantur.| 157. *premes*, coercebis, *umbram* arborum vel fecundarum, quae per agros in Italia dispositae erant, vel sterilium, quae eosdem multis in locis circumdabant.|| III. *Varia praecepta*, *vss.* 160—203; 1) *de instrumento rustico et area*, 160—186; 2) *de indiciis futurae fertilitatis vel inopiae*,

Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma,
Quis sine nec potuere seri nec surgere messes:
Vomis et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra,
Tribulaque traheaeque, et iniquo pondere rastri;
Virgea praeterea Celei vilisque supellex,
Arbuteae crates et mystica vannus Iacchi.
Omnia quae multo ante memor provisa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in silvis magna vi flexa domatur
In burim et curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic ab stirpe pedes temo protentus in octo,

187—192; 3) *de medicandis seligendisque seminibus*, 193—203. || 160. *arma*, i. e. instrumentum rusticum. | 162. v. vs. 143. aratro gravi robustoque opus erat ad solum densum, quale fere est Italiae, perrumpendum. | 163. *volventia:* Verba transitiva saepe sine obiecto, quod dicitur, ita ponuntur, ut actio, quae tali verbo significatur, sola per se spectetur, ut *amare* E. 8, 108 (unde *amare inter se*, *complecti inter se*, A. 5, 766), *dicere* verba facere, *dissimulare* dissimulatione uti A. 1, 516, *turbare* ταρβεῖν, ταράττεσθαι, A. 6, 801; h. l. *volventia* rotarum lapsu se circumagentia, tum *movere* et *vertere* motum et versionem (?) facere, si ita loqui liceat, similiterque cetera, ut *lavare*, *insinuare*, *iungere*, *urgere*. — *tarda volv.*, pro *tarde v.*, ut 2, 377 *gravis incumbens aestas*, 3, 28 *magnum fluentem Nilum*, A. 3, 70 *lenis crepitans Auster*, 8, 559 *inexpletus lacrimans*. — *Eleusinae matris*, Cereris Eleusine maxime cultae; huic et agricultura, quam ipsa invenit, et quae ad illam pertinent, sacra sunt. Matris autem nomine Deae interdum, cf. A. 3, 111. 9, 619, ut Dii saepe patres, genitores, cf. vs. 121. 2, 4. 4, 369. A. 1, 155. 5, 14. 7, 327. 12, 703, honoris causa appellantur; et *ipse pater* non adiecto dei nomine est *Iuppiter*, ut vs. 121. A. 2, 617. | 164. Varro R. R. 1, 52 „tribulum fit (1) e tabula lapidibus aut ferro asperata, quae imposito auriga aut pondere grandi trahitur iumentis iunctis, ut discutiat e spica grana, aut (2) ex assibus (s. axibus) dentatis cum orbiculis.“ horum generum quod priore loco positum est, traheam videtur Virgilius dicere. — *iniquo p. rastri*, admodum ac paene nimis graves; cf. 3, 347. | 165. Triptolemum, Eleusinium, arationem ac sationem frugum docuerat Ceres, Ovid. Met. 5, 642 sqq.; Cĕlĕŭs, illius pater, ab eadem Dea didicerat crates, cf. vs. 95, vannum, corbes, qualos, cet. ex virgis s. viminibus texere. — *v. mystica*, dicta a mysteriis Eleusiniis, portabatur cum primitiis frugum in pompa Iacchi (hoc erat mysticum nomen Bacchi), quam Athenienses certo die Eleusinem ducebant; et ut vanno grana a palea purgantur, ita haec mystica vannus signum fuit animarum per mysteria purgandarum. | 168. *divini:* ut philosopho sapientia, artifici ars sua, alia aliis divina videntur et dicuntur, ita ei, qui praeter cetera amat rem rusticam, rus. | 169. *Continuo* spectat ad rerum principia; non caesa iam, sed statim in silvis, dum iuvenis est et tenera, ulmus inflectitur, ut crescens sponte accipiat formam burae; 3, 75 „*Continuo* pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur;“ i. e. statim, ubi incipit pullus incedere, ingreditur altius. Interdum explicatur illud *continuo* sententia per relativum adiuncta, ut 1, 60 *quo tempore*, 3, 271 *ubi*. | 170. *aratri* hic idem, quod *burae*, quae quod praecipua pars aratri habetur, propterea *aratrum* interdum pro solius burae nomine ponitur. | 171 sq. *ab stirpe p. t. p. i. o.*, intellige temonem ita factum ex arbuscula aliqua, ut ab ima stirpe recisus amputata summitate in octo pedum longitudinem se protendat. — Burae aptantur temo octo pedum, binae aures et dentalia; *aures* duae tabulae inferiori burae parti utrimque applicatae, quibus sulcus latior, porca, s. eruta inter duos sulcos terra, altior efficitur; *dentalia*, ima pars aratri, duo

Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque fagus
Stivaque, quae currus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora fumus.
Possum multa tibi veterum praecepta referre,
Ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti aequanda cylindro
Et vertenda manu et creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat,
Tum variae inludant pestes: saepe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti fodere cubilia talpae;
Inventusque cavis bufo et quae plurima terrae
Monstra ferunt; populatque ingentem farris acervum
Curculio atque inopi metuens formica senectae.
Contemplator item, cum se nux plurima silvis
Induet in florem et ramos curvabit olentis:
Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore;
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequiquam pinguis palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentis
Et nitro prius et nigra perfundere amurga,

crura lignea, quibus extrema buris immissa, quibusque in fine coeuntibus ferreus dens vomeris inductus; his tribuitur *dorsum*, quod vomeris dens indutus est illorum extremae parti velut capiti, a quo, ut in equis, tauris, *cet.* longum dorsum protenditur. | 172. *ante*, cf. vs. 167. | 173. *iugo levis*, leve ideoque iugo aptum lignum. — *fagus Stivaque*, i. e. stiva faginea, s. caeditur fagus, unde stiva fiat. Crebro Virgilius tali utitur epexegesi, sive hendiadyn appellare mavis, ut E. 2, 8: *umbras et frigora*, i. e. umbras frigidas; G. 1, 335: *caeli menses et sidera*, signa caelestia menses et tempestatem regentia; 2, 192: *pateris libamus et auro*, i. e. pateris aureis; ib. 477: *caeli vias et sidera*, i. e. cursum siderum in caelo; 486: *O ubi campi Spercheosque*, i. e. campi Sperchei; A. 7, 751: *fronde et felici comptus oliva*, i. e. felici olivae fronde. | 174. Stiva quam tenens arator regit et vel attollit vel deprimit aratrum. — „*currus* dixit poeta propter morem provinciae suae, in qua aratra habent rotas," Servius. — Alii *Stivae, quae currus.* | 175. *explorat r.*, temptat quodammodo, ut de bonitate ligni inde constet; nisi enim firmum et probum sit, exarescens rimas aget. | 177. *ten. curas*, etiam tenuia illa opera, quae curanda sunt rusticis. | 178. *cum primis*, inprimis. — Area veterum erat locus in ipso agro, patens et editus, qua ventus perflare posset, solidus atque complanatus. | 180. *vinci* pulvere dicitur area, quae passim in pulverem solvitur et ita fatiscit. | 181. *pestes*, cf. 3, 419. — ut h. l. monosyllaba vox in exitu versus posita tamquam adumbrat exiguitatem, ita alibi (*divom pater atque hominum rex*) augustam quandam magnitudinem, vel gravitatem ac pondus (*procumbit humi bos*), vel altitudinem silentii (*intempesta silet nox*), vel rei quandam amplitudinem (*ruit Oceano Nox*), quae ut varia sunt, ita varie afficiunt animum legentis. | 187. *nux*, intelliges amygdalam arborem. — iunge *plurima induet*, i. e. plurimo flore se induet. | 189. *superant*, abundant, magna est copia, cf. 2, 331. | 190. *calore* solis, qui exarescere faciens aristas adiuvat trituram. | 192. *pingues palea*, non granis. — *teret a.*, v. 2, 59. | 193.

Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset,
Et, quamvis igni exiguo, properata maderent.
Vidi lecta diu et multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quot annis
Maxima quaeque manu legeret. Sic omnia fatis
In peius ruere ac retro sublapsa referri;
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si bracchia forte remitit
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
Pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas
Et medium luci atque umbris iam dividit orbem,
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis,
Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem;
Nec non et lini segetem et Cereale papaver
Tempus humo tegere, et iamdudum incumbere aratris,

medicare, inficere, sc. nitro diluto et amurca. | 195. *fallacibus*, spem saepe fallentibus. | 196. ut, cum coquuntur, citius mollescant. | 197. *spectata*, inter legendum explorata. | 198. *vis h.*, opera humana. | 199. *fatis*, fatali quadam, quae regnat in rerum natura, necessitate. | 200. *ruere*, Infinitivus absolutus: ruere solent; ut 4, 134. 140. A. 4, 422. 11, 822. — *retro subl. r.*, iunge: *retro referri*, sic *retro* saepe pleonastice cum verbis a *re* .. incipientibus iungitur, cf. A. 9, 794 et 797; repetita est haec locutio, id quod subiecta comparatio docet, a navigio, quod adverso flumine subactum cessante remige *sublabitur*, i. e. deorsum labitur s. secundo flumine abripitur; significantur autem his verbis res in deterius mutatae; similiter nos: *es geht zurück.* | 201 sqq. Non aliter, quam si, qui summa virium contentione vix promovet lembum obnitente adversi fluminis vi, laborem remigandi remiserit atque *retro refertur* et in praeceps rapitur. || IV. *Quibus quodque opus temporibus faciendum sit, vss.* 204—310. 1) *quando serendum,* 208—230; 2) *quando omnino praecipua opera rustica fieri debeant, disci ex annuo solis decursu,* 231—256; 3) *quae facienda sint, cum pluat,* 257—267; 4) *quae diebus festis,* 268—275; 5) *quae singulis mensium diebus,* 276—286; 6) *quae noctu,* 287—296; 7) *quae interdiu, vel aestivo, vel hiemali tempore,* 297—310. | 204—7. Agricolis siderum ortus et occasus (*dies*) non minus sunt observandi, quam navigantibus. | 206. in patriam, Italiam, ex Asia redeuntibus; et nota sunt Bithyna negotia ex Horat. Epist. 1, 6, 33. — *vectis*, qui vehuntur, ut *tunsae*, quae tunduntur, A. 1, 481, *commissos*, ἀρχομένους, A. 5, 113, *quaesitum*, ζητούμενον, 9, 565. | 208—214. hordeum, linum, papaver serendum esse ab aequinoctio autumnali, cum sol Librae sidus ingressus est, usque ad brumam s. solstitium hiemale, i. e. VII. Kal. Ianuar. | 208. *die* antique pro *diei*. — *pares*, et dies et nox in duodenas horas apud Romanos divisa erat, sed aequinoctii tantum tempore aequales; ubi longior erat dies nocte, longiores etiam erant horae diurnae; ubi nox longior die, longiores erant horae nocturnae diurnis. | 209. *orbem*, caelum; ubi Sol et Nox per aequale temporis spatium tenent caelum. | 211. *extremum,* quia ipsa bruma in extremum anni tempus incidit; v. E. 9, 46. | 212. *Cereale p.*, sacrum Cereri; et saepe Ceres fingebatur papaver tenens. | 213. *Tempus iamd. inc. aratris*, quasi dixeris: incumbite

Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt sulci et milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus et adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum solisque instabis aristis,
Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae,
Debita quam sulcis committas semina quamque
Invitae properes anni spem credere terrae.
Multi ante occasum Maiae coepere; sed illos
Exspectata seges vanis elusit aristis.
Si vero viciamque seres vilemque phaselum
Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
  Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent caelum zonae; quarum una corusco
Semper sole rubens et torrida semper ab igni;
Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur,
Caerulea glacie concretae atque imbribus atris;

aratris, idque non tum demum, sed iamdudum faciendum; v. A. 2, 103. | 214. *sicca tellure*, Ablat. abs. *αὐχμηροῦ ὄντος τοῦ ἀγροῦ*, ut *caelo sereno* vs. 260, *magno murmure virorum* A. 5, 369. | 215. *putres*, v. 2, 204. | 216. *ann. cura*, satio. | 217 sq. Colum. 11, 2, 36 „XV. Kal. Maias sol in Taurum transitum facit. ... Pridie Kal. Maias Canis se vespere celat.“ — *aperit annum;* eo enim anni tempore terra quasi reclusa et aperta novos flores herbasque profert. — Canis tum quasi cedens Tauro, tamquam adversa fronte et cornibus minanti, occidit. | 219. *robusta*, tempestatis vim et iniuriam melius, quam alia frumenti genera, ferentia. | 220. *inst. aristis*, ei generi, quod aristas gignit, operam dabis. | 221. Pleiades s. Vergiliae, Atlantis filiae; occidunt III. Id. Novembres matutino tempore, unde dicuntur Eoae. | 222. Gnosus, nobilissima urbs Cretae; et appellatur sidus Coronae a corona Ariadnes, Cressae s. Gnosiae, Minois regis filiae, a Baccho in caelo collocata; occidebat autem exeunte mense Novembri, ut ait Democritus Geop. 2, 14. | 225. *ante occ. Mai.*, i. e. Pleiadum, e quibus una est Maia. | 226. Quintilianus, hunc ipsum versum, ut videtur, respiciens, 1, 3, 1 „imitatae spicas herbulae inanibus aristis ante messem flavescunt.“ | 227. *vilem*, minimo parabilem, propter frequentiam. | 228. Pelusium urbs Aegypti; lentis autem magna praestantia et copia in Aegypto; v. E. 1, 56. | 229. Bootes, s. Arctophylax, occidit exeunte mense Octobri. | 231 sq. *Idcirco*, ut ex annuo solis per zodiacum decursu operis rustici tempora definiri possint. — Sol singula deinceps astra zodiaci ingrediendo facit, ut ipse cum his XII astris, s. *per* ea, anni tempora regat, i. e. definiat, et certis partibus dimetiatur s. describat. — *astra mundi*, caeli. | 233. *zonae* hic sunt caeli quaedam regiones, quibus eae terrae partes subiectae sunt, quas zonarum nomine definimus. | 234. Transtulit haec poeta ab Eratosthene: „*ἡ δέ μία ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς οἷον ἐρυθρή.*“ | 235. *trahuntur*, extensae sunt. | 236. *concretae*, i. e. concretam ex aqua glaciem habentes, glacie rigentes; *imbribus* per zeugma adiungitur; *atris*, cf. A. 3,

Has inter mediamque duae mortalibus aegris
Munere concessae divom; et via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Rhipaeasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyae devexus in austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.
Maxumus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
Circum perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui.
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,
Semper et obtenta densantur nocte tenebrae;
Aut redit a nobis Aurora diemque reducit,
Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio praediscere caelo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
Et quando infidum remis inpellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere classis,
Aut tempestivam silvis evertere pinum.

195.| 237. *mort. aegr.*, *δειλοῖσι βροτοῖσιν* Hom. Od. 11, 19.| 238 sq. Zodiacus *obliquus* dicitur, quia sidera, quibus constat, per obliquam illam Solis viam, quae linea ecliptica vocatur, disposita sunt. — *secta*, quia via similis est secturae, quippe dirimens ea, quae utrimque adiacent. — *per*, i. e. inter ambas; sic *per* saepe spectat ad rem, quae media extenditur inter duas alias.| 240 sq. Significatur pars caeli septemtrionalis et australis, i. e. polus arcticus et antarcticus; *mundus*, caelum, ut vs. 232; *Rhipaei* montes in ora Scythiae ultra Tanaim; v. G. 2, 535. Ceterum haec, ut multa apud veteres poetas, ad vulgarem opinionem atque ad quandam speciem rerum, non ad veritatem, accommodata sunt.| 242 sq. *Hic vertex*, polus arcticus, supra nos eminet (proptereaque nobis est semper conspicuus), contra polus antarcticus sub pedibus est nobis eumque suspiciunt *οἱ ἀντίχθονες* s. *ἀντίποδες*. Servius ad A. 6, 532: „Antipodes, quantum ad nos spectat, Inferi sunt, sicut nos illis.“ Eodem referes, quod ipse Virg. de iis dicit, qui in Elysio degunt, A. 6, 641: „solemque suum, sua sidera norunt;“ cf. etiam infra vs. 249 sqq.| 244 sq. *hic*, in polo arctico, sidus Draconis, sinuosum fluminis cursum imitans, inter Ursam maiorem et minorem, s. Helicen et Cynosuram, positum ultra utramque porrigitur.| 246. Arcti numquam occidunt; sidera occidentia, ut ipse sol, saepe dicuntur poetis in mare descendere; *metuentes*, quasi ab hoc sibi caveant, quod numquam faciunt.| 247. *Illic*, sub polo antarctico. — Ceterum v. vs. 181.| 248. v. A. 6, 716.| 250. aurae matutinae ante orientem diem flantes tribuuntur anhelationi appropinquantium equorum Solis, ut A. 5, 739.| 252 sqq. Ex hoc Solis per Zodiacum decursu discimus, quando hiems, quando aestas, quando ver instet; quod anni tempus navigationi aptum sit, cet. — *dubio c.* i. e. quando caeli facies incertum relinquit, qualis futura sit tempestas.| 254. Hoc versu videntur parva navigia significari, quae tantum remis aguntur, qualia sunt piscatorum, proximo maiores naves omni velorum apparatu instructae. — *deducere*, v. A. 3, 71.| 256. *temp. evert. p.*, materiem tempestive caedere. Facile intelligitur non exigi ab indoctis hominibus, quales fere sunt rustici, observationem siderum; at reperiebant illi, quae huc spectabant, omnia in fastis astrologorum (v. E. 3, 40) aut in kalendariis notata, quale composuit Colum. 11, 2, ubi etiam, quae tempestas cuiusque temporis pro-

Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quattuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa, forent quae mox caelo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit arator
Vomeris obtunsi dentem; cavat arbore lintres;
Aut pecori signum aut numeros inpressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornis,
Atque Amerina parant lentae retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga;
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas et iura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti praetendere saepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Saepe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens
Incusum aut atrae massam picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felicis operum. Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat, saevumque Typhoea,
Et coniuratos caelum rescindere fratres.
Ter sunt conati inponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum;
Ter Pater exstructos disiecit fulmine montis.

pria sit, perscriptum est. | 258. *parem*, in quattuor aequalia spatia, ver, aestatem, autumnum, hiemem, divisum. | 259. *continet*, domi tenet. | 260. v. vs. 214. — *properantur*, quae properanter, *maturantur*, quae tempestive et ordine fiunt. | 261. *proc.*, procudendo acuit. | 262. *lintres*, intellige hic vasa lignea concava, Tib. 1, 5, 23. | 263. *signum*, infra 3, 158. — *num. inpr.*, imponit tabellas, quibus inscriptum, quot sint modii; et v. vs. 49. | 264. ad vites sustentandas, v. 2, 359. | 265. Ameriae, oppido Umbriae, multa erat salix. | 267. frumentum, ut facilius moli (frangi saxo molari) posset, torrebatur; A. 1, 179. | 269 sqq. Haec et plura similia libris Pontificum exposita persequitur Colum. 2, 22. | 270. *Relig.*, interdictum, quod vetat fieri, quod contra religiones sit, *Religionsverbot.* | 272. *salubri*, ergo valetudinis, non purgandae lanae causa tum id facere licebat. | 274. *lapidem*, puta molarem. | 275. *incusum*, qui cudendo aptus factus est ad molendum; *urbe*, v. 4, 88. — pice opus erat et ad vasa picanda et ad mustum condiendum, Colum. 12, 22 sq. | 276 sqq. Alius dies alii rei aptus; alius praeterea felix, alius infelix. | 277. *fel. op.*, ad opus rusticum persequendum. — *quintam*, licet praecesserit „*dies alios*"; cf. Tib. 3, 6, 32. — *Orcus*, Pluto. | 279. tum creati sunt C. et I., *proles* Terrae; v. E. 8, 45. Titanes sunt, Caeli Terraeque filii, Coeus et Iap.; Typhoei pater Tartarus; Typhoeā. | 280. *fratres*, [illegible] Aloidae, Hom. Od. 11, 305 sqq., vel Gigantes, Ovid. Met. 1, 151 sqq. | 280 sq. Rei incredibilis magnitudo conatusque difficultas per tarditatem numerorum duplicemque hiatum feliciter expressa. Pelion, Ossa, Olympus, montes Thessaliae. — *Scilicet* indicat [illegible] rei vel novitate (ut 2, 245. 3, 266) vel magnitudine

Septuma post decumam felix et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telae
Addere; nona fugae melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut cum sole novo terras inrorat Eous.
Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
Tondentur; noctes lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignis
Pervigilat ferroque faces inspicat acuto;
Interea longum cantu solata laborem
Arguto coniunx percurrit pectine telas,
Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem
Et foliis undam trepidi despumat aeni.
At rubicunda Ceres medio succiditur aestu,
Et medio tostas aestu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hiemps ignava colono.
Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant;
Invitat genialis hiemps curasque resolvit:
Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus
Et lauri bacas oleamque cruentaque myrta;
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere dammas,

(ut 2, 534) vel, ut hic, utraque percussum animum loquentis.| 284. v. E. 5, 1.| 285. *prensos*, cf. 3, 207. — *lic. telae addere*, annectere, i. q. telam ordiri; Tib. 1, 6, 79.| 286. *fugae*, servorum.| 287. *dat se aliquid*, quod pro re nata evenit; Ter. Hec. 3, 3, 20 „Omnibus nobis ut *res dant sese*, ita magni atque humiles sumus;" i. e. ut cuique evenit; A. 4, 627 „*dabunt se* vires," suppetent, contingent. Ceterum v. vs. 49.| 288. *Eous*, Lucifer. — *inrorat*, G. 3, 324 sqq.| 290. *lentus*, qui lenta, flexilia et molliora reddit, quae secantur, cum ante arida fuissent et rigida.| 291. *quidam*, ut *τίς*, i. q. sunt, qui *cet.*| 292. cf. E. 7, 49 et 8, 29.| 293. *solata*, solans, ut vs. 339. 4, 72. A. 5, 708.| 294. A. 7, 14.| 295. Versus, qui vocatur hypermetrus; sed ultima syllaba eliditur; cf. 3, 242. A. 5, 422. — *Volcano*, igne, A. 2, 311, ut Mars pro bello vel armis, Ceres pro frugibus, Bacchus pro vino et vitibus, Neptunus pro aqua, Venus pro amore, Minerva pro tela; cf. Cic. de N. D. 2, 23, 60. — Significatur mulier defrutum faciens.| 296. *trepidi* ex aestuante musto.| 297. Sata cum rubicundum colorem traxerunt, messis facienda est. — *succiditur* sub ipsis scilicet spicis, quae in corbes colligebantur, Liv. 22, 1, relicta stipula, quae vel post secaretur, cf. vs. 289, vel cremaretur, cf. vs. 85. — *medio aestu* Servius: „per diem, quando aestus est."| 298. v. vs. 192.| 299. *Nudus*, i. e. tunica tantum indutus, eo quidem anni tempore, quo sol nondum desiit fervere; cf. Hes. *Ἔργ.* 391.| 303. Tib. 1, 3, 40.| 304. Puppes navium portum ex itinere intrantium coronari solebant. — *pressae*, onustae.| 305. *Sed tamen: quamquam* ignava est hiems, *tamen* non deest, quod per eam agere liceat; cf. A. 3, 541. — Ceterum v. E. 10, 20.| 306. bacis lauri et nigrae myrti utebantur ad vinum oleumque condiendum. — *cruenta*, Servius: „quia matura cruoris imitantur colorem."| 307. *grus* gulosis

Stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
Cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudunt.
Quid tempestates autumni et sidera dicam,
Atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
Quae vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver,
Spicea iam campis cum messis inhorruit, et cum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis
Agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere proelia vidi,
Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublimem expulsam eruerent; ita turbine nigro
Ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantis.
Saepe etiam inmensum caelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectae ex alto nubes; ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit; inplentur fossae, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse Pater media nimborum in nocte corusca
Fulmina molitur dextra; quo maxuma motu
Terra tremit; fugere ferae, et mortalia corda
Per gentis humilis stravit pavor; ille flagranti

accepta.| 309. Baleares nobilissimi funditores; v. E. 1, 55. || V. *De tempestatibus, vs.* 311—463; *quando ingruant,* 311—334; *quid propterea observandum agricolis,* 335—350; *signa futurae tempestatis,* 351—463. *Episodium de miseria, variis signis, maxime per solem, prodita, quae post Iul. Caesaris mortem Romanos afflixit,* 463—497. *Postremo, ut saltem Caesarem Octavianum servent, deos precatur poeta,* 498—514. || 311—315. Tempestates maxime sub initium autumni et exitum veris ingruunt. — *aut. sidera,* quia ad siderum ortus et occasus tempestatum tempora atque etiam causas referebant.| 312. *mollior aest.*, lenior s. cum iam remissior est calor solis.| 313. *vigilanda,* providenda, cf. vs. 335 sqq. — *ruit,* ad finem festinat.| 314. *inhorr.* v. A. 1, 165.| 316 sqq. Interdum etiam media aestate turbida est tempestas.| 317. Stringere interdum dicitur, qui poma, bacas, oleas decerpit; hinc *stringere hordea,* qui spicas hordeaceas falce resecat, v. vs. 297.| 319. *gravidam* granis; et v. vs. 20.| 320. eruerent et sublimem eiicerent, atque *ita,* i. e. erutam, ferrent.| 322. *caelo venit,* tendit ad caelum, v. 2, 206. — *agmen* densitatem et quandam continuitatem significat.| 323 sq. Collectae ex alto, i. e. ex mari sive vaporibus marinis nubes contrahunt et quasi conglobant (*glomerant*) foedam tempestatem, gravidam densissimis imbribus; sed *imbribus* proprie i. q. *per imbres,* quandoquidem coacti vapores imbrem gignentes efficiunt tempestatem. — ruere caelum dicebatur, cum vehementer plueret; cf. 2, 325 sq. — Ceterum observa numeros s. rhythmos versuum 323—327 cum ipsa re, quae describitur, mire concinentes.| 325. *ἔργα βοῶν* Hes. *Ἔργ.* 46.| 326. *fossae,* colliciae, quales vs. 114 commemorantur, cf. vs. 372. — *cava,* non repleta, quorum alvei plane aut fere sicci ante fuerant.| 327. *spirantibus,* aestuantibus, ut A. 10, 291. *fretis, σάλῳ,* ut vs. 356.| 329. *moliri,* proprie cum vi movere, cum vi iactare, ut hic et 4, 331; *terram* vs. 494, i. e. vertere; tum de omni conatu aut operis alicuius susceptione; *insidias avibus* vs. 271, *arcem* A. 1, 424. — *quo motu,* qua re commota T. tr.; v. A. 2, 171.| 330. v. vs. 49.| 331. *humilis* ipse dicitur pavor, quia sternit, affligit hominum

Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deiicit; ingeminant austri et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens caeli menses et sidera serva;
Frigida Saturni sese quo stella receptet;
Quos ignis caelo Cyllenius erret in orbis.
In primis venerare deos, atque annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis,
Extremae sub casum hiemis, iam vere sereno.
Tum pingues agni, et tum mollissima vina;
Tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho;
Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus inconpositos et carmina dicat.
　　Atque haec ut certis possemus discere signis,
Aestusque, pluviasque, et agentis frigora ventos,
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret;
Quo signo caderent austri; quid saepe videntes
Agricolae propius stabulis armenta tenerent.
Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti

animos.| 332. *Athos* Macedoniae, *Rhodope* Thraciae, *Ceraunia* Epiri montes; cf. Theocr. 7, 77.| 334. *plangunt*, plangorem, sonitum edunt.| 335. v. vs. 178. — *serva*, observa, sidera zodiaci.| 336. Observa etiam planetas. Servius: „Saturnus in Capricorno facit gravissimas pluvias, praecipue in Italia, in Scorpio grandines.“| 337. cf. A. 8, 138 sq. *In orbes errare* dicitur Mercurius, quippe qui ex planetis, si Lunam exceperis, minimum orbem, intra spatium dierum 87 et 23 horarum, percurrat; itaque plures orbes peragrat, dum Saturnus maximum orbem, intra spatium annorum 29, dierum 166 et horarum 19, peragit. Bene igitur ad omnes planetas notandos Saturnus et Mercurius delecti.| 338 sqq. In primis sunt dei, Ceres maxime, agricolis venerandi, ut avertant immodicas tempestates; Hes. Ἔργ. 465 sq.| 339 sq. Significantur Ambarvalia, v. E. 3, 77. 5, 67 et 75. *operatus*, v. vs. 293.| 341. v. E. 10, 13.| 341. Hes. Ἔργ. 585. *pingues*, quales epulis aut sacrificiis sunt apti. — Tum vinum, superiore anno conditum, exuta asperitate mite et lene est.| 344. Diis agrestibus lac, mel, vinum libari solebat.| 345. *felix*, pura ac diis grata propter eaque portendens felicia. — *eat:* cornu ducebatur hostia aut laxo fune, ut sponte ire videretur, non, quod mali erat ominis, reluctans.| 346. *chor. et soc.*, chorus sociorum.| 347. *clamore:* veteres, nisi res contrarium exigebat, non solebant clam aut voce submissa precari, v. A. 4, 681. 9, 403. Tib. 2, 1, 84 et 4, 5, 20. Soph. El. 637—640.| 347 sqq. *neque ante* cet. alterum sacrum Cereri ante ipsam messem offerebatur; id coniunctum erat cum incondita saltatione, qualis Satyrorum fuit E. 5, 72; q u e r n a   c o r o n a in memoriam revocabat pristinum victum, Cereris beneficio mutatum, cf. vs. 147 sqq.| 351. *haec*, sc. aestus, pluvias, ventos. — Alii *possimus*.| 352. v. E. 4, 51.| 354. *quid s. vid.*, quo viso indicio moniti.| 356 sqq. En agitationem, fragorem, murmur vel numeris vel verborum sono ex-

Incipiunt agitata tumescere et aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Litora misceri et nemorum increbrescere murmur.
Iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolant ex aequore mergi
Clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae
In sicco ludunt fulicae, notasque paludis
Deserit atque altam supra volat ardea nubem.
Saepe etiam stellas, vento inpendente, videbis
Praecipitis caelo labi noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus,
Saepe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summa nantis in aqua colludere plumas.
At Boreae de parte trucis cum fulminat, et cum
Eurique Zephyrique tonat domus: omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam inprudentibus imber
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aeriae fugere grues, aut bucula caelum
Suspiciens patulis captavit naribus auras,
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et veterem in limo ranae cecinere querelam.
Saepius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter; et bibit ingens
Arcus; et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Iam variae pelagi volucres, et quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat inproba voce
Et sola in sicca secum spatiatur arena.
Ne nocturna quidem carpentes pensa puellae

pressum. Et v. vs. 169 et 327. | 357. *aridus fr.*, qualis lignorum aridorum, cum franguntur, Hom. Il. 13, 409 et 441. E. 8, 82. | 360. *male*, vix, vel non; infra vs. 448. | 365. *ἀκοντισμὸς ἀστέρων*, A. 2, 693 sq. 5, 527 sq. | 369. *colludere*, moveri inter se saltantium modo. | 370 sq. Quando ab omni caeli parte fulminat et tonat. | 372. v. vs. 326. | 373. *legit*, colligit, contrahit. — Agricolis imber supervenire non potest imprudentibus, i. e. quin ante provideant. | 375. *aeriae*, alte volantes, Hom. Il. 3, 7. v. E. 1, 59. grues, cum imber ingruit, petunt valles; quare iunge *vallibus fugere*, i. e. in vallibus absconditae vitant imbrem, cf. 4, 474; ceterum v. vs. 49. | 378. *vet. querelam*, quod, qui antea homines fuerant, facti sunt ranae; Ovid. Met. 6, 317—381. | 380 sq. Iris aquam trahere credebatur, Tib. 1, 4, 44. Ovid. Met. 1, 271. | 383. Alii *varias*. — *quae*, cycnos puta. Asia prata, tractus paluster Lydiae ad Caystrum; Hom. Il. 2, 461. | 387. *lavandi incassum*, temere, quia humor non penetrat ad vivum. | 388. vocare pluviam dicitur, quae eam denuntiat. — *inproba*, v. vs. 119. | 389. *sola*

Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent
Scintillare oleum et putris concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere et certis poteris cognoscere signis:
Nam neque tum stellis acies obtunsa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,
Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri;
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
Dilectae Thetidi alcyones, non ore solutos
Inmundi meminere sues iactare maniplos.
At nebulae magis ima petunt campoque recumbunt,
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequiquam seros exercet noctua cantus.
Adparet liquido sublimis in aere Nisus,
Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo;
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant, et saepe cubilibus altis,
Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti,
Inter se in foliis strepitant; iuvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcisque revisere nidos;
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium aut rerum fato prudentia maior;
Verum, ubi tempestas et caeli mobilis humor
Mutavere vias et Iuppiter uvidus austris
Densat, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat,
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,

secum, *αὐτὴ καθ' ἑαυτήν*, *für sich allein.* | 391. *testa*, lucerna fictilis. | 393. *ex imbri*, simulatque imber cessat. — *aperta*, nubibus non obducta, A. 1, 155. | 396. neque oriens Luna rutilantibus Solis occidentis radiis obnoxia est, i. e. rubicundum inde trahit colorem. | 397. *Tenuia*, dactylus, ut *u* pro consona sit, ut A. 12, 905. — *lanae vellera*, nubeculae lanis similis, quas Germani oviculas appellant. | 400. *meminere*, quasi obliti, quod alias facere solent. — manipulos, puta graminis vel straminis; *iactare solutos*, ita iactare, ut solvantur. | 401. *At*, v. A. 7, 691. | 403. *Nequiq.* quasi quae cantu suo turbulentam tempestatem revocare velit. | 404 sq. v. E. 6, 74. | 413. *in foliis*, inter frondes. | 416. iunges *rerum prudentia.* — *maior*, quam in hominibus aut aliis in animalibus esse solet. | 417 sqq. Quando mutatur tempestas vel in melius, vel in deterius, similiter mutantur etiam animi avium. | 418. *mut. vias*, ubi ventis mutatis alio, quam ante, nubes aguntur. — Iovi tribuuntur, quae fiunt in aere; hinc aer ipse Iovis nomine appellatur, ut Horat. Od. 1, 1, 25. Theocr. 4, 23. hinc Iuppiter etiam i. q. tempestas 2, 419. | 419. modo cogit, modo dispellit nubila. — Copulativae Particulae a Graecis Latinisque ponuntur interdum, ubi disiunctivas exspectes: „aut, quae densa erant, i. e. densum aëra, relaxat“ serenus scilicet factus; cf.

Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi.
Si vero solem ad rapidum lunasque sequentis
Ordine respicies, numquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenae.
Luna, revertentis cum primum colligit ignis,
Si nigrum obscuro conprenderit aera cornu,
Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber;
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.
Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,
Pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt,
Votaque servati solvent in litore nautae
Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.
Sol quoque et exoriens et cum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
Et quae mane refert, et quae surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Heu, male tum mitis defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo,
Profuerit meminisse magis; nam saepe videmus
Ipsius in voltu varios errare colores:
Caeruleus pluviam denuntiat, igneus Euros;
Sin maculae incipient rutilo inmiscerier igni,

1, 442. 2, 351. 399. 503. 3, 121 sq. A. 3, 459. 5, 52. 10, 112.| 424. *lunas*, non *lunam*, de luna singulis deinceps vicibus oriente.| 425. *Ordine*, certa quadam ratione, id quod ad varias phases, quas dicunt, mutationesque lunae referendum videtur.| 427. cum primum renascentis lunae cornua apparent.| 428. *compr.* quasi complexa fuerit utroque cornu.| 430. *ore*, sic Virgilius adiicit interdum nudos Substantivorum Ablativos (*manu* A. 3, 659) ad illustrandas rerum imagines; *ore suff.*, ita suffuderit, ut in ore eius cernatur rubor; similia videbis 3, 439. A. 6, 187.| 431. *semper*, ut Gr. *ἀεί*, i. e. quoties ventus instat, rubet luna.| 437. Glaucus, v. A. 6, 36. Panopea, Nereis; Melicertes, Ovid. Met. 4, 521 sqq. — *Glauco et*, hiatus similis ei, qui est ap. Hom. Il. 17, 40 *Πάνθῳ ἐν χείρεσσιν*.| 441. *nasc. m. v. ortum*, primum oriens maculis infectus erit.| 442. *med. ref. o.*, ubi obscurata media sui parte concavus videbitur. — *que*, v. vs. 419.| 443. *alto*, mari.| 448. v. vs. 360.| 449. *crepitans salit*, vide numeros ad rem accommodatos.| 450. iunge: *etiam magis profuerit*.| 454. *in-*



Omnia tum pariter vento nimbisque videbis
Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque ab terra moneat convellere funem.
At si, cum referetque diem condetque relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
Et claro silvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti
Obscenaeque canes inportunaeque volucres
Signa dabant. Quotiens Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania caelo
Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis,
Ingens, et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis; pecudesque locutae,
Infandum! sistunt amnes, terraeque dehiscunt,
Et maestum inlacrimat templis ebur, aeraque sudant.
Proluit insano contorquens vertice silvas

miscerier, antique pro *immisceri.* | 456. *Fervĕre*, ut *stridĕre* 4, 556, *fulgĕre* A. 6, 827, antique, et sic semper Virgil. — *Non*, ubi exspectes *ne*. *Non* sic in principio cum vi collocatum iunges cum *quisquam*, ut 3, 140; fortius id, quam *nemo*, *haud quisquam.* | 457. *funem*, retinaculum, ut A. 3, 266. | 460. *claro*, clarum s. serenum caelum efficiente. | 461. *unde*, a qua caeli parte venturus sit ventus, qui nubes per caelum agat serenas, non ferentes pluviam. | 464. *caecos*, occultos adhuc. | 467. De prodigiis, quae Iul. Caesaris interitum secuta sunt, vid. etiam Ovid. Met. 15, 782 sqq. Tibull. 2, 5, 71 sqq. | 470. *obscenae*, mala portendentes, ut A. 3, 367. 4, 455. 12, 876. — *canes*, Ovid. l. l. 797. — *volucres*, Ovid. l. l. 791. — *importunae*, Servius „in alienum tempus ruentes, ut striges aut bubones, nocte gaudentes, per diem possent videri.“ | 471 sq. *undare*, hic de flammis dicitur, cf. A. 8, 257; Livius a Servio laud.: „Tanta flamma ante mortem Caesaris ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinae urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur.“ — *fornacibus*, quia Aetna Vulcani et Cyclopum officina putabatur. | 474. intelligenda est ea pars Germaniae, quae Rheno sinistra erat, tum a Romanis possessa; et iste armorum sonitus non poterat non novum bellum a Germanis imminens ostendere. | 476. *vulgo*, crebro. | 477. umbrae mortuorum; cf. A. 1, 353 sq. | 479. *sistunt*, cursu per terrae motum intersaepto. — Ceterum velim advertas ut hic, ita vs. 470, studio quaesitam verborum (*sistunt* .. *dehiscunt*) similitudinem; alliterationem vulgo appellamus; v. A. 9, 634. cuius quam varia vis sit, varia monstrabunt exempla E. 8, 80. G. 2, 441. A. 8, 641 et 644—649. G. 3, 421. A. 8, 669. 9, 621. 634. 10, 735. 11, 189 sq. | 480. *ebur*

Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnis
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibrae adparere minaces
Aut puteis manare cruor cessavit et altae
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non alias caelo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri totiens arsere cometae.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi;
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.
Di patrii, Indigetes, et Romule Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo
Ne prohibete! Satis iam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus periuria Troiae;
Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos;
Quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem,
Tam multae scelerum facies; non ullus aratro

et *aera*, deorum signa ex ebore vel aere facta; A. 2, 173 sq. | 482. Pronuntia *Fluvjorum*, et v. vs. 397. — Rex fluviorum Erid., s. Padus, dici videtur, quia maximus est fluviorum Italiae plurimosque fluvios alveo suo excipit; item Tiberis A. 8, 77, ut maximus fluviorum mediae, quam dicimus, Italiae. | 485. *et*, sc. *non cessarunt*. — *altae*, ut „alta Roma,“ A. 1, 7, et ad hanc praeter ceteras id epitheton hic referri potuisse ex eo intelligitur, quod lupos tum per ipsum forum Romanum discurrisse traditum est. | 489. *paribus*, quia Romani cum Romanis congressi. | 490 sqq. Emathia, pars Macedoniae, ut fit, pro tota Macedonia ponitur; et ut Macedoniae, sic etiam Emathiae nomine veteres Thessaliam quoque, Epirum partemque Thraciae interdum complectuntur; itaque Philippi, Thraciae oppidum, *iterum*, s. alteram, vidisse civilem decertationem dici poterant, cum priorem non ipsi Philippi, sed campi Pharsalii, qui erant in Thessalia, vidissent; hic Pompeius, illic Brutus cum Cassio victi. — *Haemus*, mons Thraciae. | 491. *superis* dativus, v. A. 11, 416. | 494. v. vs. 329. | 498. Ex diis patriis una praeter ceteros Vesta, ex indigetum, *τῶν ἐγχωρίων θεῶν*, numero Romulus appellatur. | 499. In Palatino monte ante Romulus, tum Octavianus Caesar habitabat. | 500. *Hunc*, qui nunc regit rem Romanam, iuvenem, Octavianum, tum fere XXVIII annos natum. — *ev. saeclo*, quo iacent leges, mores, agricultura, quo scelerum armorumque omnia plena sunt, vs. 505—511; cf. Horat. Od. 1, 2, 25 sqq. | 502. Laomedon, rex Troiae, cum Apollo et Neptunus muros Troianos aedificassent, periurus et illos, nec multo post, liberata Hesione, Herculem pacta mercede fraudavit; Hom. Il. 21, 450 sqq. Huius sceleris poenas dii suo more non a solo Laomedonte, sed a toto eius genere, unde etiam Romani prognati putabantur, quasi per contagionem ad nova semper scelera proclivi, expetebant. | 503. dudum te dii suo coetui additum cupiunt. | 505. fas in nefas, nefas in fas

Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe;
Ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

GEORGICON

LIBER SECUNDUS.

Hactenus arvorum cultus et sidera caeli,
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta et prolem tarde crescentis olivae.
Huc, pater o Lenaee, — tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris; —

versum.| 509. Per Euphraten Parthi significantur, v. 4, 560 sq., adversus quos Antonius pugnabat anno 718 u. c., adversus Gallos et Germanos Agrippa anno 717. | 510. Seditiosa erat ipsa Italia et vicinae urbes, rupta vetere societate et concordia, ferro inter se decertabant.| 512. carceres locus in Circo, unde currere incipiebant equi ad certamen comparati.| 513. Sententia horum verborum ita comparata est, ut verbum *addere* videatur ex usu circensi sumptum esse crescentemque, dum aliud ex alio spatium conficitur (erant autem septena conficienda), celeritatem significasse; nec inepte cum hoc contuleris Graecum verbum *ἐπιδοῦναι*, quod dicitur de eo, qui incrementum capit in arte aliqua.| 514. *audit h.*, paret iis; Ovid. Met. 5, 382 „sagitta, quae magis *audiat* arcum." — *currus*, ipsi equi currum trahentes, ut 3, 91. A. 12, 287.

Georg. L. II. *De arborum vitiumque cultura se acturum profitetur poeta, vs.* 1—3. *Sequitur invocatio Bacchi,* 4—8.| 1. cf. 1, 1. Hactenus *cecini*, quod e verbo *canam* repetendum; cf. A. 12, 96 sq.| 2 sq. Baccho sacrae sunt et vites et, praeter oleam, arbores fructiferae; de utrisque se expositurum scribit his verbis „Nunc te, Bacche, canam." — *nec non* autem eam habet vim, quam oratio ostendit hunc in modum dilatata: neque solum has canam, sed etiam silvestres arbores atque oleam Minervae sacram. — *silv. virgulta* novellas arbores intelliges silvestres; iam hic significat poeta etiam de creandis arboribus se dicturum, quod fit vs. 9 sqq.; itaque virgulta componuntur cum prole oleae.| 4 sqq. Poeta se fingit in ipsis mediis rebus versantem, in easdemque Bacchum vocat; ceterum v. 1, 6.| 5. *tibi*, per te, beneficio tuo, ut A. 5, 797 et v. vs. 206. — *pamp. aut.*, proventu autumni vindemiali. — *gravidus*, v. E. 6, 53.| 6. *Floret*, ostendit faciem e varia specie et colore uvarum laetissimam. — *labris*,



Huc, pater o Lenaee, veni, nudataque musto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis.
Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipsae
Sponte sua veniunt camposque et flumina late
Curva tenent, ut molle siler, lentaeque genestae,
Populus et glauca canentia fronde salicta;
Pars autem posito surgunt de semine, ut altae
Castaneae, nemorumque Iovi quae maxuma frondet
Aesculus, atque habitae Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva,
Ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.
Hos natura modos primum dedit; his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos;
Silvarumque aliae pressos propaginis arcus
Exspectant et viva sua plantaria terra;
Nil radicis egent aliae, summumque putator
Haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis — mirabile dictu —
Truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et saepe alterius ramos inpune videmus
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.

vasis, in quae infunditur mustum. | 8. Spectant haec ac uvas pedibus calcandas. — cothurnatus esse solebat Bacchus. || I. *Arbores procreantur aut natura*, 9—21, *aut arte*, 22—34. | 9. natura utitur varia via ad creandas arbores. | 10 sq. *ipsae*, sine semine, ut imperitioribus quidem videri solet, *sua sponte*, sua quadam vi. | 14. *posito*, ut vs. 521, quod sua sponte defluxit de arboribus. | 15. *nemorum*, i. e. arborum nemoralium. Aesculus, ut omnis quercus, Iovi sacra. | 16. quercus Dodonaeae vocales et fatidicae; Hom. Od. 14, 327 sq. Ovid. Am. 3, 10, 9 „quercus, oracula prima.“ | 19. v. E. 10, 74. | 22. *usus*, experientia, quasi progrediens ea, quam ingressus est, via, repperit alios modos. | 23. stolo a radice matris avulsus scrobi mandatur. | 24. sq. infossio ramorum validiorum, vel acuminatorum, vel quadripartito fissorum. | 26 sq. agitur de propagine. *Silvarum*, arborum. — *pressos*, in terram depressos. — *viva*, quia non resecantur, sed cohaerent cum matre. — *sua t.*, in qua mater crevit. | 29. *ref.*, verba, quibus *re..* praefixum, omne genus mutationis aut vicissitudinis indicant; hinc ramulus, qui mutato loco in alium locum defertur, referri dicitur; A. 10, 234 „hanc faciem .. *refecit*,“ pristinam in hanc mutavit; sic *resistere* Camilla 11, 710 dicitur, quae ante equo vehebatur; *reposci*, vicissim, *dagegen*, posci A. 12, 2; et v. A. 12, 35. | 30 sq. olea inprimis sic procreatur, ut caudex, i. e. pars trunci, consectus et fissus terrae infodiatur. | 31. *e sicco*, quia radix et rami sucosi, siccior contra truncus. | 32 sqq. Insitio, qua efficitur, ut pirus mala, cornus, propter pomi, quod gignit, naturam lapidosa dicta, pruna ferat; et

Quare agite o, proprios generatim discite cultus,
Agricolae, fructusque feros mollite colendo,
Neu segnes iaceant terrae. Iuvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxuma nostrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox; ades, et primi lege litoris oram;
In manibus terrae; non hic te carmine ficto
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.
Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque, si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum, cultuque frequenti
In quascumque voles artis haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quae stirpibus exit ab imis,
Hoc faciat, vacuos si sit digesta per agros;

v. vs. 426. || II. ***Cultura arborum et silvestrium et fructiferarum***, *vs.* 35—82. | 35. cultum cuique generi proprium. | 37 sq. Ismarus, mons Thraciae, *Baccho*, v. 1, 295, Taburnus oleis nobilis, mons in confinio Campaniae, Samnii et Apuliae, haud longe a Caudio. | 41. *Maec.* v. 1, 2. — Singulos Georgicorum libros inscribit Maecenati poeta; sed in ea quoque re utitur variatione; conveniebat nomen Maecenatis in primo ultimoque libro primis versibus interponere, licebat contra in binis mediis eo demum loco inserere, quo venitur ad praecepta. — Saepe ad studium poeticum aliasque res, ut Tibull. 1, 5, 76, referuntur imagines a navigatione repetitae. — *da vela*, expansis velis naviga, scil. *una*, s. mecum, quod e vs. 39. repetes. — *patenti*, quod patet ad navigandum; alibi *patens* est i. q. amplum. | 43. *si linguae centum s.* etc., *δέκα γλῶσσαι, δέκα στόματα* Hom. Il: 2, 489 sq. | 44. litus eum legere secum vult, non, quod longinqua petituri faciunt, in altum evehi, i. e., detracta imagine, non omnia persequi, quod immensi laboris esset, sed summa tantum rerum capita perstringere. | 45. *In manibus*, ut *ἐν χερσί*, dicuntur, quae propinqua vel in promptu sunt; qui litus legit, ei terra in manibus est; itaque hoc dicit poeta: En terras ipsas, quae sunt carminis mei argumentum; — nam spectat ea res, quam explicaturus est poeta, ad terras agrosque; — legens igitur mecum litus in ipsam quodammodo mediam rem nullas per ambages deduceris, posito scilicet ante oculos eo, de quo acturus sum; in ipsa igitur rerum veritate mecum versaberis, non in argumento aliquo ficto, mythico aut simili, cf. 3, 3 sqq. In ficto autem eiusmodi carmine, ut in Iliade, Odyssea; Aeneide, per multas demum ambages et longa exorsa eo devenitur, quo consilium intendit poeta, ut ad Hectoris Turnique caedem, Ulixis reditum et ultionem procorum. | 49. *Q. s. n. subest;* nihil enim potest laetius crescere, quam quod, sicut silvestres arbores, ex eo solo provenerit, quod natura illi aptum est. | 50. Vetus scholiastes (Philargyrus, ut videtur) apud Burmannum: „Duas hic res dicit, ut aut inserantur infecundae arbores fecundis et fructiferis aut certe mutentur de suis locis et fossis immittantur; utrumque enim iis infecunditatem aufert.“ De stolonibus silvestrium arborum id affirmat etiam Plinius N. H. 17, 10, 12 „qui transitus mirum in modum mitigat etiam silvestres.“ | 51. *Ex. s. a.*, exutam videbis silvestrem naturam. | 52. *artes*, cultus artificiales. | 53. *sterilis*,

Nunc altae frondes et rami matris opacant,
Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.
Iam, quae seminibus iactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram,
Pomaque degenerant sucos oblita priores,
Et turpis avibus praedam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor inpendendus, et omnes
Cogendae in sulcum, ac multa mercede domandae.
Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiae de robore myrtus;
Plantis et durae coryli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeaeque arbos umbrosa coronae,
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et nucis arbutus horrida fetu,
Et steriles platani malos gessere valentis;
Castaneae fagus, ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos inponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmae
Et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte

sc. arbor; significantur stolones a radice maioris arboris pullulantes. | 56. *Cr. ad. fet.*, crescit illa quidem, sed adimitur ei pariendi facultas. — *ur. f.*, sucum subducunt ferenti, i. e. quasi volenti conantique fructus ferre, ut Cic. de sen. 4, 11 „Restitit agrum dividenti." | 59. *oblita*, carentia; transferuntur a poetis ad res inanimatas ea, quae sunt animantium, ut oblivio; cf. vs. 59. 350; similiter varii labores, ut 1, 192. | 61. En industrii laboris imaginem numeris expressam! et cf. vs. 399. | 62. *Cog. in s.*, digerendae, cf. vs. 54, et scrobibus mandandae. — *multa m.*, multi laboris impendio. | 63. *truncis*, si truncos, s. sectos caudices infoderis, v. vs. 30. | 64. *Resp.*, cf. 1, 47. — *de robore*, quae de s. ex robore, palo, terrae infixo proveniunt, cf. vs. 24 sq. — *Paphiae* dicuntur myrtus a Papho, oppido Cypri, ubi praecipue colebatur Venus. | 65. Plantae habent radicem et cum ea transferuntur. | 66. *Herc.* etc., populus alba, ἀχερωΐς, quam ab Acheronte rettulit Hercules, fronde eius arboris coronatus; eadem viri fortes se rediminunt et iuvenes in gymnasiis certantes; E. 7, 61. Horat. Od. 1, 7, 23. | 67. *Ch. patris*, Iovis Dodonaei, v. vs. 16 et E. 9, 13; nobilis est Chaonia quercetis. | 68. *Nascitur*, sc. plantis. | 69. *nucis*, iuglandis. — *horrida* ea dicitur a cortice hispido et aspero. | 70. *gessere*, vid. 1, 49. | 71. *fagus* est Nominativus plural. IV. Declinat., sc. *incanuerunt flore castaneae;* sed Verbum ex more Virgilii sequitur Numerum proximi Substantivi, *ornus*. | 72. quercus inseritur ulmo, fortasse quia citius gignuntur glandes ex insita quercu, quam e nata. | 73 sqq. Diversa est ab insitione, quae vss. 78 sqq. decribitur, inoculatio, de qua vss. 74—77 agitur. | 75. *tunicas*, librum, s. interiorem corticem. | 76. *nodus* dicitur ipsa e cortice prorumpens gemma, in modum nodi turgens; fit autem sinus, cavitas quaedam, avulsâ gemmâ, cuius in locum germen, s. gemma, ex alia arbore transfertur. | 77. *docent*, efficiunt ita, ut inolescat. | 78 sqq. Resecantur arbores

Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantae inmittuntur: nec longum tempus, et ingens
Exiit ad caelum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes et non sua poma.
Praeterea genus haud unum nec fortibus ulmis,
Nec salici lotoque, neque Idaeis cyparissis;
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae,
Orchades, et radii, et amara pausia baca,
Pomaque et Alcinoi silvae; nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos;
Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae,
Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae;
Et passo Psithia utilior, tenuisque Lageos,
Temptatura pedes olim vincturaque linguam;
Purpureae, preciaeque; et quo te carmine dicam,
Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt et Aminnaeae vites, firmissima vina,
Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus;
Argitisque minor, cui non certaverit ulla
Aut tantum fluere aut totidem durare per annos.
Non ego te, Dis et mensis accepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.

aut rami ita, ut nullus nodus relinquatur, tum, facta fissura, surculi immittuntur. | 81. *felicibus*, fertilibus. || III. *Diversas esse arbores fruticesque et ipso genere, et solo locisque, et regionibus, vss.* 83—135. *Adiungitur laus Italiae*, 136—176. | 84. Lotus h. l. arbor est, cuius variae sunt formae s. species, quarum zizyphus, dulces ferens bacas, nobilissima. — cupressus arbor familiaris Cretae, cuius mons Ida; v. E. 1, 55. | 85. nec olivae eadem omnes sunt facie, non unum omnium genus. | 87. Horti et pomaria Alcinoi nobilitata per Hom. Od. 7, 112 sqq. | 88. Crustumium, s. Crustumeria, oppidum Etruriae. | 89. v. E. 2, 70. | 90. Methymna urbs Lesbi, insulae maris Aegaei. | 91. Thasus eiusd. maris ins. — *Mar.* dictae a lacu Mareotico, qui erat super Alexandriam. | 92. *habiles*, aptae | 93. passum fit ex uvis passis. — Psithia et Lageos, utraque Graeca vitis, unde nomen habeat, parum constat. — *tenuis*, vel exiguas uvas habens, vel (quod verius videtur, cf. 1, 92) vinum gignens, quod cito descendit in venas; — 94. quod bibentes fiet olim ut pedum et linguae non sint satis compotes. | 95. preciae, subnigrae ut videtur. | 96. Plin. N. H. 14, 6, 8 „In Veronensi (agro) Rhaetica vina, Falernis tantum posthabita a Vergilio.“ et cf. Sueton. Aug. 77. Verona proxima Rhaetiae. — ager Falernus in Campania nobilissimum vinum dabat. | 97. Aminnaea appellata dicitur regio quaedam agri Picentini. — *firm.*, cf. vs. 100. | 98. *Τμώλιος οἶνος*, vinum ex Tmolo, monte Lydiae; Phanae, promontorium Chii insulae; *rex*, ut vinum omnium praestantissimum; *adsurgit*, honoris significatio, cedit; E. 6, 66. | 99. *Argitis*, aut ab Argis nomen habet, aut ab ἀργός, quod vinum fundit album; est ea duplex, maior et minor, abundans latice. | 101. *diis*, quibus vinum generosius libari solebat apposita post ipsam cenam alia s. secunda mensa cum vino et bellariis; cf. A. 1, 723 sq. | 102. Rhodia a Rhodo ins. dicta. — Plinius: „Tument *mammarum* modo bumasti, βουμα-

Sed neque, quam multae species, nec, nomina quae sint,
Est numerus; neque enim numero conprendere refert;
Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae Zephyro turbentur arenae,
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni;
Litora myrtetis laetissima; denique apertos
Bacchus amat collis, aquilonem et frigora taxi.
Aspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum pictosque Gelonos:
Divisae arboribus patriae. Sola India nigrum
Fert ebenum, solis est turea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque et bacas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis, ubi aera vincere summum
Arboris haud ullae iactu potuere sagittae?
Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristis sucos tardumque saporem
Felicis mali, quo non praesentius ullum,
Pocula si quando saevae infecere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro;
Et, si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat; folia haud ullis labentia ventis;

στοί." | 103. species, sc. vitium. | 104. nec opus est enumerare omnes. | 109. cf. 1, 53—59. | 110. v. E. 7, 66. | 114. *domitum*, cf. A. 9, 608. In aliis terris aliae nascuntur arbores. | 115. Geloni, populus Sarmaticus ultra Borysthenem incolens. *picti*, stigmatibus compuncti; Herodot. 5, 6 de Thracibus, quorum in numero Gelonos ponunt poetae: „*τὸ μὲν ἐστίχθαι εὐγενὲς κέκριται, τὸ δ' ἄστικτον* (*εἶναι*), *ἀγεννές.*" | 117. v. 1, 57. | 119. acanthus, hic arboris genus, fortasse acacia. | 120. gossypion s. xylon. | 121. Veteres opinabantur, Seres, gentem Indicam, sericum ita parare, ut textam a bombycibus lanuginem ex arborum foliis depecterent. | 123. *sinus*, curvatura; ubi curva extremi terrarum orbis litora ab Oceano ambiuntur. — *aera summ. arb.*, significatur cacumen, quo altissime in aera tendit arbor. | 126. malum citreum tristis (acidi) suci et tardi, i. e. diu palato inhaerentis, saporis. | 127. *Felicis* ad medendum scilicet. | 128. *infecere*, sc. veneno; cf. 3, 283. | 130. *atra*, v. 1, 129. | 131. v. E. 3, 106. | 133. *erat;* ubi ponimus, esse aliquid, si quid aliud esset, quod quidem non esse et scimus et significare volumus, Latini, si agitur de re praesenti, utuntur Indicativo Imperfecti, si de re praeterita, Plusquamperfecti. — 133. v. A. 7, 787. |

Flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
Ora fovent illo et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum, silvae ditissima, terra,
Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiae certent, non Bactra, neque Indi,
Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere satis inmanis dentibus hydri,
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis;
Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor
Inplevere; tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges et maxuma taurus
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas;
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum
Semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
Nec rapit inmensos orbis per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque,
Fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino?
An memorem portus Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,

134. *ad prima*, inprimis. | 135. *fov.*, emendant; v. 4, 230. | 137. *Herm.* fluvius Asiae minoris aurifer. | 138. Bactra, caput regionis Bactrianae, illo tempore Parthis erant subiecta. | 139. Panchaia, fabulosa insula maris Erythraei, propinqua Arabiae illi ture abundanti. | 140. ut Colchidem, cf. Ovid. Ep. 6, 31—36. | 141. *satis dentibus* Dativus est; *dentibus hydri*, sc. serendis, *quales ab Iasone satos accepimus*. | 143. Massicus mons Campaniae. | 144. v. E. 10, 13. | 146. Clitumnus Umbriae fluvius; ibi albi greges; et putabant hanc vim inesse in aquis Clitumni, ut pecudes efficeret albas. — *albae* pecudes diis superis mactabantur. | 148. *ad t. d.*, in Capitolium. — *duxere*, quia currum triumphantis praecedebant. | 149. *alienis*, etiam non aestivis. | 152. *Semina*, genus. — Nec, qui herbas, quibus vescantur, campestres colligunt, imprudentes carpunt herbas venenatas, quae in aliis terris multae nascuntur. | 155. *op. lab.*, moenium aedificiorumque amplitudinem. | 157 sqq. Quae iam sequuntur, vel adspectus iucunditate, vel utilitatis opportunitate se commendant. | 158. *quod supra*, superum mare s. Adriaticum, *quod infra*, inferum s. Tyrrhenum. | 159. Larius in agro Mediolanensi, nunc *Lago di Como*. | 160. Benacus inter Brixiam et Veronam, nunc *Lago di Garda*. | 161—164. Describitur portus Iulius, qui prope Baias erat in Campania, a. C. *Iulio* Caesare Octaviano factus perfosso angusto aggere, qui Lucrinum lacum a mari Tyrrheno (cf. vs. 164) secludebat, eodemque lacu cum lacu Averno per fossam coniuncto. — *claustra*, aggerem modo memoratum, ab

Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virum, Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit, haec Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxume Caesar,
Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virum; tibi res antiquae laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontis,
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
    Nunc locus arvorum ingeniis; quae robora cuique,
Quis color, et quae sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terrae collesque maligni,
Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent silva vivacis olivae.

Octaviano ea parte, quae relicta erat, ita munitum, ut a fluctibus maris superari non posset. | 163 sq. Hi versus ad illustrandum versum praecedentem pertinent. Indignatio ista (v. vs. 59) magnis stridoribus proditur, qui partim *refuso* i. e. reiecto per aggerem oppositum mari efficiuntur, partim aestu illo, quo idem per angustias ostii in lacum Lucrinum Avernumque immittitur. | 166. Ut *venas* et *rivos* metallorum dicimus, ita eadem *fluere* dicuntur. Et *fluxit*, non *fluit*, quod metalla Italiae exercere Senatusconsulto interdictum erat. | 168. *malo*, duris laboribus; colunt enim Ligures agrum sterilem et saxosum; eosdem durum in armis genus appellat Livius 27, 48. | 169. Decii, pater, filius et nepos, se pro patria devoverunt; Cic. Tusc. 1, 37. Liv. 8, 9. 10, 28. — *Marios, Camillos*, tales, quales fuerunt Marius et Camillus. | 170. *bello*, Dativus, duros ad bellum; durus dici solet miles, ut laboribus adsuetus. | 171 sq. Spectant haec eo, quod Octavianus anno 724 p. u. c. capta Aegypto res Asiae constituit. — Indi, i. e. omnino populi Orientis, qui Antonium et Cleopatram in bellum secuti erant; cf. A. 8, 685 sqq. *imbellis* cum indignatione dicitur, qui tantum audere in animum induxerit. — *Rom. arcibus*, ab ipsa Roma in septem collibus (*arcibus*) sita; Prop. 3, 11, 31 „Coniugii obsceni pretium Romana poposcit (*Cleopatra*) Moenia et addictos in sua regna patres," et 57 „Septem urbs alta iugis, toti quae praesidet orbi, Femineas timuit territa Marte minas." | 173. *Sat. t.*, Italia, cf. A. 8, 319 sqq. | 174. *tibi*, tuo honori inserviens. | 175. *Ingr.*, dicere instituo. — Poetae hausta ex fonte Musis sacro aqua spiritum poeticum ducere, et qui primi novum argumentum, ut Virgilius Romanorum primus disciplinam rei rusticae, tractant, recludere eiusmodi fontem, tamquam ante absconditum et intactum, dicuntur. | 176. *Ascr.*, quale primus omnium cecinit Hesiodus, Ascra, vico Boeotiae, oriundus; significantur Ἔργα καὶ Ἡμέραι Ἡσιόδου; sed eius carminis tenuitas non est comparanda cum copia et praestantia Virgiliani. || IV. *De varia natura soli, vs.* 177—258, *ac primum, quod solum cuique rei ferendae aptum sit, exponitur vs.* 179—225, *tum, quibus signis quodque solum cognoscatur.* | 177. *locus* tribuitur rebus, quae certo ordine tractantur. — *quae rob. c.*, quae sit vis ac virtus cuiusque soli. | 178. qualis cuiusque soli natura ad quas res ferendas apta sit, v. 1, 3. | 179. *Diff.*, non faciles ad largiendas fruges, quasi avarae; et *coll. mal.*, quasi invidentes et negantes proventum frugum; v. vs. 59 et cf. vs. 223. | 181. cf. G. 1, 18 sq. — *vivacis*, annis enim CC durare dicitur. |

Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus et strati bacis silvestribus agri.
At quae pinguis humus dulcique uligine laeta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus —
Qualem saepe cava montis convalle solemus
Despicere; huc summis liquuntur rupibus amnès,
Felicemque trahunt limum — quique editus austro,
Et felicem curvis invisam pascit aratris:
Hic tibi praevalidas olim multoque fluentis
Sufficiet Baccho vitis, hic fertilis uvae,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fetus ovium, aut urentis culta capellas,
Saltus et saturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos:
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt,
Et, quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum, — namque hoc imitamur arando —
Optuma frumentis; non ullo ex aequore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra iuvencis,
Aut unde iratus silvam devexit arator

183. *bacis s.*, sc. oleastri. | 185. *ubere*, largo proventu. | 187. *Despic.*, qualem facile est videre, modo oculos deiicias in terram. — Alii *dispicere*. — *liqu.*, fluunt; cf. A. 3, 28. | 192. *pat. et auro*, ut Ovid. Met. 3, 32 „anguis cristis praesignis *et auro;*" v. 1, 173. | 193 *Tyrrh.*, adhibebantur sacrificiis tibicines Etrusci. | 194. *exta dare*, *reddere*, *porricere*, i. e. in aras imponere; *fumantia*, quippe modo mactatae hostiae erepta et adhuc calida, cf. A. 12, 214 sq. | 195. *Sin studium est.* | 196. *urentes c.*, laedentes seu serrato dente, seu saliva, ut exarescant; Plin. N. H. 8, 76 „Morsus caprarum arbori exitialis. Olivam lambendo quoque sterilem faciunt." | 197. *saturi*, abundantis omni genere proventus. *longinqua*, longe remotos agros, utpote in extrema Italia sitos. | 198. v. quae Ecl. I. praefati sumus. | 199. *fl.*, Mincio. | 200. *deerunt*, v. E. 7, 7. | 203. *fere*, plerumque; solet optima esse nigra, sc. si eadem pinguis est et putris. | 204. nam arando efficimus, ut solum sit putri simile, i. e. resolutum. | 206. *iuvencis*. Profuerit hoc loco breviter complecti, quae de usu Dativi potissimum tenenda sunt. Dativus significat, quo quid tendit: *caelo tendere manus*, *saltum dare arvis*, *ponto iacere pilam*, i. q. ad s. versus caelum, arva, in pontum, v. E. 2, 30; hinc Dativus consilii, v. A. 2, 315. Inde factum, ut Dativus omnino indicet, quo quid aliquo modo pertineat, sive ad usum et commodum, sive ad incommodum et damnum (ad animum suaviter aut contrario motu affectum, qui appellatur Dativus ethicus, v. E. 8, 6. A. 7, 390), sive ad operam rerumque efficientiam; ex hoc genere, quod extremo loco posuimus, haec sunt: *tibi floret ager*, *decedunt plaustra iuvencis*, i. e. per te, per iuvencos; *terra fertilis iuvencis*, respondens operae iuvencorum; tum illud *nigris exesa chelydris* et similia. | 207. *Aut unde*, aut ex aequore, ex quo cet. — *iratus*

Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit; illae altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit inpulso vomere campus.
Nam ieiuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humilis apibus casias roremque ministrat;
Et tophus scaber et nigris exesa chelydris
Creta negant alios aeque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum et curvas praebere latebras.
Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucris,
Et bibit humorem, et, cum volt, ex se ipsa remittit,
Quaeque suo semper viridis se gramine vestit,
Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum:
Illa tibi laetis intexet vitibus ulmos,
Illa ferax oleo est, illam experiere colendo
Et facilem pecori et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua et vicina Vesevo
Ora iugo et vacuis Clanius non aequus Acerris.
Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit an supra morem si densa requires,
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,
Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo:
Ante locum capies oculis, alteque iubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas aequabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
Ire loca et scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager; glaebas cunctantis crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde iuvencis.
Salsa autem tellus et quae perhibetur amara,
Frugibus infelix, — ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus aut pomis sua nomina servat —

sc. silvae inutili bonum solum occupanti.| 211. *enituit*, v. E. 1, 39. — sulci terrae pinguis modo aratae nitescere solent.| 213. *rorem* sc. *marinum*, fruticis genus.| 214. v. vs. 206. Terra tophacea et cretosa serpentibus omnium est aptissima.| 215. *negant*, v. vs. 59.| 216. *cib.*, „mala gramina," A. 2, 471.| 219. Poeta cum hoc vellet dicere *quae viridis est*, ornatius id elocutus est ita: *viridis se vestit*. Alii *viridi*. — *suo*, Servius „naturali, non coacto."| 220. *salsa*, quae ex salsedine nascitur et aquae salsae modo ferrum rodit.| 221. v. E. 2, 70.| 222. *oleo*, ad oleum gignendum; Sallust. Iug. c. 17 „ager *arbori* infecundus."| 223. *fac. p.*, largum pabulum praebentem; v. vs. 179. — *pat. vom.*, ad fruges ferendas aptam.| 225. Clanius, fluvius Campaniae, exitiosus erat exundatione vicinis agris, Acerranis maxime; quo factum, ut Acerrae vacuae, infrequentes, essent.| 227. Si requires, utrum rara sit, an nimis densa. — Alii *requiras*.| 230. *cap. oc.*, eliges et designabis.| 233. *Si d.*, si terra effossa eum scrobem non ad summum replebit.| 234. *Apt. uber*, terra aptior et fecundior. — *negab.*, v. vs. 59.| 236. *cunct.*, tenaces. — *terga*, v. 1, 97.| 240. degenerant

Tale dabit specimen: Tu spisso vimine qualos
Colaque prelorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae
Ad plenum calcentur; aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae;
At sapor indicium faciet, manifestus et ora
Tristia temptantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud umquam manibus iactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida maiores herbas alit, ipsaque iusto
Laetior. Ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se praevalidam primis ostendat aristis!
Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quaeque levis. Promptum est oculis praediscere nigram,
Et quis cui color. At sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceae tantum taxique nocentes
Interdum aut hederae pandunt vestigia nigrae.
His animadversis, terram multo ante memento
Excoquere et magnos scrobibus concidere montis,
Ante supinatas aquiloni ostendere glaebas,
Quam laetum infodias vitis genus. Optuma putri
Arva solo: id venti curant gelidaeque pruinae
Et labefacta movens robustus iugera fossor.
Ac, si quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur


vites in ea positae.| 241 sq. *qualos colaque*, i. e. viminea cola; crebrum est hoc Epexegesis genus, ut 3, 198 „segetes altae campique natantes," i. e. segetes altae vento motae. A. 1, 258 „urbem et promissa Lavini moenia," i. e. promissam Lavinii urbem; cf. etiam A. 2, 722. 7, 659. 804.| 242. Solebant eiusmodi vasa, ne a vermibus aut humore laederentur, in culina suspendi.| 243. *undae a fontibus* sc. petitae; v. E. 1, 8. — *Huc-calcentur*, i. e. huc *infundantur* et calcentur; v. 4, 82.| 244. *Ad pl.*, ad summum, ut colum plenum sit.| 247. *tempt.*, gustantum. — iunge *torquebit sensu;* Lucr. 2, 398 sqq. „Huc accedit, uti mellis lactisque liquores Iucundo sensu linguae tractentur in ore; At contra taetra absinthi natura ferique Centauri foedo pertorqueat ora sapore."| 249. *man. i.*, de manu in manum iactata.| 250. *habendo*, dum quis eam habet, s. tractat, v. A. 2, 6.| 251. *ipsa*, i. e. sua vi, non aut stercore roborata, aut rivis irrigata.| 252. *Laetior*, laetiores gignens herbas. — *mihi* sollicitum significat animum, v. E. 8, 6.| 253. cf. 1, 111.| 254. *tacitam*, quasi tacite, i. e. non alio signo proditam.| 256. *qu. cui*, ὅστις τινί, non τίς τίνι. Communis usus postularet *quis cuique*. — *sceleratum*, noxium, v. vs. 59.| 257. cf. vs. 113. Plin. N. H. 16, 20 „Taxus noxio fructu; letale quippe baeis, in Hispania praecipue, venenum inest."|| V. *De vitium cultura vs.* 259—419. *Inseruntur tamen huic loco etiam praecepta quaedam ad omne genus arborum spectantia.*| 259. *multo ante*, sc. quam seras quidpiam.| 260. *Excoqu.*, cf. 1, 64—66. — per totum collem, quem vitibus conserere voles, quantus pateat, crebros scrobes faciendos praecipit poeta.| 261. *Ante*, repetes e vs. 259 *multo.*| 263. *solo*, tertius casus an sextus? — *id curant*, faciunt, ut putre fiat; cf. 1, 48.| 265—268. Qui

Arboribus seges, et quo mox digesta feratur,
Mutatam ignorent subito ne semina matrem.
Quin etiam caeli regionem in cortice signant,
Ut, quo quaeque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,
Restituant: adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus an plano melius sit ponere vitem,
Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,
Densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus;
Sin tumulis adclive solum collisque supinos,
Indulge ordinibus, nec setius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut saepe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio et campo stetit agmen aperto,
Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
Proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis:

diligentior est, educabit vites in seminario, quod habeat solum simile ei, in quod illae mox transferantur. | 267. *digesta*, ordine disposita, cf. vs. 277. | 268. ne forte non adsuescant novo solo. | 271. *terga* hoc loco significant partem arborum ab Austro aversam; ergo ut quaeque pars Austro aut septemtrioni opposita fuerit, ita restituatur. — Alii *qua*. — *axi*, polo. | 272. tanta est vis consuetudinis in rebus teneris; cf. vs. 343. | 273. nempe alii generi vitium collis, alii campus aptus est. | 275. Satis fuerat dixisse *in denso*, i. e. in densa segete; ipsa autem densitas cum ubertatis quandam speciem prae se ferat, propterea adiecit poeta *ubere*. — *segnior*, v. 1, 151. | 277 sq. *Indulge ordinibus*, i. e. fac ordines laxiores. — *nec setius* in laxis scilicet ordinibus, quam ubi densa severis, vs. 275. — *Arborib. positis in ungu.*, eo, ut vites disponas accurate, s. certis intervallis, efficies, ut omnis via quadret. — *in* (s. *ad*) *unguem:* „translatio a marmorariis, ait Servius, qui iuncturas unguibus probant." — *limite*, via transversa; *secto* per alteram viam, ut existat decussatio hunc in modum:



Quadrabit autem, s. conveniet inter se, omnis via sic, ut aequalia sint in utramque partem intervalla, unde fit haec figura, quincunx dicta:



Lineis in hac delineatione viae limitesque significantur, circulis vel vites vel milites. | 279. Iunge: *Ut cum saepe*, v. A. 1, 148. *ingenti*, obversatur poetae animo pugna per campum longissime patentem extenta. — *longa* fit explicando sese. | 281 sq. proprie: fluctuat sole repercusso splendor armorum per campum; hinc, inversa oratione, campus splendore fluctuare dicitur. | 283. *med. in armis*, inter duo exercitus. — *errat dubius*, dum incertum est, ab utra parte et quando

Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;
Non animum modo uti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter viris dabit omnibus aequas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
    Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco.
Altior ac penitus terrae defigitur arbos,
Aesculus in primis, quae, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
Convellunt; inmota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando saecula vincit.
Tum fortis late ramos et bracchia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
    Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;
Neve inter vitis corylum sere; neve flagella
Summa pete, aut summa defringe ex arbore plantas:
Tantus amor terrae; neu ferro laede retunso
Semina; neve olea silvestris insere truncos:
Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,
Robora conprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem caelo sonitum dedit; inde secutus
Per ramos victor perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad caelum picea crassus caligine nubem,
Praesertim si tempestas a vertice silvis

pugna initium habitura sit.| 284. *numeris*, sc. mensurae s. pedum, i. e. intervallis.| 285. animus *inanis* est eius, qui inani voluptate capitur.| 288. quam alti s. profundi scrobes esse debeant.| 290. *Altior ac penitus*, sic saepe inaequalia, quorum posterius inservit illustrando priori, per copulas iunguntur, ut vs. 428. 3, 238. A. 3, 329. 4, 102. 5, 327. 447. 498. 6, 640. 8, 610. 10, 784. 11, 569. 673. 12, 502. E. 8, 102 „rivo fluenti Trans*que* caput iace," i. e. et quidem trans caput." — *terrae*, ut *proiectus terrae* A. 11, 87. 12, 130 „Defigunt *telluri* hastas."| 293. *imbres*, torrentes ex imbribus collecti.| 295. *vir. saecula*, i. e. hominum aetates, v. A. 8, 508. — *volvens* sc. ea, *saecula*, alterum ex altero transigens.| 296. *Tum*, cum durando consenuit.| 297. *ipsa*, i. e. truncus; per hoc pronomen saepe totum aliquid a partibus, etiam potior pars a reliquis distinguitur; cf. 4, 274. A. 7, 816. 10, 226. adde G. 3, 387. 4, 543. A. 12, 303. — *ing. umbram*, frondes umbram late facientes; cf. 1, 191. 2, 19.| 299. *corylum*, quia vel densa foliorum umbra nocet, vel alimenta viti aufert.| 300 sq. Surculos non ex cacumine, quod siccius est, vitium vel arborum petendos esse praecipitur, sed ex ea parte, quae terrae sit propior, sive, ut ait Plinius, ex humeris arborum. — Alii *destringe*, cf. vs. prox.| 302. vetat poeta oleam in truncos silvestres, i. e. oleastros, inseri, quippe incendiis obnoxios. — Alii *oleae*, cf. vs. 69.| 303. *pastoribus* per lata illa arbustorum intervalla (cf. vs. 356 sq.) greges pascentibus ignemque frigidiore caelo facientibus.| 306. *caelo*, ad caelum.| 309. *crassus caligine*, crassum agens fumum; sic intelliges *atros ignes*, A. 4, 384. 8, 198.| 310. *a vertice*, de caelo, ὑψόθεν.|

Incubuit glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a stirpe valent caesaeque reverti
Possunt atque ima similes revirescere terra;
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor
Tellurem Borea rigidam spirante movere.
Rura gelu tum claudit hiemps, nec semine iacto
Concretam patitur radicem adfigere terrae.
Optuma vinetis satio, cum vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris,
Prima vel autumni sub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis,
Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae descendit, et omnis
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus;
Parturit almus ager Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor;
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere; nec metuit surgentis pampinus austros
Aut actum caelo magnis aquilonibus imbrem,
Sed trudit gemmas et frondes explicat omnis.
Non alios prima crescentis origine mundi
Inluxisse dies aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:
Cum primae lucem pecudes hausere, virumque

311. *ferens*, proferens incendia, *glomerat* ea, facit, ut correptis semper proximis arboribus, unum ingens incendium fiat. | 312 sqq. Hoc ubi accidit, invalida est stirps et radix, caeso trunco non oleam rursus, sed oleastrum gignens. | 314. *Infelix*, v. A. 6, 230. — *superat*, superest, revirescit. | 317. *claudit*, adstringit eoque facit, ut nihil proferant, cf. vs. 331. — *sem. i.*, positis surculis. | 318. hiems non patitur surculorum radices concrescere cum terra eique adfigi. — *adfigere*, v. 1, 163. | 319. *rubenti*, rubicundos aliosque colorum pulchritudine insignes flores gignenti; cf. 4, 306. | 320. ciconia serpentes vorat. | 322. *hiemem*, sidera, quae sol hiemis tempore intrat. | 323. *adeo* ad vim veris ab autumno distinguendam adiectum est; Graece dicas τό γε ἔαρ, Latine *quidem*, sed hoc tenuius, quam *adeo*, Germanice *der Frühling* *namentlich* s. *besonders*. — nemora et silvae hic ita differunt, ut illa significent plantatas, hae sponte natas et cultu carentes arbores. | 325. vid. E. 7, 60. G. 1, 324. | 326. *Coniugis*, Terrae. | 327. *corpore*, sc. Terrae. | 331. *arva* Nominativus, *sinus* Accusat., *Zephyri* Genet.; cf. vs. 317. — *superat*, v. 1, 189. | 332. credunt se lumini, prodeunt in lumen; *novos*, quia tum illa primum attingunt lumen; v. E. 8, 29; Servius quidem interpretatur „dies vernales.“ | 334 sq. quare non metuit austrum, aquilonem? cf. vs. 330. | 339. *parc. flatibus*, i. e. non flabant, ut A. 1, 257.

Terrea progenies duris caput extulit arvis,
Inmissaeque ferae silvis et sidera caelo.
Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet caeli indulgentia terras.
Quod superest, quaecumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui et multa memor occule terra,
Aut lapidem bibulum, aut squalentis infode conchas,
Inter enim labentur aquae, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata; iamque reperti,
Qui saxo super atque ingentis pondere testae
Urguerent; hoc effusos munimen ad imbris,
Hoc, ubi hiulca siti findit canis aestifer arva.
Seminibus positis, superest diducere terram
Saepius ad capita, et duros iactare bidentis,
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere luctantis inter vineta iuvencos;
Tum levis calamos et rasae hastilia virgae
Fraxineasque aptare sudes furcasque valentis,
Viribus eniti quarum et contemnere ventos
Adsuescant summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas,
Parcendum teneris, et, dum se laetus ad auras
Palmes agit laxis per purum inmissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis temptanda, sed uncis
Carpendae manibus frondes interque legendae.

parce metu, ne metue. | 341. Primos homines e terra natos esse putabant veteres. | 343 sqq. Nec res tenerae, i. e. nova sata, novae frondes, hunc laborem, i. e. molestiam, quam creat vis frigoris aestusque, *cet.* | 344. *tanta quies*, ipsum ver, in quo quies, securitas, est et a frigore et ab aestu. | 345. *excipit* me aliquid, i. e. accidit, contingit mihi aliquid diversum ab illo, quod ante fuit, cf. A. 3, 318. | 346. *premes*, in terra defiges, plantabis; Colum. 3, 18, 1 „Pastinum autem vocant agricolae ferramentum bifurcum, quo semina panguntur," i. e. demerguntur, deprimuntur. — *virgulta*, surculos. | 348 sqq. conchae etiam et lapides infodiebantur, qui et aquam ad radices admitterent, et spiramenta iisdem praeberent. — *bibulum*, pumicem aut sabulosum. | 349. *Inter* ... *lab.*, v. E. 6, 6. | 350. *animos tollent*, laetissime efflorescent; v. 2, 59. | 351. Iunge *superurguerent*, i. e. desuper urg. — *atque*, v. G. 1, 419. | 352. *effusus* magnum hic quidpiam et vehemens indicat, ut A. 5, 693. 12, 131. — *ad*, adversus. | 353. *Hoc* est munimen adversus aestum canicularem. | 354. *did. t.*, glaebas diminuere. | 355. *ad c.*, i. e. circum c.; et capita significant utramque extremitatem, hic quidem eam, quae est circum radicem; Cato de R. R. 33 „circum capita addito stercus; circum capita sarrito." | 356. v. vs. 303 et 1, 99. | 358 sqq. Pedandae primo sunt vites, donec attigerint ramos arborum, ad quos se applicare possint et quasi per gradus, *tabulata*, altius altiusque adscendere. — *calamos*, arundineos, cf. vs. 414. | 359. *aptare*, ita, uti convenit, apparare. | 364. *laxis hab.*, accipienda haec sunt de celeriter crescente vite, v. A. 8, 708. — *per purum*, p. aera, cf. vs. 287. | 365. *Ipsa*, prima aetas, i. e. tenerae frondes. | 366. *interlegendae*, non omnes decerpendae s. putandae sunt, sed quasdam per certa inter-

Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum bracchia tonde;
Ante reformidant ferrum; tum denique dura
Exerce inperia et ramos compesce fluentis.
 Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
Praecipue dum frons tenera inprudensque laborum;
Cui super indignas hiemes solemque potentem
Silvestres uri adsidue capreaeque sequaces
Inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.
Frigora nec tantum cana concreta pruina
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
Quantum illi nocuere greges durique venenum
Dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur et veteres ineunt proscaenia ludi
Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt risuque soluto,

valla relinques intactas. | 368. *Exierint*, in altum se sustulerint. — *comas*, frondes, ut 4, 137; *bracchia*, ramulos e pampino protensos. | 371. *tenendum*, continendum et arcendum. | 372. *inpr. lab.*, ignara et impatiens earum rerum, quas adultae vites tolerare possunt. | 373. *super* non i. q. plus quam, sed p r a e t e r; plus etiam nocere illa animalia, quam frigoris aestusque vim acerrimam, versu 376 sqq. ait poeta. — *indigna* dicuntur, quibus quis non est dignus, quae quis immerito patitur; talia autem videri solent inprimis dura; hinc *indigna* i. q. dura, saeva. | 374. *uri*, non Gallici illi, quorum Caesar mentionem facit, sed aliud quoddam boum silvestrium genus, bubalorum nomine appellatum. — *sequaces*, tenerae frondis valde appetentes. | 375. *illudunt*, officiunt, nocent, adiuncta petulantiae notione. | 376. *concreta*, frigori poetice tribuitur id, quod per frigus efficitur; hoc enim efficit, ut ex humore pruina concrescat, i. e. conglaciet; ut *tristis cura, tarda senectus*, quae tristes, tardos reddit. | 377. v. 1, 163. — *scopulis*, cf. vs. 522. | 378. *venenum*, v. vs. 296. | 380 sqq. Ob eam ipsam causam caper Baccho immolari solet, quae res tragoediae, tum etiam ascoliasmo (v. vs. 384), originem dedit. Nam tragoedia e Graeco capri nomine, τράγος, appellata est; sub tempus enim vindemiae sollemnia quaedam in honorem Bacchi agitabant Attici, quibus intererant olim poetae carminibus inter se certantes; quorum qui vicisset, is praemii loco caprum accipiebat, quem Baccho immolaret; atque ex his carminibus, ab exiguis initiis profecta, tragoedia extitit, quae et ipsa Baccho sacra erat. | 381. ludi scenici *veteres*, quippe antiquis temporibus inventi. — *proscenium*, anterior scenae pars, in quam prodibant actores. | 382. *ingeniis*, poetis. Tragoedia et comoedia cum iam artis formam induere coepisset, relicto rure in urbem migravit; antea poetae illi ruri pagos circumibant et in compitis plaustra, quibus pro scena utebantur, statuebant. | 383. *Thesidae*, Attici, a Theseo, nobilissimo rege Atticae, dicti. | 384. Significatur ἀσκωλιασμός. In Dionysiis ruralibus saltabant uno pede per utres, ἀσκούς, inflatos vel vino plenos et oleo unctos; qui super utre consisteret nec laberetur, is utrem et vinum praemii loco accipiebat. | 385 sqq. Coloni (i. e. homines rustici) Italici quoque, maxime Latini, qui se a Troianis ortos ferebant, in similem laetitiam effusi Bacchum celebrabant. Videtur autem duplex significari sollemnitas, primum Liberalia, quae vere fiebant,

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu,
Conplentur vallesque cavae saltusque profundi,
Et quocumque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis lancesque et liba feremus,
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti satis est: namque omne quot annis
Terque quaterque solum scindendum, glaebaque versis
Aeternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac iam olim, seras posuit cum vinea frondes
Frigidus et silvis aquilo decussit honorem,
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra;
Bis segetem densis obducunt sentibus herbae;

tum, vss. 393 sqq., alia post vindemiam peractam instituta; v. E. 5, 67. | 387. *ora horr.*, personas s. larvas. | 389. *oscilla*, larvas; sunt hic intelligendae imagunculae quaedam, caput Bacchi referentes; ad has respicitur vs. 392. — *mollia*, mobilia, unde contractum est *mollia*, quae mota aura huc atque illuc converterentur; Servius interpretatur „pensilia.“ | 390. proprie ipse fetus, fructus, pubescere i. e. adolescere et maturescere dicitur. | 391. *complentur*, sc. ubere fructu. — *cavae*, κοῖλαι νάπαι, depressiores, collibus vel montibus utrimque clausae. | 392. v. vs. 389. — *honestum*, „pulchrum,“ ait Servius; ut A. 10, 133. 12, 155. | 393. *Ergo*, propterea. — *honorem*, laudes. | 394. *lances* saturas puta, variarum frugum primitiis onustas. | 395. v. 1, 345. | 396. *colurnis* „quia, sicut caper inimicus est vitibus, ita iis nocet et corylus,“ Servius; cf. vs. 299. | 398. *exhausti*, i. e. exhaustionis, — si conficto vocabulo uti licet —, s. qui numquam satis exhauriri potest. | 399. assiduitas laboris numeris versus prioribus, gravitas eiusdem et tarditate verbi *scindendum* et pausâ heroicâ, quae inter quartum quintumque pedem intercedit, item verbis proximi versus *Aet. fr. bid.* illustratur; praeterea v. vs. 61. | 400. *versis bid.*, i. e. aversa bidentis parte, s. ea parte, quae dentes non habet, s. tergo. | 401. *nemus*, h. l. vinea. — iunge: *in orbem redit*; labor peractus mox denuo agendus est. | 402. *annus*, opera annua; *in se volvitur*, in circulum quasi agitur et redintegratur; *per sua vestigia*, ut sua quasi vestigia denuo semper legat et eundem quotannis cursum repetat. | 404. *honorem*, frondes, decus arborum. | 406. *Sat. dens*, falx, insigne huius dei. — *relictam*, frondibus iam nudatam, cf. vs. 403. | 407. *fingit put.*, recidens inutiles ramulos talem efficit, qualis esse debet. | 409. *sarmenta*, resectos ramulos. — *vallos*, pedamenta, quibus per meliorem anni partem alligatae vites fuerant. | 410 sq. bis in anno, vere et autumno, pampinandum et runcandum. |

Durus uterque labor: laudato ingentia rura,
Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo
Caeditur, incultique exercet cura salicti.
Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt,
Iam canit effectos extremus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus,
Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.
Contra non ulla est oleis cultura; neque illae
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenacis,
Cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt;
Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem et gravidas, cum vomere, fruges.
Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentis
Et viris habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit
Sanguineisque inculta rubent aviaria bacis.
Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat
Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere atque inpendere curam?
Quid maiora sequar? — salices humilesque genestae,
Aut illae pecori frondem aut pastoribus umbram

412. *laudato*, noli optare; est haec mollior quaedam recusandi forma, ut *αἰνεῖν* pro *παραιτεῖσθαι;* praefer igitur exiguam vineam, quam diligentius colere possis.| 413 sqq. Praeterea curanda sunt vincula e rusco et salice, quibus alligentur vites ad vallos vel arbores, etiam pedamenta arundinea, cf. vs. 358, itemque salignea.| 415. *inculti*, quia nulla cura indiget.| 416. *arb. reponunt*, arbores iam et ipsae putatae sunt, ut vinitori liceat falcem reponere; v. E. 2, 70.| 417. Iam cantu se exhilarat ob effectos antes vinitor, *extremus*, ad extremam partem vineae putando vinciendoque paulatim progressus.| 418. *pulv. mov.*, fodienda est vinea, eoque solum in pulverem resolvendum, unde dicta est pulveratio.| 419. metuendum, ne grandine corrumpatur vindemia.|| VI. *De arboribus levi aut nulla cultura indigentibus*, *vss.* 420—457.| 421. *tenaces*, quae glaebas firmiter comprehendunt tenentque.| 422. cum e seminario translata olea radices fixerit et aeris varietatem ferre consueverit; cf. vs. 318 et 332.| 423. *satis*, hic i. q. oliveto. — *dente unco*, bidente.| 424. *cum vomere*, sc. recluditur.| 425. *Hoc*, propterea. — *nutritor* antique pro *nutrito*, nutri, ut *bellantur* pro *bellant* A. 11, 660.| 426. *Poma* hic i. q. pomi, ut vs. 33 *corna* i. q. cornus.| 428. *que* est, qui malit omissum; sed v. vs. 290.| 431 sq. taedas, unde pascuntur ignes, s. quae materiam praebent igni, i. e. quae incensae lumen fundunt.| 433. *serere* eiusmodi frutices arboresque; v. A. 6, 807.| 434 sqq. Quid maiora recenseam, arbores proceritate prae domesticis insignes, pinos, cedros, cupressos, quales in altissimo illo Caucaso visuntur, cum ne minora quidem, ut salix, genesta, careant utilitate praetereaque solus etiam adspectus silvosorum montium iuvet (delectet) animum? — Alii *sequor*.| 435. *illae* non est otiosum, sed vim addit orationi; sic enim fit, ut notione vocabuli, ad quod spectat hoc pronomen, quodam modo geminata animus ad illud magis attendere iubeatur; cf. A. 6, 593. 11, 494. Inprimis saepe *ille* cum Participiis, etiam Adiectivis, ita iunctum reperitur, ut A.

Sufficiunt saepemque satis et pabula melli;
Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum
Naryciaeque picis lucos, iuvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae —
Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae,
Quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,
Dant alios aliae fetus, dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque;
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolae et pandas ratibus posuere carinas;
Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi,
At myrtus validis hastilibus; et bona bello
Cornus; Ituraeos taxi torquentur in arcus;
Nec tiliae leves aut torno rasile buxum
Non formam accipiunt ferroque cavantur acuto;
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado; nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.
Quid memorandum aeque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam caussas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.
  O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

1, 3. 5, 457. 9, 796. 10, 274. 12, 5.| 437. *undantem*, in modum aquae vento motae fluctuantem. — Cytorus mons Paphlagoniae.| 438. *Naryciae* h. l. idem, quod Bruttiae; Naryx enim s. Narycium oppidum erat Locrorum Epicnemidiorum; colonia autem Narycia Locros oppidum in Bruttiis condidit. — *arva*, sc. silvis consita.| 441. *animosi Euri ads.* Excipientes se plures in eodem versu elisiones aliquoties valent ad illustrandam vel vim ac vehementiam rei, ut h. l., vel magnitudinem, ut A. 6, 552. 12, 897, vel difficultatem, ut infra 3, 505, vel perpetuitatem eiusdem status, ut A. 7, 623, vel pertinaciam, ut infra 4, 84, vel indignationem, ut A. 2, 84; item indicant animum plenum irae, ut A. 2, 96. G. 3, 232. 4, 330, horroris, ut A. 2, 12. 3, 658. 4, 181. 7, 78. 8, 81. 647, perturbationis, ut A. 4, 203. Sed accedunt in eiusmodi versibus plerumque etiam alia adiumenta gravitatem orationi conciliantia, et v. 1, 479. — *ferunt*, decussos ramulos et frondes auferunt; *frang. feruntque* est nostrum *zerzausen*.| 442. *fetus*, utilitates.| 443. Servius ad E. 1, 25 „Cupressus arbor est maxima.“| 444. *Hinc ... hinc*, ex aliis ... ex aliis. — *trivere*, v. 1, 49.| 446. *frondibus*, quae pro pabulo dabantur pecori.| 447. myrtus fecunda hastilibus, unde pedamenta fiunt, cf. vs. 358; *cornus* inprimis apta hastis iaculisque.| 448. Ituraeam, ultra Iordanem sitam, incolebant Arabes sagittandi arte clari; et v. E. 1, 55.| 449. *Nec non til.*, etiam t. et buxus tornari et scalpi possunt.| 452. *Missa P.*, immissa in Padum de navalibus; et ripae Padi alnis erant consitae.| 453. v. 4, 33 et cf. 4, 44. — *alvĕo*, ut 4, 34 *alvĕaria*.| 455. *ad culp.*, ad scelera committenda.| 456 sq. cf. A. 8, 294. Ovid. Met. 12, 210 sqq. Hom. Od. 21, 295 sqq.|| VII. *Laus vitae rusticae*, vss. 458—540.| 459. *ipsa*, v. E. 4, 21.| 460. *facilem*, cf. vs. 500; contrariae sunt cenae luxuriosius apparatae. — verbum *fundit*

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postis,
Inlusasque auro vestes, Ephyreiaque aera,
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
At secura quies et nescia fallere vita,
Dives opum variarum, at latis otia fundis,
Speluncae, vivique lacus, at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,
Sacra deum, sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios, lunaeque labores;
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obiicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles

copiae notionem adiunctam habet. — *iustissima*, quia creditum (semen) cum fenore reddere solet; γήδιον δικαιότατον Xenoph. Cyrop. 8, 3, 38.| 461 sqq. Describitur fastus et luxus potentium. — *f. domus sup.*, habens fores superbas, i. e. fabrefactas et magnificas; cf. 3, 26. A. 6, 20.| 462. Solebant mane clientes patronos suos salutatum venire.| 463. *inhiant*, agricolae. — *varios*, πεποικιλμένους.| 464. *Illusas*, quasi ludendi causa intextas auro; ludere artifices dicuntur rebus varie ornandis indulgentes. Vestes intelliges stragulas. — *Eph. aera*, vasa ex aere Corinthio, quod in summo habebatur pretio; Ἐφύρα antiquum nomen Corinthi.| 465. *venenum*, ut φάρμακον, quivis sucus acrior. *Assyrium* saepe apud poetas i. q. Syrium; Syria rursus complectebatur Phoenicen; itaque *Assyrio v.* i. q. purpura Phoenicia.| 466. *casiae* id genus h. l. intelligendum, cuius odoratus cortex oleo ab unguentariis admiscebatur; rustici contenti sunt oleo *liquido*, i. e. puro et limpido.| 467. *At*, sc. non abest; quod repetes e vs. 471. — *nescia f.*, innocens vita, quae nondum didicit fallere.| 468. *op. var.*, variarum frugum, fructuum, *cet.* — *otia*, ad quae invitant speluncae, lacus, valles, pascentes circa boves.| 469. *vivi*, natura, non arte, facti, affluente ex fontibus rivisque aqua; v. 3, 449. — *fr. Tempe*, umbrosae valles. *Τέμπεα, Τέμπη*, erant vallis amoenissima Thessaliae.| 472. *operum*, opus inprimis dicitur, quod ruri fit.| 473. *Sacra d.*, solum Substantivum sine Verbo, v. A. 1, 639: sunt ibi sacra deum, nec desierunt, ut vulgo in urbibus, celebrari. — *sancti*, qui sancte ac pie coluntur.| 474. v. E. 4, 6.| 475. *dulces a. omn.*, dulcissimae.| 476. *sacra ferre*, est sacrificantis, ut A. 3, 19, maxime sacerdotis; poetae autem Musarum sacerdotes, *Μουσάων θεράποντες*, appellantur.| 477. Musae accipiunt eum, qui se iis tradit, consecrat. — Ceterum v. G. 1, 173.| 478. *labores*, defectus, dum quasi invita obscuratur. Arnob. adv. Gent. 8, 83 „mensem vide ut luna auctu, senio, labore circumagat;“ certis enim vicibus luna augetur, senescit, deficit.| 479 sq. causas accessus et recessus maris aestuantis.| 480. *obiic.*, litoribus; fit enim, ut, cum vehementior est maris accessus, super litora mare se effundat.| 481. Sol putabatur confecto cursu diurno in Oceanum descendere.|

Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturae accedere partis,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis:
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o, qui me gelidis convallibus Haemi
Sistat et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis,
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores:
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit et infidos agitans discordia fratres,
Aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
Non res Romanae perituraque regna; neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit; nec ferrea iura

482. vel cur aestate breviores sint noctes. — *quae mora n. obstet* eoque efficiat, ut tarde veniant; v. A. 4, 298.| 484. Frigidus sanguis putabatur esse eorum, qui hebeti et tardo essent ingenio; Empedocles „τῇτε (ἐν αἵματι) νόημα μάλιστα κυκλίσκεται ἀνθρώποισιν· αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα."| 486. *inglor.*, expers illius gloriae, quam afferunt studia modo commemorata.| 487. *Spercheos*, fluv. Thessaliae; v. 1, 173. — *bacchata*, passive, in quibus virgines Lac. bacchari, orgia celebrare, solent; cf. A. 3, 125.| 488. *Taygeta*, sc. ὄρη, montes ex Arcadia per totam Laconicam procurrentes. — *o, qui me ... Sistat*, utinam me aliquis s.; cf. A. 12, 883. — *Haemi*, v. 1, 492.| 490 sqq. Beata est vita philosophi, beata etiam agricolae.| 491 sq. qui se ab omni metu mortisque ac rerum infernarum terroribus liberavit; v. A. 7, 100.| 494. v. E. 10, 24.| 495. *pop. fasc.*, magistratus, quos dat populus. — Quam nulla, aut prope nulla, agrestium hominum fuerit rei publicae cura, docent et vetera et recentia testimonia; Liv. 22, 10 indicto post cladem ad Trasimenum acceptam vere sacro „supplicatum iere cum coniugibus ac liberis non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publicae quoque contingebat cura." Cic. Ep. ad Att. 7, 7, 5 „feneratoribus et agricolis optatissimum est otium; nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id numquam, dum modo otiosi essent, recusarunt."| 596. *Flexit*, flectere solet, v. G. 1, 49. Nihil omnia ista curat rusticus. — *non purpura ..... fratres:* videntur significari Tiridates et Phraates, consanguinei propterea que fatres dicti, qui de regno Parthico armis inter se certantes Imperatoris Augusti gratiam ambiebant.| 497. Daci ad sinistram ripam Istri in montibus habitantes Istrum glacie obductum transire vicinamque regionem Romanis subiectam populari solebant. *Ister coniuratus*, populi ad Istrum, qui cum Dacis coniuraverant, i. e. arma sociaverant.| 498. *Non r. R. p. r.*, non quas domi, nec quas foris res gerunt Romani.| 499. Agricola semper aequo contentoque animo esse solet, quia tantum habet, quantum requiritur ad vitam sustentandam; itaque nec inopiam novit, qua misera plebs in urbe laborat, nec luxum divitiarum, quibus invideat. — *habenti*, τῷ ἔχοντι, i. e. diviti.| 501. *ferrea*, rigida, quae nullo modo flecti, deleniri possunt. Rustici legum iudiciorumque ignari sunt; unde nata illa excusatio „Rusticus sum"

Insanumque forum aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum;
Hic petit excidiis urbem miserosque Penatis,
Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;
Condit opes alius defossoque incubat auro;
Hic stupet attonitus Rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
Corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor, hinc patriam parvosque Penatis
Sustinet, hinc armenta boum meritosque iuvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.
Venit hiemps: teritur Sicyonia baca trapetis,
Glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae;
Et varios ponit fetus autumnus, et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula nati,
Casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae
Lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto
Inter se adversis luctantur cornibus haedi.

Quintil. 7, 1, 48 et 51.| 502. *Ins.*, insano clamore litigantium perstrepens. — *aut p. t. v.*, nullum nec vectigal, nec portorium, nec pascua a populo tamquam publicanus conduxit, quarum redemtionum tabulae in tabulario publico, quod Romae erat in atrio Libertatis, servabantur.| 503 sqq. Studia et facinora urbanorum: Alii (urbani) navigationi dant operam, aut (v. 1, 419) armant se ferro ad caedem faciendam, aut in aulas ventitant praestoque sunt regibus, et quae praeterea lucri aut commodi alicuius causa fiunt. — *caeca*, plena incertorum casuum.| 505. patriae bellum infert. Antonium significari putant.| 506. *gemma*, poculis ex gemma factis, quae immensi erant pretii. — *Sarrano*, Tyrio; Tyrus olim Sarra dicta.| 508 sqq. Alius miratur eloquentiae forensis laudem, alius captat gratiam populi. — *hiantem* prae admiratione et stupore scilicet. — *Corripuit*, animum commovit. — iunge *plausus per cuneos*, i. e. ab iis, qui per cuneos sedent in theatro, editus, cf. Horat. Od. 1, 20, 3 sq. Cic. Or. Phil. 1, 12. — *geminatus*, repetitus, Horat. Od. 2, 17, 25 sq. „populus frequens Laetum theatris *ter* crepuit sonum.“ Alii geminatum interpretantur duplicem, qui et a plebe detur, et a senatu. — *enim*, v. A. 8, 84.| 510 sqq. ibi (in urbe) parricidia, inde exsilia, ignota illa rusticis. — *gaudent perfusi*, Graeco more Participium cum verbo gaudendi iunctum, ut A. 10, 500. 12, 6. — *dulcia*, v. E. 1, 3.| 513. v. 1, 49.| 514. *anni l.*, annuus.| 516—522. *Nec requies, quin* ... Semper aliquem fructum capit rusticus vel ex pomis, vel ex pecoribus, vel ex agris, cet.| 519. *Venit*, i. e. cum venit; similiter Horat. Sat. 1, 3, 53 „Caldior est, acres inter numeretur;“ i. e. si cald. est; adde A. 1, 572. 6, 31. — Sicyon olivifera, v. E. 1, 55.| 520. *Glande*, quam in silvis fregerunt, laeti, quippe gratissimo sibi pabulo, redeunt ad villam.| 521. *pon. f. aut.*, autumno poma ex arboribus deci-

Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenaee, vocat, pecorisque magistris
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaque agresti nudant praedura palaestrae.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater, sic fortis Etruria crevit
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Impia quam caesis gens est epulata iuvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Inpositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos inmensum spatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia solvere colla.

dunt, v. vs. 14.| 527. *Ipse*, dominus praedii; is autem agitare dies festos dicitur, non quasi solus ac semper ferietur, sed quia ad eum procuratio sollemnium pertinet. Varia autem cum sint sollemnia, unum commemorat poeta, quod peracta vindemia in honorem Bacchi celebrabatur, v. E. 5, 67 sqq.| 528. *Ignis*, sc. in ara. — *socii* sc. operis rustici, cf. Hor. Ep. 2, 1, 142. — *cr. coronant*, fronde redimiunt, ex more illius aevi, cf. A. 3, 525; diversum est ab hoc Homericum illud ἐπιστέψασθαι ποτοῖο.| 530. *cert. ponit*, instituit, ἀγῶνα προτίθησιν. — *in ulmo*, ut aliquid ulmo affixum pro scopo sit.| 531. *palaestrae*, i. e. ad luctam ineundam.| 534. *rerum*, i. e. omnium pulch. Terent. Eun. 2, 2, 17 „qui esse primos se omnium rerum volunt.“| 535. *arces*, montes, colles, 3, 531. 4, 461.| 536. ante imperium Iovis, cf. 4, 152.| 537. Colum. lib. VI. Praefat. „bovis tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capital esset, bovem necuisse, quam civem.“ Cic. de Nat. Deor. 2, 63 „Tanta putabatur utilitas percipi ex bubus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.“| 538. v. E. 4, 6 et 9.| 541. Iam se ad finem operis pervenisse significat poeta, sumta a circo imagine; aequor locum indicat planum, qualis erat circus; qui in eo fiunt cursus ac recursus, proprie vocantur *spatia* 1, 512. — *inmensum spatiis*, immensorum spatiorum campus; adamant etiam oratores talis compositionis elegantiam, ut Cic. Phil. 3, 6 „*vetustate* antiquissimum, *iure* foederatum, *propinquitate* paene finitimum, *splendore* municipium honestissimum.“| 542. *solv. colla*, proprie iugum collo impositum solvi dicitur.

De clausula libri secundi exordioque libri tertii fusius dictum est in Prolegomenis §. 4.

GEORGICON
LIBER TERTIUS.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso, vos, silvae amnesque Lycaei.
Cetera, quae vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia iam volgata: quis aut Eurysthea durum,
Aut inlaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos,
Hippodameque humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Temptanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,

Lib. III. Exordium carminis vs. 1—48. *Poeta de re pecuaria se scripturum profitetur, vs.* 1—2; *alia argumenta, quibus quis tractandis laudem possit consequi, ab aliis occupata esse, trita iam et vulgaria, vs.* 3—8; *rem se carmine explicandam sumpsisse, quam nullus ante ipsum poeta attigerit, vs.* 8—9 (nempe ut libro I et II Graecos poetas, qui de illis rebus scripserunt, longo intervallo post se reliquit, ita libro III et IV argumenta tractat ab omnibus poetis derelicta, unde intelligitur, quare hoc demum loco suae ipse virtuti gloriaeque faveat); *gloriam Musarum beneficio sibi partam decus et ornamentum fore patriae, vs.* 10—12; *ibi se Caesari Octaviano* (quippe cui etiam ipsum otium ad scribendum debeat) *ludos celebres templumque instituturum, imaginibus rerum ab illo gestarum statuisque proavorum eius Troianorum condecoratum, vs.* 13—39. *Tum invocat Maecenatem, cuius iussu Georgica scribere aggressus erat, ut sibi ad telam inceptam feliciter pertexendam adsit propitius, vs.* 40—45. *Postremo Caesaris laudes bellicas heroico carmine se celebraturum promittit, vs.* 46—48. ‖ 1. 2. Pales, Apollo Nomius et Pan numina pastoritia. — *Past. ab Amphr.*, i. e. Amphrysius, ut 2, 643 „a fontibus undae,“ i. e. fontanae; A. 7, 647 „Tyrrhenis ab oris Mezentius;“ Ovid. Am. 2, 6, 1 „ales ab Indis,“ i. e. Indica; v. E. 1, 8. — Amphrysus Thessaliae fluvius, ad quem Apollo boves Admeti pavisse dicitur. — Lycaeus, mons Arcadiae, Pani sacer. | 3. *vac.*, quibus vacat animum ad carmina legenda advertere. | 5. Busiris, rex Aegypti, omnes advenas solebat mactare; interemit eum Hercules ex hortis Hesperidum rediens. | 6. v. E. 6, 43. | 7. Cum Tantalus, rex Lydiae, Pelopem filium Diis epulandum apposuisset, Iuppiter hunc in vitam restituit et humerum ei, a Cerere iam absumptum, eburneum tribuit. Idem Pelops Hippodamiam, patre Oenomao, rege Pisae, certamine quadrigarum victo, uxorem ex pacto duxit. | 8. *Acer. eq.*, *ἱπποσύνῃ πεποιϑώς*, Hom. Il. 4, 303. Equos alatos a Neptuno Pelopi datos refert Pind. Ol. 1, 140 sq., alati iidem in arca Cypseli ap. Pausan. 5, 17, 4. Alii dolo victum Oenomaum tradunt. | 9. *vict.*, effector propositi parata egregii operis fama. — *vir. vol. p. o.*, sumpta locutio ab illo, quod est tenuius, *esse in ore omnium*, i. e. ab omnibus laudari; Ennius de se „volito vivu' per ora virum.“ | 10. Primus, non Romanorum, quod superbum esset, sed primus ex popularibus meis, i. e. Mantuanis, Musas ab Helicone deducam, i. e. huc in patriam transferam a Graecis laudem artis poeticae; v. E. 6, 65. — *modo v. s.*, septem annos Georgicis impendisse Virgilium accepimus; ergo minimum tres cadunt in tertium quartumque librum, satis longum spatium homini semper infirma valetudine utenti. |

Aonio rediens deducam vertice Musas;
Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius et tenera praetexit arundine ripas.
In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus;
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus et crudo decernet Graecia caestu.
Ipse, caput tonsae foliis ornatus olivae,
Dona feram. Iam nunc sollemnis ducere pompas
Ad delubra iuvat caesosque videre iuvencos;
Vel scaena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto

12. *palmas*, tamquam insigne victoris, cf. vs. 9 et 17; nempe iure gloriatur Virgilius victoriam se in hoc genere carminis (modo vita supersit, nam coepta tum erant, nondum absoluta Georgica) relaturum esse, quia ne Graecorum quidem quisquam similem in eo laudem adeptus est. — Idume s. Idumaea pars Iudaeae, quae palmis frequens erat; v. E. 1, 55. | 13. Qui victoriam appetebant, aras, templa, ludos, vel alia, vovebant ei numini, ut h. l. Virgilius Caesari Octaviano, cuius auxilio maxime confidebant. | 14. v. E. 8, 87. | 17. *Tyr. c. i. ostro*, purpura, i. e. toga praetexta, conspicuus, ut magistratus Romani ludis praesidentes. | 18. *Centum* non uno missu, sed pluribus; multiplicavit missus Nero, centum peracti iussu Domitiani ludis saecularibus, cf. Sueton. Ner. 22. Domit. 4. — Ceterum numerus centenarius sollemnis in rebus sacris; cf. A. 1, 417. 4, 199 sq. Tib. 1, 7, 49 et v. A. 8, 716; ipsi autem eiusmodi ludi et certamina erant res sacra, utpote in honorem deorum instituta. — *agit.*, efficiam, ut agitentur. | 19 sq. Ipsi Graeci, Augusti faventes honori, posthabitis ludis Olympiacis et Nemeaeis haec certamina concelebrabunt. Hercules postquam leonem Nemeaeum occidit, vel primum fecit ludos Nemeaeos, vel restituit intermissos; is tum hospitio exceptus est a Molorcho pastore; hinc lucus Molorchi i. q. lucus Nemeaeus. — Alphēus flumen Olympiam praeterlabebatur. | 20. *crudo*, v. A. 5, 69. | 21 sq. *Dona*, i. e. sacra, cf. A. 4, 453. 7, 86. 9, 626. — Sacerdotes et sacrificantes corona oleaginea se redimiebant, A. 5, 774. 6, 809, quae *tonsa* propterea dici videtur, quod maioribus foliis detonsis minora tantum relinquerentur. | 22 sqq. Praecipit animo ista, quae instituturus est, sollemnia, ut iam peragi videantur. Solebant autem, antequam ludi Circenses inirentur, prosequente magna caterva deorum signa feretris in Circum deferri; quae res per voc. *pompae* indicatur. | 24. *Vel videre*, *ut* cet. Etiam scenicos ludos exhibiturus est poeta. Et scena h. l., angustiore sensu dicta, significat parietem illum pictum, qui consistentibus in proscenio actoribus a tergo est. Indicatur autem a poeta, ut auctor est Servius, scena versatilis, quae, si qua loci, quo res agerentur, mutatio necessaria esset, convertebatur; sic fiebat, ut, quae modo antica pars, s. frons, fuisset, fieret postica, haec autem antica; et aliam locorum faciem haec, aliam illa referebat. Atque ut in ductili scena tabulae, quibus ea constabat, diduci, ita in versatili versis cardinibus converti facile poterant. *discedat* igitur i. q. dissolvatur. | 25. Aulaeum cum scenae obtendebatur, non demitti, sed tolli solebat in vetere theatro. Imagines autem Britannorum ita erant intextae, ut ipsi aulaeum tollere sublatumque sustinere viderentur, cf. Ovid. Met. 3, 111—114. | 26 sqq. Ornamenta templi in Augusti honorem condendi: anaglypha in foribus, cf. A. 6, 20,

Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,
Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.
Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis,
Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
Bisque triumphatas utroque ab litore gentis.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis
Nomina, Trosque parens, et Troiae Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
Inmanemque rotam, et non exsuperabile saxum.
Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa.
Te sine nil altum mens inchoat: en age, segnis
Rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithaeron

tum signa et statuae vs. 34 sqq. Illa spectant ad res Octaviani maxime in Asia Africaque gestas, a poeta mirabilius auctas. Gangaridae, Indi ad Gangis ostia; horum nomine omnino populi orientales significantur; cf. 2, 172. — Quirinum, tamquam alterum Romulum alterumque Urbis conditorem, Octavianum appellat poeta.| 28. *Atque hic*, in altera forium parte, in altera valva. — *magnum fl.*, *πολὺν ῥέοντα*, copia profluentium aquarum abundantem, v. 1, 163; similiter „*plurimus* Eridanus" A. 6, 669 et cf. A. 3, 196; respicitur autem ad bellum cum Antonio gestum.| 29. col. rostratas ex rostris navium in pugna Actiaca captarum faciendas.| 30. quomodo *urbes?* solebant hae per effigies mulierum repraesentari. — per *Niphaten*, ut A. 8, 728 per Araxen, fluvium Armeniae ipsi Armenii significantur, quorum in regnum deductus est a Romanis Tigranes a. 734.| 31. Parthi fugientes solebant in hostem sequentem sagittas mittere.| 32 sq. *diversi* hostes dicuntur, qui contrarias orbis terrae partes incolunt, Orientem et Occidentem; et binas victorias ex utroque hoste ita dicitur reportasse, ut respiciatur ad bellum Antonianum a. 723 et 724 gestum et ad signa, quae Crasso duce Romani amiserant, a Phraate, Parthorum rege, a. 734 reddita; tum ad domitos in Hispania Cantabros a. 729 rebellesque eosdem a. 732 contusos; adiungere licebit etiam Britannos armorum Romanorum solo terrore perculsos a. 727. — *utroque ab lit.*, utriusque Oceani, orientalis et occid., et v. E. 1, 8.| 34. Paros una ex Cycladibus optimo candidissimoque marmore nobilis. — *spirantia*, quasi viventia, i. e. verum vultum felicissime exprimentia; cf. A. 6, 848 sq.| 35 sq. *Ass. pr.*, auctores gentis Iuliae, in quam Octavianus per adoptionem venerat; cf. Hom. Il. 20, 215. 219 et 230—240. tum A. 1, 286—288.| 36. Apollo, a Cyntho, Deli monte, Cynthius appellatus, cum Neptuno muros arcis Troianae condiderat; idem deus tutelaris Augusti, atque adeo pater eius a vulgo creditus; Sueton. Aug. c. 94.| 37. Imago Invidiae ad Tartarum proturbatae, per quam compressa adversariorum in Augustum odia coercitaeque discordiae civiles significantur, in eodem templo exhibebitur, in tabula scilicet picta; aliter enim haec, quae ponuntur a poeta, non facile omnia simul exprimi poterant.| 38. *angues*, quibus ille propter tentatam Iunonis pudicitiam ad rotam perpetuo se circumagentem alligatus erat; cf. Tibull. 1, 3, 73 sq.| 39. saxum Sisyphi, cf. Hom. Od. 11, 593 sqq.| 40 sq. cf. 1, 12 et v. 1, 2. 14. — *intactos*, quod nullus ante Virgilium poeta hanc partem rei rusticae attigit, cf. vs. 291 sqq. — *haud mollia i.*, cf. vs. 289 sq.| 43 sq. *Rumpe m.*, his verbis se ipse exhortatur poeta, qui tamquam in rem praesentem delatus (cf. 2, 45) iam sibi videtur

Taygetique canes domitrixque Epidaurus equorum,
Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas
Caesaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.
    Seu quis, Olympiacae miratus praemia palmae,
Pascit equos, seu quis fortis ad aratra iuvencos,
Corpora praecipue matrum legat. Optuma torvae
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent;
Tum longo nullus lateri modus; omnia magna,
Pes etiam; et camuris hirtae sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut iuga detractans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior, quaeque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Aetas Lucinam iustosque pati hymenaeos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos;
Cetera nec feturae habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum laeta iuventas,
Solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optuma quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor et durae rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis:
Semper enim refice, ac, ne post amissa requiras,
Anteveni, et subolem armento sortire quot annis.

varias multiplicesque voces armentorum, canum, equorum audire ex nobilissimis saltibus pascuisque ad aures accidentes. — Cithaeron mons Boeotiae, Taygetus Laconiae, et v. E. 1, 2. Pastores etiam venationi operam dabant; canum autem venaticorum maxime laudabantur Laconici. — Epidaurus non illud Illyridis, sed Argolidis oppidum, equis nobile. Xenophon, qui hominem militarem rebus ad usum belli praestantissimis exornatum volebat, equo Epidaurio vehebatur, Ael. V. H. 3, 24.| 45. eaque vox repercutitur per echo nemorensem.| 48. quot anni effluxerunt a primis gentis Iuliae auctoribus; in quibus Tithonus, Laomedontis filius, Trois abnepos, a poeta numeratur; v. vs. 122.|| 49—283. *De equis et armentis.*| 49. Seu quis ad certamina (quorum nobilissima erant Olympia) equos alit. — *palmae:* Virgilii quidem temporibus, item postea, Olympionicis non solum coronae ex oleastro, quas capiti imponerent, sed etiam palmae, quas, ut videtur, manu gestarent, dabantur.| 52. *turpe c.*, frons lata, adspectu minus iucunda, quam angustior et reliquis partibus convenientior.| 56. *maculis et albo*, hendiadys, i. q. *maculis albis*, v. 1, 173. Maxime probabantur vaccae rubeae aut heluae.| 57. *aspera c.*, cornu petens.| 60. *Luc.*, partum, v. 1, 295. — *pati hym.*, v. E. 2, 24.| 64. *Solve mares* quid hic significet, docere videtur 4, 199.| 69 sq. Semper erunt matres quaedam parum idoneae, quas cum aliis mutare praestet; semper enim reficiendae, i. e. novae in illarum locum substituendae.| 70 sq. ne postea damnum cum desiderio sentias, elige quotannis, quas ex nova

Nec non et pecori est idem delectus equino.
Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,
Praecipuum iam inde a teneris inpende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur et mollia crura reponit;
Primus et ire viam et fluvios temptare minacis
Audet et ignoto sese committere ponti,
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga,
Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices glaucique, color deterrimus albis
Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus,
Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.
Densa iuba, et dextro iactata recumbit in armo;
At duplex agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere poetae,
Martis equi biiuges, et magni currus Achilli.
Talis et ipse iubam cervice effudit equina
Coniugis adventu pernix Saturnus et altum
Pelion hinnitu fugiens inplevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis aut iam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectae:
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit; et, si quando ad proelia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,

subole armento ad feturam apto adiungas.| 73. v. E. 1, 15 et 46.| 75. v. 1, 169.| 76. *mollia*, molliter inflexa, non, ut rigidiores equi, recta; Xenoph. de re equestr. 10, 4 „*τὰ σκέλη ὑγρὰ μετεωρίζει.*“ — *reponit*, in gradiendo sublata humi vicissim ponit, v. 2, 29.| 77. *Primus ire v.*, „procurrit ante gregem“ Colum.| 79. *van. strepitus* pontis scilicet lignei.| 80. *Argutum*, apte venusteque compositum, quale solet esse generosi equi; spectatur in tali capite maxime brevitas, quare *breve* interpretatur Servius.| 82. *glauci*, *Blauschimmel*, chevaux bleus pommelés. — *albis*, quos probe distingues a candidis; quamquam etiam qui candent dicuntur interdum albi, ut Ovid. Met. 15, 189.| 85. per *ignem* calidi flatus significantur, indicium acris animi; *collectum* in pectore; similiter dicimus *iram*, *rabiem*, *sitim colligere*. Claud. de IV cons. Hon. 545 „Ignescunt patulae nares.“| 87. *At*, v. A. 7, 691. — *duplex*, duplicis spinae speciem habens, lata et sulcata. — *lumbos*, i. e. eam dorsi partem, quae lumbos attingit.| 89. *Amycl.*, Amyclis, urbe Laconica, natus.| 91. *Mart. e. b.* Hom. Il. 15, 119. — *currus*, v. 1, 514. — *Achilli*, Genetivus, ut *Ulixi*, a forma Dorica *Ἀχίλλης*, *Οὐλίξης*, Genet. *Ἀχίλλου*, Accus. *Ἀχίλλην*. Ceterum cf. Iliad. 16, 148 sqq.| 93. Saturnus cum Philyra, Oceani filia, congressus (unde Chiron natus) supervenientem coniugem Opim ut falleret, in equum se convertit. — *Pelion*, v. 1, 281.| 96. *abdi* dicuntur interdum, qui e luce, nobilitate, celebritate rediguntur in obscuritatem ac solitudinem, cf. Horat. Ep. 1, 1, 5; *abde domo*, ad ignobilia villae ministeria redige.| 98. *proelia*, cf. A. 11, 736.| 99. cf. 1, 84 sq.|

Incassum furit. Ergo animos aevumque notabis
Praecipue; hinc alias artis, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.
Nonne vides, cum praecipiti certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,
Cum spes arrectae iuvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans? Illi instant verbere torto
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis;
Iamque humiles, iamque elati sublime videntur
Aera per vacuum ferri atque adsurgere in auras;
Nec mora, nec requies; at fulvae nimbus arenae
Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum:
Tantus amor laudum, tantae est victoria curae.
Primus Erichthonius currus et quattuor ausus
Iungere equos rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
Inpositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.
Aequus uterque labor; aeque iuvenemque magistri
Exquirunt calidumque animis et cursibus acrem,
Quamvis saepe fuga versos ille egerit hostis,
Et patriam Epirum referat, fortisque Mycenas,
Neptunique ipsa deducat origine gentem.
His animadversis instant sub tempus et omnis
Inpendunt curas denso distendere pingui,
Quem legere ducem et pecori dixere maritum;

101. *artes*, virtutes, quales in eiusmodi equo requiruntur. — *parentes* h. l. sunt auctores totius generis, *proles*, qui ab his deinceps alii ex aliis procreati; ergo notabis, quales fuerint, per quos quasi gradus inchoatum a primis auctoribus genus ad ipsos descenderit; cf. Horat. C. 4, 4, 29 sq.| 103. v. E. 3, 12.| 104. *Corrip.*, v. 1, 49. — *carcere*, v. 1, 512. Praeterea cf. Iliad. 23, 362 sqq.| 105 sq. *haurit* apud Virgilium saepe i. q. alte penetrat; v. A. 2, 600. — Ceterum similiter Aeschylus: ὀρχεῖται καρδία φόβῳ et καρδία φόβῳ φρένα λακτίζει.| 107. *volat vi*, v. cum impetu.| 113. *Erichth.*, antiquissimus rex Atheniensium.| 114. *rotae*, currens currus, A. 12, 533. 671.| 115. *Pelethronii* dicti a saltu Pelethronio in Pelio monte Thessaliae. — Inventio artis equitandi. — *gyr. dedere*, invenerunt, i. e. docuerunt, equum in gyrum flectere.| 117. *Insult.*, equiti, quod proprie equo, tribuitur. — *gr. glom.*, glomeratus gradus opponitur vulgari a Plin. N. H. 8, 42, 67, ac significatur is, qui fit cruribus paulo altius sublatis atque arcuatim replicatis, et hoc est illud ap. Grat. 503 „ardua fundet in auras Crura.“| 118—122. Aequus uterque labor, et Veneri satisfacere (cf. vs. 97) et certamini sive curuli sive equestri. Itaque ad talia magistri seligunt e ceteris equis et iuvenem et acrem, quamvis „ille“ vetus, nunc praeteritus, olim saepe fuga versos egerit hostes *etc.* — Vir doctus, Tittlerus, versus 120—22 post vs. 96 collocari iubet.| 121. cf. 1, 59 et v. 1, 419.| 122. Arion ex Neptuno et Cerere in equos conversis prognatus, equus longe nobilissimus, cuius seminium fuit apud Adrastum. *Neptuni origine*, a Neptuno tamquam primo generis auctore; cf. vs. 48.| 123. *sub t.*, appropinquante admissurae tempore.| 124. *pingue* etiam in soluta oratione pro Substantivo positum invenitur. — *denso*, Servius „non laxo; quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt.“|

Florentisque secant herbas, fluviosque ministrant
Farraque, ne blando nequeat superesse labori,
Invalidique patrum referant ieiunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes,
Atque, ubi concubitus primos iam nota voluptas
Sollicitat, frondesque negant et fontibus arcent.
Saepe etiam cursu quatiunt et sole fatigant,
Cum graviter tunsis gemit area frugibus, et cum
Surgentem ad Zephyrum paleae iactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus
Sit genitali arvo et sulcos oblimet inertis,
Sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidae cum mensibus errant,
Non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus et acri
Carpere prata fuga fluviosque innare rapacis.
Saltibus in vacuis pascunt et plena secundum
Flumina, muscus ubi et viridissima gramine ripa,
Speluncaeque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graii vertere vocantes,
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus aether
Concussus silvaeque et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras

126. *Florentis*, i. e. nitentes sucique plenas. Al. *pubentis.*| 127. *superesse*, sufficere et perferre.| 128. Neve *cet.*| 129. *armenta*, quibus illum ducem esse voluerunt, i. e. feminas. — *volentes*, data opera.| 130. *ubi primos*, i. e. ubi primum, simulac; sic *postquam prima* A. 1, 723; *cum primas* 7, 61 (Liv. 21, 5 „*cum prima* quies fuit"), *ut primis* 11, 573, *vix primos* 5, 857. infra vs. 187 „*primo* depulsus ab ubere," i. e. ubi primum ab ubere matris depulsus fuerit; „*primis*que cadentibus astris" A. 8, 59. — *nota*, signis quibusdam prodita.| 131. *frondes*, cf. vs. 528.| 133. cf. 1, 297 sq.| 134. „ad eam rem Favonius (Zeph.) habetur eximius, qui lenis aequalisque aestivis mensibus perflat" Colum. 2, 20, 5.| 136. Sic Graeci poetae saepe verbis σπείρειν et αὔλαξ utuntur in re venerea.| 137. celeriter concipiat.| 139. Solent a concipiendi tempore ad tempus pariendi numerari menses; cf. E. 4, 61; *exacti* vicini partui.| 140. *Non quisquam*, v. 1, 456. — Proprie dicimus: plaustrum iugo ducere. Sed cum iugum simul cum plaustro promoveatur, ipsum iugum duci s. trahi dicitur. *plaustris* est Dativus, qui omnino rem significare solet, ad quam quid (h. l. *iuga ducere*) aliquo modo pertinet; v. 2, 206.| 143. *vacuis*, ubi nihil obstat, quod saltu superent (ut saepes, fossas), non flumen rapidum, quod tranent. — *pascunt* eas, *ubi* sit *muscus*.| 145. v. A. 7, 463.| 146 sq. *Silarus* fluvius, *Alburnus* mons Lucaniae; *volitans*, h. l. Substantivum, ut *natantes* vs. 541, *volans* 4, 16.| 148. *vert. voc.*, mutato i. e. alio, nomine vocant oestrum.| 149. *acerba s.*, cf. A. 9, 794. 12, 398. infra vs. 500 „*Crebra* ferit." „*torva* tuentem" A. 6, 467 „*vana tumentem*" 11, 854, et v. A. 2, 690.| 151. Tanagrus torrens, qui se in

Inachiae Iuno pestem meditata iuvencae.
Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,
Arcebis gravido pecori, armentaque pasces
Sole recens orto aut noctem ducentibus astris.
Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas et nomina gentis inurunt,
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram
Et campum horrentem fractis invertere glaebis.
Cetera pascuntur viridis armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
Iunge pares, et coge gradum conferre iuvencos;
Atque illis iam saepe rotae ducantur inanes
Per terram, et summo vestigia pulvere signent;
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et iunctos temo trahat aereus orbis.
Interea pubi indomitae non gramina tantum,
Nec vescas salicum frondes ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata; nec tibi fetae,
More patrum, nivea inplebunt mulctraria vaccae,
Sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium turmasque ferocis,
Aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae,
Et Iovis in luco currus agitare volantis:
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantis;
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus et plausae sonitum cervicis amare.
Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris

Silarum effundit, aestate siccus.| 153. Ioni, Inachi filiae; cf. Ovid. Met. 1, 588 sqq.| 155. cf. E. 7, 47.| 158 sqq. notas inurunt, quibus indicetur, et quo quisque genere sit ortus, et quos aut admissarios esse malint, aut hostias cet.| 159. v. E. 1, 46 et G. 1, 3.| 162. Illa modo memorata domi aut omnino separatim habebantur, cf. vs. 212 sqq.; cetera, non signata, unde lac tantum petebatur aut carnes, promiscue pascebantur.| 163. *Tu* vim habet in praecipiendo, hortando, increpando, cf. 1, 344. 2, 241. A. 4, 265.| 168. *ipsis e t.*, ex ipsis illis, i. e. eiusdem generis circlis.| 170. v. vs. 114.| 173. *aereus*, aere vinctus. — *orbes*, rotas, plaustrum.| 176. *frum. sata*, herbas novellae segetis, farraginis puta, cf. vs. 205.| 179 sq. Si studium est, aut ad usum belli pullos formare (quod verbum repetes e vs. 163) aut praelabi fl. P.; et v. vs. 19. — Olympia saepe Pisae, proxime sitae urbis, sed bello funditus deletae, nomine a poetis appellatur.| 183. *tractu gem.*, strepentem, dum trahitur.| 187. v. vs. 130.|

Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi.
At tribus exactis ubi quarta acceperit aestas,
Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti similis; tum cursibus auras,
Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Aequora vix summa vestigia ponat arena;
Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiaeque hiemes atque arida differt
Nubila; tum segetes altae campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summaeque sonorem
Dant silvae longique urguent ad litora fluctus;
Ille volat, simul arva fuga, simul aequora verrens.
Hinc vel ad Elei metas et maxuma campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas,
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere iam domitis sinito: namque ante domandum
Ingentis tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati et duris parere lupatis.
Sed non ulla magis viris industria firmat,
Quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris,
Sive boum sive est cui gratior usus equorum.

188. *in vicem* haec facienda, i. e. modo strepitu, modo capistris assuefaciendus est equus. | 189. *Invalidus*, cf. vs. 332. A. 4, 64. 5, 337. — *insc. aevi*, virium, quas propter aetatem nondum aut habet, aut expertus est. — *etiam*, etiamnum. | 190. Equae concipiunt verno tempore, exactoque toto prope anno pariunt; ergo quarta aestate pullus incipit domari. — Al. *adcesserit;* cf. E. 8, 39. | 191. *Carp. gyr.*, cf. A. 6, 629. — *sonare*, cf. A. 8, 596. — *grad. son. compos.*, in numerum factis. | 192. *sinuet vol.*, v. A. 1, 340. | 193. laboranti est similis et propter cohibitum libere currendi impetum et propter difficilem incessum. | 194. *vocet*, in certamen, A. 6, 172. 11, 375, i. e. provocet. | 196. *Hyperb.*, cf. v. 381. — *densus*, qui quasi condensata aura et ad resistendum difficili flat, ergo vehemens. | 197. *hiemes*, tempestates. — Aquilo serenat caelum Italiae; hinc ipse siccus a Lucano 4, 50 appellatur; et Seneca Nat. Quaest. 3, 28 „fluere assiduos imbres et non esse modum pluviis, suppressis *Aquilonibus et flatu sicciore*." — *arida n.*, igitur, quae sunt sine pluviis. | 198. *altae*, adultae. — *c. natantes*, segetes undantes et fluctuantes. | 199. *Lenibus h. fl.*, leniter strepunt agitatae et quasi trementes, contra arbores graviter sonant, id est enim *dant sonorem*. | 200. *longi*, qui longo sunt tractu. — *urguent*, i. e. urgentur, v. 1, 163. | 202. *Elei campi*, v. 1, 59. — *Hinc*, i. e. ubi ista didicerit. Alii *Hic*. | 203. *spatia*, locus, ubi decurritur, ut A. 5, 316, hic quidem hippodromus. — *sp. ag. o. cruentas*, duris lupatis (vs. 208) laeso ore, ut puto; Servius „est signum equi fortissimi, si velut rubras egerit spumas." | 204. *Belgica*, Belgae, ut alii Galli, cf. Liv. 10, 28, Britannique, cf. Caes. B. G. 4, 24 et 33, ex essedis pugnabant. — *molli*, ex disciplina scilicet, quod facile flectitur et regitur. | 205. *Tum demum ... iam domitis*, similiter, sed inverso ordine, A. 12, 6. | 206. *ante dom.*, i. e. si farraginem praebueris, antequam domare inceperis. | 210. *caeci*,

Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata;
Aut intus clausos satura ad praesepia servant.
Carpit enim viris paulatim uritque videndo
Femina, nec nemorum patitur meminisse nec herbae.
Dulcibus illa quidem inlecebris et saepe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantis.
Pascitur in magna Sila formosa iuvenca:
Illi alternantes multa vi proelia miscent
Volneribus crebris; lavit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urguentur cornua vasto
Cum gemitu; reboant silvaeque et longus Olympus.
Nec mos bellantis una stabulare; sed alter
Victus abit, longeque ignotis exsulat oris,
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum, quos amisit inultus, amores;
Et stabula adspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni cura viris exercet, et inter
Dura iacet pernox instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis et carice pastus acuta,
Et temptat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Post, ubi collectum robur viresque refectae,
Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hostem;
Fluctus uti medio coepit cum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit; utque volutus
Ad terras inmane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit; at ima exaestuat unda
Verticibus, nigramque alte subiectat arenam.

occulti, nondum se prodentis, A. 4, 2.| 212. v. 1, 142.| 215. *urit vid.*, urit *taurum* eo, quod ille eam videt; v. A. 12, 46.| 219. Postquam ante poeta universe commemoravit impatientiam amoris, quae est taurorum, iam revocatur ea res ad certum exemplum. Et vide tranquillitatem pascentis vaccae ipsis numeris expressam, contrariam illam certamini proximis versibus describendo. — *Sila* mons silvosus in Bruttiis.| 220. *altern.*, invicem inter se; cf. A. 2, 433.| 230. *instr. c.*, in nudo solo.| 232. *ir. in corn.*, iram quasi viresque, quas suppeditat ira, colligere in cornua; Silius 15, 64 „torvi in cornua tauri;" Eurip. Bacch. 742 „*ταῦροι εἰς κέρας θυμούμενοι.*" Calpurn. Ecl. 9, 34 „Qui nunc pro nivea *coiere in cornua* vacca." similiter *meditari in proelia* A. 10, 455. — Ceterum v. 2, 441.| 233. *vent. lacessit*, velut adoritur et ferit aera, ventilans quasi gladiatorum more.| 236. *Signa m.*, locutio castrensis; sic multa e vita humana ad vitam ceterorum animalium transtulit Virgilius; cf. 4, 108. A. 12, 6.| 237. *medio ponto*, i. e. in ponto, v. A. 7, 563.| 238. colligit vim aquae in speciem sinus curvatae; cf. A. 3, 564. 7, 528—30; expressit poeta Homericum illud Il. 4, 426 *κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται.* Ceterum v. 2, 290.| 239. *ipso Monte*, ipsis *saxis*, s. scopulis.| 241. *Verticibus*, aquis in modum gyri sursum actis.|

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres,
In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leaena
Saevior erravit campis, nec funera volgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas; tum saevus aper, tum pessima tigris;
Heu, male tum Libyae solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos iam frena virum, neque verbera saeva,
Non scopuli rupesque cavae atque obiecta retardant
Flumina correptosque unda torquentia montis.
Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad volnera durat.
Quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat caeca serus freta; quem super ingens
Porta tonat caeli, et scopulis inlisa reclamant
Aequora; nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variae et genus acre luporum
Atque canum? quid, quae inbelles dant proelia cervi?
Scilicet ante omnis furor est insignis equarum;
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigae.
Illas ducit amor trans Gargara transque sonantem
Ascanium; superant montis et flumina tranant.
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis: —

242. v. 1, 295. | 246. v. 1, 49. | 251. *od. att. aur.*, nimirum emanat quiddam ex odore, quod mixtum auris affertur ad sensum olfaciendi, et cf. 4, 417. | 252. *Ac* i. e. quod ubi fit; copulatur per hanc particulam eventus cum causa ita, ut ille hanc statim subsequi significetur, v. A. 5, 504. | 253. *obiecta*, ergo vulgaris equi cursum morantia. | 254. *montes*, saxa. | 257. Al. *humerosque.* | 259 sq. Spectant haec ad Leandrum et Heronem. — *abrupt.* v. A. 2, 416. | 261. Caelum, quod solidum et concameratum antiqua superstitio putabat, portam habere existimabatur, quemadmodum Olympus apud Hom. Il. 5, 749, per quam et dii ipsi descenderent et fulmina ac tonitrua venirent. | 262 sq. Ignotum parentibus fuit inceptum filii; ergo *miseri parentes* i. q. miseria parentum, *moritura virgo* i. q. certa mors virginis; harum rerum scilicet cogitatio eum revocare debuit; nam si res male cederet, illi orbi erant futuri, haec animam proiectura. | 263. *super*, cf. A. 4, 606. — *cr. funere*, cf. A. 4, 308. | 264. *Quid* i. e. Quid dicam, ut illae furant, quandoquidem constat omnium maxime furere equas? — Ceterum cf. Ovid. Met. 3, 668. | 267. *mentem*, *μένος*, impetum. — Glaucus, Sisyphi fil., Potniis, vico Boeotiae, equas alebat, quibus Venus furorem iniecit, ut ipsius domini corpus dilaniarent, quod ab eo arcebantur a coitu. 269. v. 1, 103. | 270. Asca-

Vere magis, quia vere calor redit ossibus — illae
Ore omnes versae in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque levis auras, et saepe sine ullis
Coniugiis vento gravidae — mirabile dictu —
Saxa per et scopulos et depressas convallis
Diffugiunt, non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus,
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur et pluvio contristat frigore caelum.
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus;
Hippomanes, quod saepe malae legere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis: superat pars altera curae,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem;
Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
Raptat amor; iuvat ire iugis, qua nulla priorum

nius nomen lacus et fluvii Bithyniae.| 272. *ossibus*, medullae ossibus inclusae; medulla enim sedes caloris habebatur, quare etiam sudare dicitur A. 7, 458 sq.; itaque calor ossa relinquit deficientium A. 3, 308, miseria aliqua afflictorum A. 9, 475; similiter afficit ossa tremor A. 2, 120 sq. et, ut puto, pavor A. 3, 57; contra incenduntur ossa dolore G. 3, 457 sq. A. 5, 172, amore G. 3, 258. A. 1, 660. 8, 390, *furore* A. 4, 101 et quodam genere pavoris A. 7, 458; denique „*λίπεν ὀστέα θυμός*" Hom. Il. 20, 406, quia in iis inest vis et calor vitalis.| 278. Aristoteles de re eadem: „*θέουσι δὲ οὔτε πρὸς ἕω, οὔτε πρὸς δυσμὰς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον ἢ νότον.*"| 279. *pluv. frigore*, quia omnis pluvia refrigerat aera; cf. 4, 261.| 280. *demum* vim habet h. l., quam Grammatici appellant, restrictivam; nempe hoc virus quidem vero ac proprio nomine vocatur hippomanes; nam etiam alii rei, sed parum proprie, imponitur idem nomen; v. A. 4, 515.| 282. *leg. nov.*, ut eo pro philtro uterentur. Videtur poeta maxime de Phaedra Hippolytum amante cogitasse.| 283. Inter cantum carminum magicorum cum hippomane miscuerunt herbas vim magicam habentes. — En subitum transitum a relativa, quam dicunt, structura ad demonstrativam a nostra consuetudine alienum. Praegresso enim pronomine relativo saepe alterum enuntiatum per copulam aut ita subiungitur, ut Verbo finito Participium substituere liceat, ut A. 6, 283 sq. „*quam* sedem Somnia vulgo Vana tenere ferunt, foliis*que* sub omnibus haerent," i. e. sub o. f. *haerentia*; adde 5, 402 sq. 6, 550 sq. 10, 811. 11, 75; aut ita, ut ipsum pronomen, sed alio casu, repeti possit, quemadmodum h. l. *miscueruntque* pro *et cui miscuerunt*; A. 3, 381 sq. „Italiam, *quam* tu iam rere propinquam Vicinos*que*, ignare, paras invadere portus" pro *et cuius portus*; adde 8, 566 sq. 9, 593. 10, 519 sq.; similiter G. 4, 9 „*Quo* neque sit ventis aditus, ... *neque* oves haedique petulci Floribus insultent" pro *et ubi non insultent floribus*.| 285. dum speciatim quaeque describimus. — *capti* .... *amore*, qui quidem ex rei iucunditate nascitur.|| 286—403. *De ovibus et capris*.| 287. *agitare*, i. e. proprie pastum agere, quia haec est praecipua cura pecus habentis, omnino curare.| 288. *Hic lab.*, in hoc opera vestra posita esto.| 289. *an. d.*, v. 4, 491.| 290. *hunc hon.*, eum, qui a poeta requiritur, verborum ornatum.| 291. *deserta*, v.

Castaliam molli devertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
  Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere ovis, dum mox frondosa reducitur aestas,
Et multa duram stipula felicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida laedat
Molle pecus, scabiemque ferat turpisque podagras.
Post hinc digressus iubeo frondentia capris
Arbuta sufficere et fluvios praebere recentis,
Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem, cum frigidus olim
Iam cadit extremoque inrorat Aquarius anno.
Hae quoque non cura nobis leviore tuendae,
Nec minor usus erit, quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores:
Densior hinc suboles, hinc largi copia lactis;
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Laeta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci saetasque comantis
Usum in castrorum et miseris velamina nautis.
Pascuntur vero silvas et summa Lycaei,
Horrentisque rubos et amantis ardua dumos;
Atque ipsae memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivalis,
Quo minus est illis curae mortalis egestas,
Avertes, victumque feres et virgea laetus
Pabula, nec tota claudes faenilia bruma.
At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas

vs. 40.| 293. *Cast.*, *ad* Cast. — *molli*, ad ingrediendum facili, non praecipiti.| 294. Spectant haec ad vs. 289 sq.| 295. *mollibus*, cf. vs. 297 sq.| 299. *turpes*, pedes tuberibus deformantes.| 300. *Post h. d.*, respondent haec voci *Incipiens* vs. 295.| 302. *a ventis*, i. q. aversa a ventis.| 303. *cum frig.* cet. Aquarii sidus medio Februario occidit; et poeta cum eandem curam per totam hiemem adhiberi velit, satis habet, extremam eius partem significare, quo appareat, quousque id, quod praecipit, fieri debeat.| 304. de *extremo anno* v. 1, 64 et cf. Tib. 3, 1 sq.| 306 sq. Milesia lana praestantissima. — *magno mutentur* „ingenti pretio compararentur; nam apud maiores omne mercimonium in permutatione constabat," Servius. Ceterum probe distingues usum (a quo solo capras commendat poeta) et pretium. — *Tyr. inc. r.*, v. E. 3, 106.| 309. *Quam*, alii *Quo*, cf. A. 7, 787 sq.| 312. Cinyps fluvius Libyae inter utramque Syrtim; et videntur greges Cinyphii, saetarum longitudine insignes, in Italiam translati. — *tondent*, qui? scilicet quorum hoc opus est, pastores; v. 4, 231.| 313. Geopon. 18, 9 „ἡ δὲ θρὶξ τῶν αἰγῶν ἀναγκαία πρός τε σχοίνους καὶ σάκκους καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια καὶ εἰς ναυτικὰς ὑπηρεσίας, οὔτε κοπτόμενα ῥᾳδίως οὔτε σηπόμενα." — *Usum in c.*, fiebant inde funes ad tormenta bellica, tum cilicia, quibus tentoria et plutei intendebantur.| 314. *Lycaei*, v. E. 10, 15.|

In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim caeli collegerit hora
Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
Ad puteos aut alta greges ad stagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
Ingentis tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra;
Tum tenuis dare rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum, cum frigidus aera vesper
Temperat, et saltus reficit iam roscida luna,
Litoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.
    Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?
Saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
Pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi iacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque Laremque
Armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram;
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
    At non, qua Scythiae gentes Maeotiaque unda,
Turbidus et torquens flaventis Hister arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.

325. *Carpamus* rura, ambulemus per rura, cum grege scilicet; *aera carpere*, i. e. volare, 4, 311, *litora* Ovid. Met. 12, 196.| 327. *quarta*, fere nona ex nostra horas numerandi ratione; veteres ab ortu solis numerabant horas.| 328. *rumpent*, multo assiduoque cantu personant; Iuvenal. 1, 12 sq. „Frontonis platani convulsaque marmora clamant Semper et assiduo *ruptae* lectore columnae.“| 330. *ilignis*, qui vim solis perferre possint nec fatiscant; quare ille apud Terent. Ad. 4, 2, 46 lectulos, quibus in sole utatur, ilignis pedibus sibi faciendos curat.| 332. v. E. 6, 57 et supra vs. 189.| .334. Proprie *umbra* dicitur cubare, accubare; hinc ipsae res umbram praebentes; v. A. 1, 165.| 335. *dare*, sc. *iubeo*, quod verbum facile subintelligi potest, cum praecipientis partes agat poeta. — *tenues*, cf. vs. 330.| 340. *mapalia raris tectis habitata*, raras habitationes praebentia, i. e. quae ipsa rara sunt, utpote ingentibus intervallis dispersa. Nove Probus: „mapalia loca deserta Punica.“| 345. v. E. 1, 55 et supra vs. 89 infra vs. 405.| 346. non secus, ac Romanus miles omnia secum agit.| 347. v. 1, 164 et cf. Cic. Tusc. 2, 16. — *hosti* Dativus Graeco more: antequam id ab hoste exspectatur, et castra posuit et in agmine stat, instructo scilicet, quod statim in hostem pergere possit; Liv. 2, 49 „Consul gentem omnem suam instructo agmine videt; acceptus in medium signa ferri iubet.“| 349. *At non* ita pascitur *cet.* cf. 4, 530. A. 4, 529.| 350. Ordo est: *Et turbidus torquens;* v. 1, 163.| 351. v. E. 6, 30. — *redit*, quia est, ut ait Servius, *γαμμοειδής*, s. in formam Graecae litterae

Illic clausa tenent stabulis armenta, nec ullae
Aut herbae campo adparent aut arbore frondes;
Sed iacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque adsurgit in ulnas.
Semper hiemps, semper spirantes frigora Cauri:
Tum Sol pallentis haud umquam discutit umbras,
Nec cum invectus equis altum petit aethera, nec cum
Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.
Concrescunt subitae currenti in flumine crustae,
Undaque iam tergo ferratos sustinet orbis,
Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris;
Aeraque dissiliunt volgo, vestesque rigescunt
Indutae, caeduntque securibus humida vina,
Et totae solidam in glaciem vertere lacunae
Stiriaque inpexis induruit horrida barbis.
Interea toto non setius aere ninguit:
Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum, confertoque agmine cervi
Torpent mole nova et summis vix cornibus exstant.
Hos non inmissis canibus, non cassibus ullis
Puniceaeve agitant pavidos formidine pennae;
Sed frustra oppositum trudentis pectore montem
Comminus obtruncant ferro, graviterque rudentis
Caedunt, et magno laeti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra, congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo Septem subiecta trioni
Gens effrena virum Rhipaeo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora saetis.
    Si tibi lanitium curae, primum aspera silva,
Lappaeque tribolique, absint; fuge pabula laeta;

r reflectitur; similiter Philarg.: „flectitur in sinum.“ — *sub med. axem*, i. e. versus septemtrionem, ita ut cornua, in quae excurrit Rhodope, sub ipso (medio) polo esse videantur.| 355. *adsurgit*, sc. nive, i. e. nix, qua obducta est terra, adsurgit in s. u.| 357. *umbras* „e nubibus factas“ Servius.| 361. v. vs. 173.| 363. *Aera*, idem de saxis memoratur 4, 135 sq.| 364. *vina*, non nata ibi, sed importata.| 366. v. 1, 49 et 163.| 367. *non secius:* quam saevum frigus, tam multae nives.| 368. At cf. vs. 352. Nempe cogitat poeta de vaccis et bobus plaustra vehentibus, cf. vs. 361 et v. E. 7, 53.| 370. *formido*, linea variis pennis distincta, qua claudebatur pars silvae ad feras, quae transsilire talem lineam reformidant, et continendas et in retia compellendas, cf. A. 12, 750.| 377. v. 1, 295.| 379. *noctem*, partem noctis hiemalis.| 380. *fermento et sorbis*, i. e. sorbis fermentatis, v. 1, 173. Servius: „Potionis genus est, quod cervisia nominatur.“| 382. v. 1, 240.| 385. v. E. 4, 51. — „laeta pascua solocem lanam

Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Reiice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum, plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanae, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentis
Ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, et magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi iam excretos prohibent a matribus haedos,
Primaque ferratis praefigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt; quod iam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor;
Aut parco sale contingunt hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed una
Velocis Spartae catulos acremque Molossum
Pasce sero pingui. Numquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem incursusque luporum,
Aut inpacatos a tergo horrebis Hiberos.
Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere dammas;
Saepe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens, montisque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare gravis nidore chelydros.

faciunt, h. e. minutam, duram atque hirsutam," Philarg. | 386. v. 1, 169. | 387. *Illum autem arietem, q. sit c. i.;* ita saepe a poetis primariae sententiae Subiectum, quod vocant, vel Obiectum enuntiatis ex relativo vel coniunctione aliqua pendentibus inseritur, ut vs. 474. 4, 33. A. 12, 641. — *ipse*, v. 2, 297. | 390. *pl. campo*, plenis grege pascuis. | 391. Pan in arietem mutatus nivei velleris pulchritudine Lunam in nemoris recessum pellexisse fertur. — *Munere*, munus dicitur, quidquid aptum est ad gratiam et amorem vel significandum, ut 4, 520, vel conciliandum, ut h. l. | 398. *iam* significat novum esse hoc institutum, antea fuisse incognitum. Multi prohibent haedos a lacte matrum ita, ut eos aut separent (*excretos*), aut capistrum ori praefigant. | 399. *que*, v. 1, 419. Ceterum v. A. 4, 500. | 401. lac coactum, ut siccior fieret caseus, premebatur. | 403. His quoque verbis caseus significatur, sed diversi ab eo, quod vs. 399 tangitur, generis; hic genus magis durabile commemorari videtur, illic tale, quo recens presso vescerentur. || 404—13. *De utilitate, quam praestent pastoribus canes.* | 408. Per Iberum a poeta quivis praedo hic significatur, quia Iberi rapinis infames erant. — *a tergo* veniunt, qui insidiantur. | 409. Onagrum, peregrinam bestiam (ut *uros* 2, 374), velocitate insignem, pro quavis celeri fera nominat. || 414—39. *Praecepta de exigendis necandisque serpentibus.* | 415. *graves*, periculum facientes

Saepe sub inmotis praesepibus aut mala tactu
Vipera delituit caelumque exterrita fugit;
Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Deiice. Iamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus extremaeque agmina caudae
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbis.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga
Atque notis longam maculosus grandibus alvum,
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum
Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris,
Stagna colit, ripisque habitans, hic piscibus atram
Inprobus ingluviem ranisque loquacibus explet;
Postquam exusta palus, terraeque ardore dehiscunt,
Exsilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Saevit agris, asperque siti atque exterritus aestu.
Nec mihi tum mollis sub divo carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas,
Cum positis novus exuviis nitidusque iuventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
    Morborum quoque te caussas et signa docebo.
Turpis ovis temptat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit et horrida cano
Bruma gelu, vel cum tonsis inlotus adhaesit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni;
Aut tonsum tristi continguunt corpus amurga,
Et spumas miscent argenti et sulfura viva
Idaeasque pices et pinguis unguine ceras

gregi.| 416. *immot.*, ergo movenda sunt interdum.| 420. *fovere* locum is dicitur, qui multus et assiduus in eo moratur molliterque se ibi habet; cf. 4, 43. A. 9, 57. — *robora*, graves fustes.| 421. *Toll. minas*, sublato capite minantem; cf. A. 2, 381 et v. 1, 479.| 425 sqq. Describitur chersydrus.| 428. *rumpuntur*, se rumpunt, prorumpunt ex font. cf. A. 1, 246. 11, 549.| 430. *hic*, in stagnis. — *atr.*, v. 1, 129.| 434. *exterritus*, exagitatus, in furorem coniectus.| 436. etiam Horat. Sat. 2, 6, 91: *Praerupti nemoris dorso.*| 439. v. 1, 430. — bisulca lingua serpentum micando efficit, ut videatur trisulca.|| 440—473. *De morbis ovium.*| 443. Colum. 7, 5 „Scabies nascitur, ... si aestivum sudorem mari vel flumine non abluas.“| 448. v. 1, 75.| 449. Spuma argenti Graecis dicitur λιϑάργυρος, nobis *Silberglätte.* — *viva*, nativum, non adhibita arte paratum, sulfur; v. 2, 469.| 450. *Idaeas*, v. E. 1, 55. — *pices*, liquidas intellige, *Theer.* —

Scillamque elleborosque gravis nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis praesens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os: alitur vitium vivitque tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad volnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Cum furit atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos aestus avertere et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam;
Bisaltae quo more solent acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen atque in deserta Getarum
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere saepius umbrae
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et serae solam decedere nocti:
Continuo culpam ferro compesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia volgus.
Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo,
Quam multae pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora corripiunt, sed tota aestiva repente,
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aerias Alpes et Norica si quis
Castella in tumulis et Iapydis arva Timavi
Nunc quoque post tanto videat desertaque regna
Pastorum et longe saltus lateque vacantis.
Hic quondam morbo caeli miseranda coorta est
Tempestas totoque autumni incanduit aestu,

pingu. ungu., multum unguinis, s. suci ad unguenta apti habentes.| 451. *graves*, graveolentes.| 452. nullum praesentius auxilium est adversus scabiem; *laborum*, morbi.| 453. *potuit*, *ἔτλη*, a se impetravit; cf. A. 4, 19. 7, 309. 10, 307.| 461. Bisaltae populus Thraciae ad Strymonem habitans; de Gelonis v. 2, 115.| 462. *Rhodope*, v. E. 6, 30. *Getae* ad Istrum et Pontum Euxinum sedem habebant. — Bisaltae sive ab hostibus pulsi, sive alia causa moti fugiunt (citatis equis vehuntur) in Rhodopen, Geloni in deserta (*Steppen*) Getarum.| 464—468. *Quam videris* — — *culpam ferro compesce*, *ἀνακολουθία*, ultima enim non respondent primis; coeperat poeta ita, ac si haec subiecturus esset: *hanc continuo occide*, v. A. 8, 403. 11, 552.| 464. *molli*, in qua molliter est ei, qui eam petit.| 467. v. E. 8, 88.| 468. *culpam*, malum exitio futurum gregi.| 470. *hiemem*, i. e. pluvias cum tempestate coniunctas, *tam creber*, i. e. cum tam crebro s. denso imbre; additur *aequore*, quia maxime horridae esse solent tempestates in mari.| 473. v. E. 1, 15. — *ab origine:* a minimis natu pecudibus usque ad maximas id malum pertinere significatur.|| 474—566. *Pestis Norica*. cf. similis cladis descriptionem ap. Ovid. Met. 7, 523 sqq.| 474. *aerias*, v. E. 1, 59.| 475. *castella*, villae ac vici in montibus siti. — *Timavus* fluvius Venetiae, *Iapys* dictus a vicinis Iapydibus, populo Illyrici.| 476. *post tanto* pro *tanto post;* sed *tanto* cum vi postpositum.| 478. *m. caeli*, aeris vitio, cf. A. 3, 137—39.| 479. aer inflammatus est tota aestus autumnalis vi; autumnus apud

Et genus omne Neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex; sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor omniaque in se
Ossa minutatim morbo conlapsa trahebat.
Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantis cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde nec inpositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates,
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri
Summaque ieiuna sanie infuscatur arena.
Hinc laetis vituli volgo moriuntur in herbis,
Et dulcis animas plena ad praesepia reddunt;
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit aegros
Tussis anhela sues ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix studiorum atque inmemor herbae
Victor equus fontisque avertitur et pede terram
Crebra ferit; demissae aures, incertus ibidem
Sudor, et ille quidem morituris frigidus, aret
Pellis et ad tactum tractanti dura resistit.
Haec ante exitium primis dant signa diebus;
Sin in processu coepit crudescere morbus,
Tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo
Ilia singultu tendunt, it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenaeos; ea visa salus morientibus una;

Romanos initium capiebat a III. Id. August., desinebat III. Id. Novembr. | 482. *simplex*, una, ut 2, 73; primum enim aestu (*siti* ait vs. proximo) totum corpus torrebatur, deinde tabescebat colliquescendo. | 483. „Adducitque (contrahit) sitis maciem," Ovid. M. 3, 397. | 485. *trahebat in se*, quasi contagione quadam effecit, ut et ipsa in tabidum liquorem resolverentur. | 486. *honore d.*, sacrificio, ut A. 3, 406. | 487. *infula*, h. l. est velamentum laneum capiti hostiae impositum et ab utraque parte capitis dependens, quod, ut in capite haereret, vittis constringi s. ligari solebat. — *circumdatur* nempe capiti. | 489. *ante*, antequam videretur correpta peste. | 490. Iunge *fibris inde*, i. e. fibris ex ea, eius. | 492. *suppositi:* piaculare sacrum diis inferis oblatum significari puta; in eo caput hostiae ad terram versus deprimebatur et culter ab inferiore parte iugulo adigebatur; cf. A. 6, 248. | 493. *ieiuna*, tenui. | 497. significatur angina morbus. | 498. *inf. stud.*, cui nihil prosunt studia sua, victoriae reportatae; cf. vs. 525. | 500. v. vs. 149. — *incertus*, inconstans. — *ibidem*, circa aures, capitis sudor. | 502. *resistit*, non cedit, utpote dura, non mollis. | 503. *dant*, scilicet equi ea peste correpti. | 505. v. 2, 441 et A. 7, 787. | 508. *obsessas*, Lucretius in descriptione Atticae pestis 6, 1146 „ulceribus vocis via saepta coibat." —

Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
Ardebant, ipsique suos iam morte sub aegra —
Di meliora piis erroremque hostibus illum! —
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit et mixtum spumis vomit ore cruorem
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Maerentem abiungens fraterna morte iuvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non, qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis; at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urguet inertis,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta iuvant? quid vomere terras
Invertisse gravis? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulae nocuere repostae:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae,
Pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu
Flumina, nec somnos abrumpit cura salubris.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quaesitas ad sacra boves Iunonis, et uris
Inparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo aegre rastris terram rimantur, et ipsis
Unguibus infodiunt fruges, montisque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat; acrior illum
Cura domat; timidi dammae cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Iam maris inmensi prolem et genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus

premit, quia ipsa intumuerat. | 513. cf. Tibull. 3, 4, 1. — *errorem*, furorem illum, quo illi correpti se ipsi dilaniabant. | 514. *nudis*, qui sunt nudati, reductis labiis, more ringentium, canum inprimis et furiosorum. | 515. *sub vomere*, s. arandi labore. | 520 sqq. Haec non ad unum illum pari suo superstitem, sed ad universum taurinum genus spectare, declarat verbum *pascuntur* vs. 528. | 522. *electro*, metallo ex auro et quinta parte argenti conflato. Servius „sicut electrum defaecatius est metallis omnibus, ita et currens aqua ceteris purior;“ et Plin. N. H. 33, 4, 23 „electri natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere.“ | 523. *Solvuntur*, dependent flaccida. | 526. v. 2, 143. | 527. Qui terras longe remotas meminerit a Virgilio A. 3, 364 repostas appellari, non dubitabit, quin cenae repostae sint eae, quas Silius, haec Virgiliana imitatus, dixit 13, 354 „mensas alia tellure petitas.“ | 529. *exercita c.*, assiduo cursu agitata. | 532. *Quaesitas*, desideratas esse, defuisse; *boves*, niveas quidem, qualium usus erat in sacerdote Iunonis Argivae ad templum deae vehenda. — *uris*, v. 2, 374. | 533. *Inparibus*, sive magnitudine, sive colore, sive utroque. | 537. *ins.*, occasionem insidiarum. | 539. *Cura d.*, nempe ipse cum reliquo ferarum, ut damarum, cer-

Proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.
Interit et curvis frustra defensa latebris
Vipera et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aer avibus non aequus, et illae
Praecipites alta vitam sub nube relinquunt.
Praeterea iam nec mutari pabula refert,
Quaesitaeque nocent artes: cessere magistri,
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus.
Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripae collesque supini.
Iamque catervatim dat stragem atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo,
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma;
Ne tondere quidem morbo inluvieque peresa
Vellera nec telas possunt attingere putris;
Verum etiam invisos si quis temptarat amictus,
Ardentes papulae atque inmundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

vorum, genere, etiam piscium, morbo illo pestilenti laborat. | 543. *insolitae*, non fluminibus, sed mari adsuetae. | 545. *attoniti*, stupentes et torpentes. | 549 sq. *artes*, remedia. — Discedunt infecta re magistri pecoris (quorum etiam erat mederi aegroto pecori), etiamsi artis medendi tam sint periti, quam Chiron (de quo v. vs. 93) et Melampus, Amythaonis filius, quorum Chiron herbarum sucis aegrotos curabat, Melampus lustrationum religione. | 552. *ante*, puta: ante se, et cf. A. 6, 274—76. | 555. *Arentes ripae* sunt fluminum, quae prope exaruerunt. | 556. *dat* Tisiphone. | 558. donec humare ea coeperunt, qui unus restabat modus inhibendae pestis; quod quidem fecerunt, postquam intellectum est, nullum esse (vs. 559 sqq.) usum pecudum ea peste peremtarum, nec coriorum, nec carnium, nec velleris. | 560. Servius „Nec lavari nec coqui poterant. Caro enim corrupta morbo quendam habet mucorem, qui non potest ablui, quoniam omne possidet corpus. Item igni superposita aut putrescit aut durescit, non coquitur.“ | 562. nec, *si quis totonderat et telam inde fecerat*, ullo ea erat usu, quia putris erat, statim igitur rumpebatur. Sic condicionales aliaeque sententiae, quae quidem a lectore paulo acutiore facile subintelligi possint, interdum omittuntur a poetis, ut supra vs. 206. A. 1, 334. 7, 436—40. 8, 522 sq. 10, 423. 12, 727. 730. 805. 880. | 565. *membra sequebatur*, se diffundebat per omnia deinceps membra; similiter *fumi sequaces* 4, 230. | 566. *sacer ignis*, morbus quidam cancro carbunculove similis.

GEORGICON
LIBER QUARTUS.

Protinus aerii mellis caelestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Maecenas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum
Magnanimosque duces totiusque ordine gentis
Mores et studia et populos et proelia dicam.
In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem
Numina laeva sinunt auditque vocatus Apollo.
    Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus, — nam pabula venti
Ferre domum prohibent — neque oves haedique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentis atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliaeque volucres
Et manibus Procne pectus signata cruentis;
Omnia nam late vastant, ipsasque volantis
Ore ferunt dulcem nidis inmitibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus,
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret,
Ut, cum prima novi ducent examina reges
Vere suo ludetque favis emissa iuventus,

Georg. L. IV. 1. *Protinus* significat continuationem coepti de re rustica operis transitumque ad novam eius partem, ad mellificium. — *aerii*, quia veteres mel ex rore, qui ex aere deflueret, colligi ab apibus, ex florum suco ceram fieri existimabant; hinc mel *caeleste donum*. cf. Plin. N. H. 11, 12. | 7. Gell. 5, 12 „deos quosdam [*dextra numina*] ut prodessent celebrabant, quosdam [*laeva numina*] ut ne obessent placabant.“ Arnobius „Non commemorabimus deam Lavernam furum, Bellonas, Discordias, Furias, et laeva illa quae constituitis numina.“ || 8—50. *De situ apiarii deque alvearibus.* | 10. v. 3, 283. | 13. *squalentia*, v. A. 10, 314. — *lacerti*, utpote ipsis apibus insidiantes. | 14. *stab.*, alveario. — *aliaeque v. et Procne*, est Graecismus: *ἄλλα τε πτηνὰ καὶ Πρόκνη*, i. e. cum aliae volucres, tum maxime Procne. | 16. interficiunt, quascumque comprehenderint, apes; nam *omnia vastare* est: omnia caede implere, ut Phaedr. 3, 2, 13 sq. adde A. 1, 471. — *volantes*, v. 3, 147. | 19. v. 1, 163. *tenuis fug.*, cum tenui aqua fugiens; Varro 3, 16, 27 „oportet esse aquam propinquam, quae praeterfluat, aut in aliquem locum influat (*stagnum*) ita ut ne altitudine ascendat duo aut tres digitos“. | 21. v. 3, 130. | 22. Servius „*suo*, i. e. sibi grato et aptissimo;“ sic navis *suo* vento ferri dicitur, sic vota *suos* vel *non suos* deos habere, i. e. propitios, faventes; cf. A. 2, 396. 12, 187. Vossius „*suo*, i. e. eo, quod proprium est apum,“ incipiens illud quidem a verno aequinoctio et pertinens usque ad solstitium aestivum; contra in fastis ver initium habet a V Id.

Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
25 In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices et grandia coniice saxa,
Pontibus ut crebris possint consistere et alas
Pandere ad aestivum solem, si forte morantis
Sparserit aut praeceps Neptuno inmerserit Eurus.
30 Haec circum casiae virides et olentia late
31 Serpylla et graviter spirantis copia thymbrae
32 Floreat, inriguumque bibant violaria fontem.
47 Neu propius tectis taxum sine, neve rubentis
48 Ure foco cancros, altae neu crede paludi,
49 Aut ubi odor caeni gravis, aut ubi concava pulsu
50 Saxa sonant vocisque offensa resultat imago.
33 Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
34 Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
35 Angustos habeant aditus: nam frigore mella
Cogit hiemps, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illae
Nequiquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
40 Explent, collectumque haec ipsa ad munera gluten
Et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae.
Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris
Sub terra fovere larem, penitusque repertae
Pumicibusque cavis exesaeque arboris antro.
45 Tu tamen et levi rimosa cubilia limo
46 Ungue fovens circum, et raras superiniice frondes.
51 Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras caelumque aestiva luce reclusit,

Februar.| 23. v. E. 8, 88.| 24. *Obvia arb.*, quasi offerens se exeuntibus.| 25. *In medium* humorem.| 29. *Sparserit* imbre. — *Neptuno*, v. 1, 295.| 30. *Haec circum*, circa fontes et stagna.| 47—50. Hoc ordine, per se commendabili, hos versus legisse videtur Columella.| 48. Cancri in morborum quorundam cura urebantur; odor autem ustorum gravissimus.| 50. *vocis imago*, echo, „*πέτρας ὀρείας παῖς*“ dicta ab Eurip. Hec. 1100.| 33. v. vs. 25 et 3, 387. — Colum. 9, 6 „Si regio ferax est suberis, haud dubitanter utilissimos alveos faciemus ex corticibus, quia nec hieme rigent, nec candent aestate.“| 36. *liquef. rem.*, ita resolvit, ut denuo colliquescant, desinant esse tenacia, vs. 57.| 38. *tenuia*, v. 1, 397.| 39. *fucus* h. l. significat melliginem, quae ex arborum lacrimis (resina) paratur, *flores* spectant ad ceram, quae ex floribus colligitur, v. vs. 1 et 250; utraque res proximo versu comprehenditur vocabulo glutinis; *orae* sunt ostia alvearium, cf. vs. 188.| 41. *servant*, reponunt.| 43. v. 3, 420. — *larem*, cf. vs. 155.| 44. cf. Hom. Il. 2, 88.| 45 sq. Tamen etiam apiarii operâ diligentia apum adiuvanda est. — *fovens*, quia ad calorem continendum rimae obturantur.|| 51—113. *De examinibus.* — 51. *Quod superest*, i. e. Ceterum; haud infrequens apud antiquiores poetas transitionis formula.| 52. *sub terras*, nempe interiorem terram aestate frigidam, hieme calidam existimabant;

Illae continuo saltus silvasque peragrant
Purpureosque metunt flores et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine laetae
Progeniem nidosque fovent, hinc arte recentis
Excudunt ceras et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi iam emissum caveis ad sidera caeli
Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen
Obscuramque trahi vento mirabere nubem,
Contemplator: aquas dulcis et frondea semper
Tecta petunt. Huc tu iussos adsperge sapores,
Trita melisphylla et cerinthae ignobile gramen,
Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum:
Ipsae consident medicatis sedibus, ipsae
Intima more suo sese in cunabula condent.
　　Sin autem ad pugnam exierint — nam saepe duobus
Regibus incessit magno discordia motu;
Continuoque animos volgi et trepidantia bello
Corda licet longe praesciscere; namque morantis
Martius ille aeris rauci canor increpat et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum;
Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo ubi ver nactae sudum camposque patentis,
Erumpunt portis: concurritur; aethere in alto
Fit sonitus; magnum mixtae glomerantur in orbem,
Praecipitesque cadunt; non densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies insignibus alis

cf. Lucret. 6, 841 sqq. — *reclusit*, sc. nubibus antea obductum. | 55—58. *Hinc*... *hinc*... *Hinc*...: ter posita particula refertur ad ordinem, quo apes ea munia deinceps obeunt. | 57. v. vs. 36. | 59. *p. aest. l.*, per serenum aera aestivum. | 62. *iussos*, quos iussero, proximo scilicet versu. | 64. *Matris*, Cybeles. | 67. *Sin* ... *exierint;* abreptus ingenii fervore poeta ita pergit, ut, satis habens significasse, qua de re dicturus esset, plane oblitus videatur coeptae per protasin orationis. Redit poeta eo, unde deflexit, vs. 77. | 69. *trepidantia bello*, belli cupiditate irritata. | 74. *aptant lac.*, petitum hoc a pugilibus, qui ante certamen explorant vires, iactant brachia, ut A. 5, 376 sq. Apes quidem posterioribus pedibus se erigunt, anterioribus, quasi manibus, sublatis aggrediuntur hostem. | 77. *camp. pat.*, caelum nubibus vacuum, ubi tamquam in campo patenti confligant. | 82. *Ipsi*, reges; et iunge *ipsi insignibus alis*, sc. instructi; *per medias acies*, sc. incedentes, ut A. 7, 543.: „caeli conversa *per auras* Iunonem adfatur," i. e. convertit se et per auras *evecta* I. adf.; Hom. Il. 5, 74 „*ἀντικρὺ δ' ἀν' ὀδόντας ὑπὸ γλῶσσαν τάμε χάλκος*," i. e. *ἀντικρὺ δ' ἦλθεν ἀν' ὀδόντας καὶ ὑπέταμε γλ.* et Il. 21, 69 sq. „*ἐγχείη δ' ἄρ' ὑπὲρ νώτου ἐνὶ γαίῃ ἔστη*". cf. etiam A. 11, 781. 2, 471 „*in lucem* ... *convolvit*," i. e. in lucem progressus c., 10, 637 „*in faciem Aeneae* ... *ornat telis*," i. e. conformatam

Ingentis animos angusto in pectore versant,
Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos
Aut hos versa fuga victor dare terga subegit.
Hi motus animorum atque haec certamina tanta
Pulveris exigui iactu compressa quiescunt.
  Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede Neci; melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens;
Nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore,
Et rutilis clarus squamis; ille horridus alter
Desidia latamque trahens inglorius alvum.
Ut binae regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliae turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Cum venit et sicco terram spuit ore viator
Aridus; elucent aliae et fulgore coruscant,
Ardentes auro et paribus lita corpora guttis.
Haec potior suboles, hinc caeli tempore certo
Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida et durum Bacchi domitura saporem.
  At cum incerta volant caeloque examina ludunt,
Contemnuntque favos et frigida tecta relinquunt,
Instabilis animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
Eripe; non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis

in faciem; denique v. G. 2, 243 et A. 4, 517.| 84. cur non *has*, sc. apes? *hos*, quasi milites alterius exercitus, aut cives alterius populi; cf. vs. 107. — Ceterum v. 2, 441.| 88. *acie rev.*, verba a *re* incipientia saepe cum nudo Ablativo iunguntur, ut 1, 275. A. 1, 358. 679. 10, 473.| 91. *squalentibus*, v. A. 10, 314.| 92. v. E. 9, 66.| 94. desidiae s. negligentiae tribuitur, quod alter horridus sit, i. e. incultus.| 96. *alto*, *βαθεῖ*. — Varro 3, 16, 20 „minus valentium apum signa, si sunt pilosae et horridae aut pulverulentae," tamquam pulvere conspersae.| 99. v. E. 3, 106.| 100. *c. temp. c.*, vere et autumno.| 101. *premes*, premendo eliquabis, cf. vs. 140.| 102. *liquida*, limpida. — *dur. B. d. s.*, apta mulso, quod est vinum melle temperatum.| 103. *incerta*, non petentia certum locum, quo considant, ut arborem.| 104. *Cont. f.*, detrectant mellificium. — *frig. t.*, vel abscessu apum frigida facta, vel, ut ait Servius „inoperosa: contra vs. 169 *Fervet opus*."| 105. Futurum saepe in praecipiendo locum habet, ut 3, 176.| 106. v. 3, 163.| 108. aut ad ludum, cf. vs. 103, aut ad bellum exire.| 109—115. Denique etiam horti cum deo suo tutelari Priapo apti sunt ad retinendas apes. Ut aves (vs. 14) ita fures metuendi apibus.| 111. Priapus Lampsaci, oppido ad Hellespontum sito, inprimis colebatur.| 112. *pinus* non solum inter hortenses arbores memoratur (E. 7, 65), sed nascebatur etiam in Caucaso, 2, 443, in monte

Tecta serat late circum, cui talia curae;
Ipse labore manum duro terat, ipse feracis
Figat humo plantas et amicos inriget imbris.
Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum
Vela traham et terris festinem advertere proram,
Forsitan et, pinguis hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Paesti,
Quoque modo potis gauderent intiba rivis
Et virides apio ripae, tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis; nec sera comantem
Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi
Pallentisque hederas et amantis litora myrtos.
Namque sub Oebaliae memini me turribus arcis,
Qua niger humectat flaventia culta Galaesus,
Corycium vidisse senem, cui pauca relicti
Iugera ruris erant, nec fertilis illa iuvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum
Lilia verbenasque premens vescumque papaver
Regum aequabat opes animis, seraque revertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.
Primus vere rosam atque autumno carpere poma,
Et cum tristis hiemps etiamnum frigore saxa
Rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi,
Aestatem increpitans seram zephyrosque morantis.

Ida, A. 10, 230, et in iugis Italiae, A. 11, 134—36. Verum haec silvestris ut in hortensem transiret, fortasse cultura effectum est.| 113. *tecta*, apiarium.| 115. *inrig. imbr.*, plantis; cf. A. 1, 691 sq.|| 116—148. Sed eum, quem attigit, locum de hortorum cura aliis persequendum relinquere se significat poeta.| 116 sqq. *ni iam traham .. festinem .... canerem*: Latini fere ita loquuntur „*ni traherem ... canerem*,“ quod dicitur cum cogitatione talis oppositionis: „At facio illud, ergo non faciam hoc.“ Contra *ni traham ... canerem* dicitur sine tali cogitatione: cf. Catull. 6, 1 sqq. Tibull. 1, 4, 63 sq. 8, 21 sq. Liv. 6, 40.| 117. *V. traham*, contraham, quod faciunt nautae, qui, portum intraturi, solis remis utuntur.| 119. *Paestum*, oppidum Lucaniae.| 122. *cuc.*, hoc nomine etiam melones comprehenduntur. — *sera c.*, sero, sed multo flore se induentem, cf. A. 12, 413 et v. 3, 149.| 124. v. E. 3, 39.| 125. *Oebalia arx*, Tarentum, colonia Lacedaemoniorum, a veteri rege Oebalo Oebalium appellatum.| 127. *Corycus* oppidum Ciliciae; Cilices autem hortorum culturae peritissimi. — *relicti*, propter sterilitatem neglecti nec in metatione agrorum intra limites recepti nullique domino assignati.| 128. *fert. iuv.* i. e. nec is erat ager, qui proferret ea, quae ut proveniant, per iuvencorum laborem efficitur; v. 2, 206.| 129. *seges*, proprie quidem de consito, hic omnino de quolibet agro aliquid (gramen) proferente. Sed pro *pecori* in Ribbeckiana editione est *Cereri*.| 130. *rarum*, quia natura soli non patiebatur densum seri. — *in dumis*, loco dumis saepto, v. E. 8, 37.| 131. *premens*, v. 2, 346. — *vescum*, vesca habens grana.| 132. animo successu operis elato aequabat suas opes regiis. Alii *animo*.| 134. v. 1, 200.| 135. v. 3, 363.| 137. *comam*, folia cum ipso etiam flore. Videtur autem arte frigus a floribus arcuisse. — *tondebát*, v. E. 6, 53.| 138.

Ergo apibus fetis idem atque examine multo
Primus abundare et spumantia cogere pressis
Mella favis; illi tiliae atque uberrima pinus;
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos
Eduramque pirum et spinos iam pruna ferentis
Iamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Praetereo atque aliis post me memoranda relinquo.

Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam, pro qua mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae,
Dictaeo caeli Regem pavere sub antro.
Solae communis natos, consortia tecta
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus aevum,
Et patriam solae et certos novere penatis;
Venturaeque hiemis memores aestate laborem
Experiuntur et in medium quaesita reponunt.
Namque aliae victu invigilant et foedere pacto
Exercentur agris; pars intra saepta domorum
Narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenacis
Suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos
Educunt fetus; aliae purissima mella
Stipant et liquido distendunt nectare cellas.

increp., en morae comice impatientem senem!| 139. apes fetae, i. e. partum enixae; *apibus fetis* igitur per consequens, ut loquuntur, idem, quod: proventu novarum apum. Videtur autem poeta h. l. eos secutus esse, qui apes a regina apum gigni affirmabant.| 140. v. vs. 101.| 144. *seras*, Servius „maiores," quas in aliud solum transferre serum esse videri posset aliis. — *in versum distulit*, certo ordine disposuit.| 145. *spinos*, videlicet quibus insitae erant pruni.| 147. cf. vs. 116 sq.|| 149—227. *De ingenio, natura et moribus apum.*| 150. Expediam naturas, quas Juppiter addidit apibus, mercedem illam quidem, pro qua pavere *cet.* sive: mercedis loco ab Jove acceptas pro eo, quod pavere *cet.* v. 3, 387.| 151. Curetes, sacerdotes Cybeles, in insula Creta custodiebant Iovem recens natum, cymbalisque et armorum collisorum strepitu efficiebant, ne eius vox a Crono, vitae eius insidiante, audiri posset; cf. Lucret. 2, 633 sqq.| 152. Dicte mons Cretae.| 154. *sub legibus*, cf. vs. 158 sqq.| 157. *in med. rep.*, in commune conferunt ad futurum usum, cf. 1, 127. A. 11, 335.| 158. *victu*, v. E. 5, 29. — *foedere pacto*, munia inter se certis legibus partitae.| 160. *lacrimam*, humorem dulcem, quem imus florum calyx exsudat. — *gluten*, resinam *corticis* arborum fruticumve. — Ex utroque (narcissi lacrima et glutine de cortice) fit tenacissima illa cera, qua fundamina („favorum stabilimentum" Plin. 11, 7, 6) firmantur. Apes opus incipiunt a summo paulatimque deducunt ad inferiora; itaque ea fundamenta, quae ponunt apes, contraria sunt iis, quibus superstruuntur aedificia ab hominibus. Illis igitur quasi fundamentis adglutinantur cellae sive inde suspenduntur.| 162. *spem g.*,

Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inque vicem speculantur aquas et nubila caeli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella;
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Aera lacu; gemit inpositis incudibus Aetna;
Illi inter sese magna vi bracchia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum:
Non aliter, si parva licet conponere magnis,
Cecropias innatus apes amor urguet habendi,
Munere quamque suo. Grandaevis oppida curae,
Et munire favos, et daedala fingere tecta.
At fessae multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenae; pascuntur et arbuta passim
Et glaucas salices casiamque crocumque rubentem
Et pinguem tiliam et ferrugineos hyacinthos.
(203) Saepe etiam duris errando in cotibus alas
(204) Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere:
(205) Tantus amor florum et generandi gloria mellis.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus:
Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi iam thalamis se conposuere, siletur

v. E. 1, 15. | 165. *sorti*, antiquior forma Ablativi, ut *parti*, *luci*, *civi*. | 166. cf. vs. 191 sq. | 167. *onera* illa, quae significantur vs. 181 sqq. — *agm. f.*, v. A. 1, 82. | 168. Colum. 9, 15, 1 „ad procreationem subolis conferre aliquid hi fuci videntur, insidentes seminibus (ovis), quibus apes figurantur. Itaque ad fovendam et educandam novam prolem familiarius admittuntur. Exclusis deinde pullis extra tecta proturbantur, et, ut Virgilius ait, a praesepibus arcentur.“ | 173. *lacus* vas aquae plenum, in quam fabri candens ferrum, ut duretur, immergunt. — *imposit.*, Vulcanus, cum ventum erat ad aes cudendum, *θῆκεν ἐν ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα* Hom. Il. 18, 476. | 175. *In n.*, v. E. 6, 27. | 176 sq. Eadem est industria apum. | 177. *Cecropias*, Atticas, cf. vs. 270. v. E. 1, 55. Cecrops rex Atheniensium. Hymettus autem, mons Atticae, apibus abundabat mel praestantissimum facientibus. | 179. *munire favos* quid sit, disces e vss. 35—41. — *daedala t.*, cellas scilicet omnes habentia pares, artificiose in figuram sexangulam formatas. | 180. *minores*, gerulae a Plinio appellatae 11, 10, 10. | 181. *Crura plenae*, v. E. 3, 106. — flores, qui hoc et proximis versibus memorantur, alii sunt verni, alii aestivi, alii autumnales. | 203—205. Multae apes ne redeunt quidem, sed, dum aberrantes per noctem a via alas atterunt inter cotes, fessae onere opprimuntur. — *ultro* de eo, quod est etiam amplius, cf. A. 9, 127. — olim legebantur hi versus post vs. 202. | 188. *orae* foramina ad exitum introitumque patentia, *limina* tabellae oris praefixae, quibus commodius insistant. | 189. *componere se* dicitur, qui vel ad mensam accumbit cenaturus,

In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia inpendente recedunt
Longius, aut credunt caelo adventantibus Euris;
Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur,
Excursusque brevis temptant, et saepe lapillos,
Ut cymbae instabiles fluctu iactante saburram,
Tollunt, his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod neque concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fetus nixibus edunt;
Verum ipsae e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt, ipsae regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
Excipiat; neque enim plus septuma ducitur aestas;
At genus inmortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Praeterea regem non sic Aegyptos et ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est;
Amisso rupere fidem, constructaque mella
Diripuere ipsae et cratis solvere favorum.
Ille operum custos, illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
Et saepe attollunt humeris, et corpora bello
Obiectant pulchramque petunt per volnera mortem.
His quidam signis atque haec exempla secuti
Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios dixere; deum namque ire per omnis
Terrasque tractusque maris caelumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

ut A. 1, 698., vel procubuit somno se daturus, v. A. 1, 374., quique id facit modo ad rem accommodato. | 190. *suus*, iis utpote multo labore fessis, debitus. Aliter Servius „*suus*, sibi aptus (*sibi congruus* idem ad A. 6, 641) quia altum dormiunt pro natura mellis, A. 6, 420.“ | 196. *inane* dicitur, quidquid sine corpore esse videtur, ut aer, nubes, ventus, umbrae mortuorum. | 197. *Ill. adeo*, v. A. 4, 533. | 198. v. E. 5, 29. — Particulae *neque* ... *nec* non solum locum habent in disiunctione rerum, sed interdum etiam ponuntur, ubi idem sensus bis, sed leviter variatus, exprimitur, cf. A. 3, 585. — *segnes*, quia segnities inde sequitur. — Non gigni, sed ex floribus legi novellas apes, multi veterum putabant. | 200 sq. *ipsae* ... *ipsae*, solae ac nullo utentes marito. | 201. v. 3, 236. | 202. Alii *refigunt*. | 203—5. versus non suo loco positi et post vs. 183 in hac editione reiecti. | 211. *Hydaspes*, fluvius Indiae, Medus propterea dictus, quod in Paropamiso, Medorum monte, oritur. | 213. *fid.*, qua obstrictae fuerant inter se. | 214. *crat. fav.*, „textum“ apud Plin. 11, 10,10. | 215. Eurip. Med. 1144 „*δέσποινα δ', ἣν νῦν ἀντὶ σοῦ θαυμάζομεν*,“ praecipua reverentia colimus; sic sapientes ab omnibus, sophistae a discipulis suis, vates sacerdotesque clari a populo *θαυμάζονται*. | 218. *Obiectant* pro illo. | 222. v. E. 4,

Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum atque alto succedere caelo.
Si quando sedem angustam servataque mella
Thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum
Ora fove, fumosque manu praetende sequacis.
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis,
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias et Oceani spretos pede reppulit amnis,
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas caelo descendit in undas.
Illis ira modum supra est, laesaeque venenum
Morsibus inspirant, et spicula caeca relinquunt
Adfixae venis, animasque in volnere ponunt.
Sin duram metues hiemem parcesque futuro
Contunsosque animos et res miserabere fractas:
At suffire thymo cerasque recidere inanis
Quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit
Stelio et lucifugis congesta cubilia blattis
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus;
Aut asper crabro inparibus se inmiscuit armis,

51. et 3, 60. tum A. 6, 726.| 224. *tenues*, quippe tenue quiddam et aetherium est anima.| 227. *Sideris in numerum*, inter sidera; imitatus poeta videtur Lucretianum illud 1, 437 „*Corporis* augebit numerum.“ *Corpus* hic, ut apud Virgilium *Sidus*, est collectivum; cf. Ovid. Trist. 2, 567 „inter tot *scripti* millia nostri.“ Eurip. Beller. fragm. 25 „*λόγχης ἀριθμῷ πλείονος κρατούμεναι.*“ Aesch. Pers. 386. Bl. „*τάξις δὲ τάξιν παρεκάλει νεὼς μακρᾶς.*“|| 228—250. *De mellatione.* Hos versus Tittlerus et, qui huic adstipulatur, O. Ribbeckius, ex parte etiam Duebnerus, sic ordinant: 228—30. 236—38. 231—35. 248—50. 239—47.| 228. Alii *augustam.*| 229 sq. fove os, i. e. cura, ut A. 12, 420., nempe purgando, spargens illud aquae haustu; ingratus, est enim oris foetor apibus, et cf. 2, 135. — *sequaces*, v. 3, 565. Fumo abiguntur apes, ut impune possis mel colligere. — *m. praet.*, protenta manu prae te fer.| 231. Bis fit quotannis mellatio. — *cogunt*, sc. mellarii, et v. vs. 101. et 140. adde 3, 312. — *fetus* omne genus proventus significat, h. l. mel; *triticeos fetus* Ovid. Fast. 1, 693.| 232 sq. i. e. sub ortum Pleiadum, quarum una Taygete; hae X. Kal. Maias oriuntur. — *simul*, v. E. 4, 26.| 234 sq. et sub occasum; occidunt Pleiades VI. Idus Novembr. Sidus Piscium, quod hiberno tempore totam per noctem conspicitur, ipsam hiemem pluviasque et tempestates hibernas significat.| 236—238. Videntur hi versus in alienam sedem traiecti et post vs. 230. collocandi. — Ira apum in mellatione vehementissime exardescit.| 238. haerentes in ea, quam pupugerunt, parte moriuntur.| 239—247. Sin res apum vel aestatis iniquitate vel alio casu fracta alveusque ita inops erit, ut parcendum sit futuro, i. e. condicioni apum per hiemem futurae consulendum, et, quidquid fuerit mellis, intactum sit relinquendum: attamen suffiendo exigendi sunt vermes et insecta apibus infesta et inanes cellae recidendae, in quibus illa solent delitescere; et suffitio quidem prodest etiam valetudini apum.| 242. *ignotus adedit*, *ἔλαθε τρώγων.*| 243. *Stelio* hic bisyllabum, „colore steljonino“ Terent. v. A. 1, 2. — *cubilia* adederunt, i. e. blattae frequentes cubilia in unum locum conferentes.| 244. *immunis*, *ἀεργός*, Hesiod. *Ἔργ.* 304.|

Aut dirum, tiniae, genus, aut invisa Minervae
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
Conplebuntque foros et floribus horrea texent.
Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo —
Quod iam non dubiis poteris cognoscere signis:
Continuo est aegris alius color; horrida voltum
Deformat macies; tum corpora luce carentum
Exportant tectis et tristia funera ducunt;
Aut illae pedibus connexae ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in aedibus, omnes
Ignavaeque fame et contracto frigore pigrae.
Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant,
Frigidus ut quondam silvis inmurmurat Auster;
Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis;
Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic iam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallae admiscere saporem
Arentisque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel Psithia passos de vite racemos
Cecropiumque thymum et grave olentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;
Namque uno ingentem tollit de caespite silvam,
Aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae sublucet purpura nigrae;
Saepe deum nexis ornatae torquibus arae;

246 sq. de Arachne a Minerva in araneam mutata cf. Ovid. M. 6, 1 sqq. | 248. Quo plus mellis ademeris apibus, eo acrius *cet.* | 249. *gen. lapsi*, gravi damno rerum suarum affecti. | 250. *foros*, non illos proprie dictos intelliges, per quos commeant apes, sed lacunas, quas in mellatione fecit apiarius excisa aliqua favi parte. — *floribus*, v. vs. 1. || 251—280. *De morbis apum eorumque cura.* — *Si … languebunt:* aut ἀνακόλουθος est oratio, aut incipit apodosis a vs. 264. | 255, *luce c.*, Hom. Il. 18, 11. | 257. *ped. conn.*, ita, ut sui cuiusque apis pedes inter se sint nexi, quemadmodum in morientibus insectis videre licet. | 259. *contracto*, frigori tribuitur poetice, quod tribuendum erat apibus, frigore contractis. | 260. *tractim*, „sine intermissione, iugiter“ Servius. | 261. v. 3, 279. | 262. *refluentibus*, ad litus allisis et inde reiectis. | 263. fornacem calcariam hic dici puta, quae undique clausam flammam sic continebat, ut unus fumo relictus esset in summa parte exitus. Ceterum cf. Hom. Il. 14, 394 sqq. | 267. *tunsum sap.*, proprie *tunsae gallae*; v. E. 9, 46. | 269. *Psithia*, v. 2, 93. | 270. v. vs. 177. | 273. caespes h. l. est radix fibris inter se in caespitis modum implexa; Plinius de saliunca N. H. 21, 7, 20 „radici numerosae cohaeret, densa veluti manu pressa breviterque caespes sui generis.“ | 274. *ipse*, v. 2, 297. | 276. *nexis*,

Asper in ore sapor; tonsis in vallibus illum
Pastores et curva legunt prope flumina Mellae.
Huius odorato radices incoque Baccho
Pabulaque in foribus plenis adpone canistris.
Sed si quem proles subito defecerit omnis,
Nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit,
Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere quoque modo caesis iam saepe iuvencis
Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis,
Quaque pharetratae vicinia Persidis urguet,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis,
Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena,
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.
Exiguus primum atque ipsos contractus in usus,
Eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt artis, et quattuor addunt,
Quattuor a ventis, obliqua luce fenestras.
Tum vitulus bima curvans iam cornua fronte
Quaeritur; huic geminae nares et spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, et ramea costis
Subiiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentis.

sc. ex hoc amello.| 277. *tonsis in v.* amellus autumno floret; faenisicii tempore caules florem progignentes nondum in lucem e terra prodierunt.| 278. *Mella* fluvius Galliae Cisalpinae ad Brixiam.|| 281—314. *De reparandis e corpore bovino apibus.*| 283. *Arcadii;* cf. vs. 317 et v. 1, 14.| 285. *Insincerus*, ex putredine corruptus.| 287—293. Designatur his versibus totum, quod appellatur, Delta Nili, ita quidem, ut vs. 287 declarentur fines eius occidentales (nam ostium Canopicum e septem Nili ostiis longissime vergit in occasum), vs. 290 fines orientales (nam Persidis nomine terrae veteribus parum cognitae Aegyptum ab ea parte attingentes a poeta comprehendi videntur), denique vs. 291 fines australes.| 287. Canopus urbs Aegypti non longe ab Alexandria, quae, utpote regibus e Macedonia oriundis subiecta, Pellaea appellatur, a Pella, urbe Macedonum nobilissima.| 292. *Indis*, Aethiopibus, nam latius patet nomen Indorum, maxime apud poetas.| 293. *arena*, ut *ψάμμος*, „putris glaeba“ 1, 44. „Nigra terra ... et cui putre solum“ 2, 203 sq.| 295. *contractus*, coartatus, igitur fere id, quod *exiguus*, sed ab hoc eo differens, quod *exiguus* quidem *posse* eum locum exiguum esse, *contractus* vero etiam *debere* esse exiguum significat.| 296, *imbr. tecti*, i. e. tecto ex imbricibus facto.| 297. *premunt*, coangustant.| 298. fenestrae ipsae sint obliquae, ut nec excludant lucem auramque, nec nimis multam intro admittant.| 301. Geopon. 15, 2 „*ἀποπεφράχθω πᾶς τοῦ βοὸς πόρος ὀθόναις καθαραῖς καὶ λεπταῖς, πίσσῃ κεχρισμέναις.*“| 302. *solvuntur*, liquescunt tundendo, ita tamen, ut pellis maneat integra, neve sanguis per eam

Hoc geritur Zephyris primum inpellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Aestuat, et visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis,
Miscentur, tenuemque magis magis aera carpunt,
Donec, ut aestivis effusus nubibus imber,
Erupere, aut ut, nervo pulsante, sagittae,
Prima leves ineunt si quando proelia Parthi.
Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens, atque hac adfatus voce parentem:
Mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius
Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum —
Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo —
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
Pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas?
En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia temptanti extuderat, te matre, relinquo.
Quin age et ipsa manu felicis erue silvas,
Fer stabulis inimicum ignem atque interfice messis,
Ure sata, et duram in vitis molire bipennem,
Tanta meae si te ceperunt taedia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae
Carpebant, hyali saturo fucata colore,
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,

exeat. | 308. *in ossibus*: videtur poeta hoc significare: calorem concipi primum a medulla (v. 3, 272) inde per reliqua propagari. | 310. prorsus ut in omni alveari videre licet: a regina, ut hodie constat, ova pariuntur ac singula in singulis cellis deponuntur; inde excluduntur albi vermiculi pedibus et alis carentes; ex his demum fiunt apes. | 311. v. 3, 325. | 312—314. densum significatur examen his imaginibus. | 313. *Erup.*, cf. vs. 298. || 315—558. *Auctor huius inventi Aristaeus.* | 316. *ingressus*, exordia. | 317. v. vs. 283. Tempe, *τὰ Τέμπη*, amoenissima vallis Thessaliae, quam permeabat flumen Penēus, *Πηνειός*. | 319. *caput amnis*, fontem Penei, v. vs. 368. | 321. *quae ... tenes*, ut Nympha et Penei vel filia vel neptis. | 323. *Thymbra* in Troade fano Apollinis nobilis. | 325. *caelum*, locum inter deos; cf. A. 12, 795. | 327. cf. 1, 14. | 328. *te matre*, cum te deam matrem habeam, quae prohibere hoc vel possis vel debeas. | 329. *fel. silvas*, arbusta felicium sive fructiferarum arborum. | 330. v. 2, 441. | 331. *molire*, v. 1, 329. | 333—351. cf. Hom. Il. 18, 35—51. | 334. v. 3, 306. Desideratur autem in hoc [illegible] aliis quibusdam, iudicium Virgilii. | 335.

Caesariem effusae nitidam per candida colla,
[Nesaee, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,]
Cydippeque et flava Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinae experta labores,
Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae,
Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,
Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea,
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani, Martisque dolos et dulcia furta,
Aque Chao densos divom numerabat amores.
Carmine quo captae dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas inpulit auris
Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes
Obstipuere; sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens summa flavum caput extulit unda
Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxuma cura,
Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater,
Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom
Tangere, ait. Simul alta iubet discedere late
Flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum
Curvata in montis speciem circumstetit unda
Accepitque sinu vasto misitque sub amnem.
Iamque domum mirans genetricis et humida regna,
Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantis,
Ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum
Omnia sub magna labentia flumina terra

hyali s. f. c., i. e. satis largo hyali colore tincta.| 337. *Caesariem effusae*, v. E. 3, 106.| 340. *Luc.*, v. 3, 60.| 342. ambae pictis, i. e. variis pellibus (ut venatrices, cf. vs. 344.; nam etiam ex Oceaninis Diana legit Nymphas venatrices, ut refert Callimachus Hymn. in Dian. 42.) alte cinctae, cf. A. 1, 320, zonamque auratam habentes.| 343. v. E. 2, 24. — *Asia*, v. G. 1, 383.| 344. *tandem*, venando fessa.| 345 sq. cf. Hom. Od. 8, 266 sqq. cura Vulcani cernitur in inveniendis conficiendisque artificiosis vinculis, quibus irretitum cum Venere Martem constringeret; ea cura dicitur inanis, utpote nihil profutura, cum Venus ea sit pulchritudine, ut ne tanto quidem dedecore deterreri posse videantur, qui amplexus eius petant, cf. Hom. l. l. 339—42. Lucian. D. D. 17, 2 „*ἐγὼ μέν τοι* (ait Mercurius) *ἐφθόνουν τῷ Ἄρει, μὴ μόνον φιλήσαντι τὴν καλλίστην θεὰν, ἀλλὰ καὶ δεδεμένῳ μετ' αὐτῆς.*“ — *dolos*, quos ille struebat absentiae Vulcani. — *furta*, v. A. 6, 568.| 347. *A Chao*, a primis rerum temporibus.| 350. diis maris, fluviorum, fontium tribuitur supellex e vitro, crystallo, sucino, conchis, coraliis.| 354. v. E. 8, 6.| 355. *Penei* vel ex breviato *Πηνεός*, ut *Ἀλφεός* pro *Ἀλφειός*, vel ea synizesi contractum, qua vocativi *Pompei* et *Vultei* ap. Horat. C. 2, 6, 5. Ep. 1, 7, 29.| 356. te nomine tuo appellans vocat crudelem.| 357. v. E. 3, 106.| 361. cf. Hom. Od. 11, 243.| 362. *sinu*, caverna in sinus speciem facta.| 364. *lucos*,

Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosusque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua voltu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum et nati fletus cognovit inanis
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis
Germanae, tonsisque ferunt mantelia villis;
Pars epulis onerant mensas et plena reponunt
Pocula; Panchaeis adolescunt ignibus arae;
Et mater, Cape Maeonii carchesia Bacchi:
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores,
Centum quae silvas, centum quae flumina servant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Omine quo firmans animum sic incipit ipsa:
    Est in Carpathio Neptuni gurgite vates,
Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.

similiter ut apud inferos, vs. 468. | 367. Phasis Colchidis, Lycus Ponti, Enipeus Thessaliae, Hypanis Sarmatiae fluvius. | 370. alii *Saxosum*; v. 1, 163. et A. 2, 53. — Littera *s* crebro repetita imitatur strepitum stridentium undarum, ut A. 5, 866. | 371. v. E. 3, 106. Diis, qui praesidebant fluminibus, vel capita vel cornua taurina tribuebantur, cf. A. 8, 77, quo robur ac violentia fluminum indicari videtur, cf. vs. 373; veteres quidam interpretes vel murmur undarum, simile mugitui boum, vel flexus fluminum ea re significari putant. — *auratus:* pertinet hoc ad ramenta auri in Eridano (Pado) reperta, Plin. N. H. 33, 4, 21. | 372. v. 1, 482. | 373. *purp.*, quia fluctus maris illius, quod vulgo appellant mediterraneum, colorem purpurae similem referunt. | 374. *th. pend. pum. t.*, i. e. tecta thalami pumice pendenti concamerata. | 375. alii *gnati.* — *fletus inanes,* dolorem, cui facilis et parata medicina esset. | 376. cf. Hom. Odyss. 1, 145 sq. Cic. de Orat. 2, 60 „manus lava et cena.“ | 377. mantelia lintea, quibus manus tergerentur; ipsa autem lintea apud veteres erant villosa, quare, ut levia fierent, tondendi erant villi. | 378. *reponunt pocula:* sublata prima mensa appositaque altera sive secunda, aliis etiam poculis appositis, i. e. poculis repositis, cf. A. 8, 175 et 279, libationes fiebant. | 379. v. 2, 139. | 380. *Maeonii*, Lydii; et v. 2, 98. | 381. v. E. 6, 26. | 382. Hom. Il. 14, 246 „Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.“ | 383. servare dicuntur sedem, qui nunquam aut raro inde discedunt. | 384. *Vestam*, ignem in foco incensum; v. 1, 295. | 385. *ad s. t. subiecta,* usque ad tectum emicans, v. E. 10, 74 et 8, 104. | 386. Postquam dii adnuerunt, sic fatur ipsa. | 387 sqq. cf. Hom. Odyss. 4, 384—470. — Mare Carpathium dictum a Carpatho, insula inter Cretam Rhodumque sita. | 388 sqq. Per pisces equosque unum hic animalium genus significatur, hippocampus. Servius „equi marini prima parte equi sunt, postrema resolvuntur in pisces.“ — *piscibus et curru equorum iuncto* poetice pro *curru piscibus equisque iuncto.* |

Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et Nymphae veneramur et ipse
Grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur;
Quippe ita Neptuno visum est, inmania cuius
Armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi caussam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
Orando flectes; vim duram et vincula capto
Tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,
Cum sitiunt herbae, et pecori iam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.
Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
Tum variae eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leaena;
Aut acrem flammae sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenuis dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnis,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina somno.

Haec ait, et liquidum ambrosiae diffundit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis conpositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,
Deprensis olim statio tutissima nautis;
Intus se vasti Proteus tegit obiice saxi.

390. v. 1, 490. Pallene peninsula Macedoniae.| 392. Nereus unus ex antiquissimis diis, Ponti filius natu maximus, vates veracissimus; Hes. Th. 233 sqq.| 393. *Quae sint, novit*, etc. eadem orationis forma redit A. 11, 256 sq.| 395. *turpes*, vel quod taeterrimi sunt odoris, vel quod contra aliorum piscium naturam pilosae.| 397. *event. sec.*, faciat, ut prospero utare eventu.| 400. *vincula tendere alicui* est *iniicere v.*, cf. A. 2, 236.; *vim tendere alicui* est *vim adhibere*. — *circum haec*, i. e. cum haec facies, cum vim adhibebis et vincula; Pindarus Pyth. 1, 22 „*θέλγει* (ἡ λύρα) *φρένας ἀμφί τε Λατοίδα σοφίᾳ βαθυκόλπων τε Μοισᾶν*," i. e. cum Apollinis Musarumque carmina audiuntur.| 407. *atra*, v. 1, 129.| 408. *fulva cervice* (i. e. iubatā) *leaena?*| 415. *diffundit* per membra filii.| 416. *perduxit*, perunxit, cur? cf. vs. 418.| 417. v. 3, 251.| 420. v. A. 1, 161.| 421. *Deprensis* tempestate, Horat. Od. 2, 16, 2. — *olim* iunge cum *deprensis:* tum, cum deprehensi sunt, uti solet accidere nautis, v. A. 5,

Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.
Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat caelo, et medium Sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbae, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat; eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae;
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius numerumque recenset.
Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus conponere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque iacentem
Occupat. Ille suae contra non inmemor artis
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. At ille:
Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quicquam;
Sed tu desine velle. Deum praecepta secuti
Venimus hinc lapsis quaesitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa
Ardentis oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter frendens sic fatis ora resolvit:
Non te nullius exercent numinis irae;
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum poenas, ni Fata resistant,

125. | 423. *aversum a. l.*, ergo loco tenebricoso. | 424. *neb. obscura*, utpote circumfusa nebulis. | 427. Ut de tempore (inter graves labores) confecto dicitur *exhausta nocte* Tac. Hist. 4, 29, sic de via Stat. Theb. 1, 369 „vastum haurit iter;" medium sol hauserat orbem, i. e. confecerat medium (dimidium) cursum per orbem caelestem. | 428. *Faucibus*, ostiis; *ad limum*, ergo usque ad fundum, tepefacta. | 432. *somno*, tertius casus, ad somnum capiendum. — *diversus* modo i. q. diversis locis, ut hic, modo in loca diversa, ut A. 1, 70. | 433. *olim*, v. A. 5, 125. | 443. alii *pellacia*. | 445. *Nam quis*, i. e. Quisnam, ut A. 2, 373. | 446. *hinc*, i. e. a me, ut Terent. Ad. 3, 3, 7. | 447. *neque est cet.*, i. e. nec fieri potest, ut quicquam te fallat s. praetereat lateatque; Cic. de Orat. 1, 60 „Neque enim hoc te fallit, quam multa sint dicendi genera." | 448. *velle*, sc. me fallere. — *deum*, quorum? v. A. 6, 322. | 452. *fatis*, ad edenda fata, v. vs. 432. | 453. cf. vs. 532—534. — *nulliùs*, cf. A. 1, 668. 5, 853. 9, 610. — *non nullius*, i. e. gravis admodum numinis; cuius? docebit vs. 460 et 532—34. | 455. iunge: *Haud q. ob merit. miserabilis.* — *et perget sus-*

Suscitat, et rapta graviter pro coniuge saevit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
Inmanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
Inplerunt montis; flerunt Rhodopeiae arces,
Altaque Pangaea, et Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getae, atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse, cava solans aegrum testudine amorem,
Te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus Manisque adiit Regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
Quam multa in foliis avium se milia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum;
Quos circum limus niger et deformis arundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
Alligat et noviens Styx interfusa coercet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque inplexae crinibus anguis
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.

citare, *ni F. r.* | 456. *rapta*, abrepta, mortua, cf. vs. 504. | 457. *Illa ... puella*, Graeco, maxime Homerico, more, ut Il. 1, 488 „*Αὐτὰρ ὁ μήνιε νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισιν ... Ἀχιλλεύς.*“ Soph. Ai. 780 sqq. „*ὁ δ' εὐθὺς ἐξ ἕδρας πέμπει με ... Τεῦκρος.*“ Herod. 9, 55 „*ὁ δὲ ... Παυσανίης.*“ cf. A. 5, 609 sq. 12, 901 sq. | 457. *per fl.*, per ripas, Hebri puta, cf. vs. 463. | 458. v. E. 6, 47. | 461. *Rhod.* v. E. 6, 30. — *arces*, v. 2, 535. — de hiatu v. E. 3, 79. | 462. *Παγγαῖον*, Pangaeus, mons Thraciae finitimus Macedoniae. — *Rhesus*, rex Thraciae, qui Troianis adversus Graecos opem tulit; cf. A. 1, 471 sqq. — *Mav.*, v. A. 3, 13. | 463. *Getae*, v. 3, 462. et E. 10, 13. — *Hebrus*, v. E. 10, 65. — *Orithyia*, Erechthei, Athenarum regis, filia, rapta a Borea et in Thraciam abducta; *Actias*, i. e. Atheniensis; Attica enim olim *Ἀκτή* dicta. | 465. v. 1, 389. | 467. Per specum Taenarium, a Taenaro, promontorio Laconicae, dictum, aditus ad inferos patere existimabatur. | 468. *nigra f.*, tenebris formidolosis. | 472. *ibant* Imperfectum ostendit longo agmine ab omnique parte, etiam remotissima, alias post alias adfluentes; quae res non est unius momenti; contra Perfectis utitur poeta vs. 481—484, ubi, quid omnino factum sit, refert, non, quamdiu tenuerit. | 474. v. 1, 375. | 475. cf. vs. 255. | 480. *quos ... adligat*, cohibet, nec patitur abire ex Orco. | 481. *int. L. T.*, loca Tartari interiora, ubi Letum habitat, quod A. 6, 277 in primo Orci aditu sedem habere dicitur; nempe in eiusmodi rebus liberius versantur poetae. | 482. *inplexae angues*, v. E. 3, 106. | 484. v. 3,

Iamque pedem referens casus evaserat omnis,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens, — namque hanc dederat Proserpina legem —
Cum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
Restitit, Eurydicenque suam, iam luce sub ipsa,
Inmemor, heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor, atque inmitis rupta tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu,
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Iamque vale: feror ingenti circumdata nocte
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commixtus tenuis, fugit diversa, neque illum,
Prensantem nequiquam umbras et multa volentem
Dicere, praeterea vidit; nec portitor Orci
Amplius obiectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
Quo fletu Manis, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat iam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam
Flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris,
Mulcentem tigris et agentem carmine quercus;
Qualis populea maerens philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator

38. — *vento*, cessante, qui hunc orbem circumagebat, vento, sopito illo per dulcedinem cantus; Hor. C. 1, 12, 10 „Orphea ... rapidos morantem Fluminum lapsus celeresque ventos;" v. E. 2, 26. — *rota*, rotatio. | 487. *hanc legem*, cf. Ovid. Met. 10, 48—51. | 491. *victus animi*, qui est victi (hic quidem desiderio) animi; ita *praestans* vel *egregius animi*, qui est praestantis, egregii animi, A. 11, 417. 12, 19. adde G. 3, 289; similiter Plato „τέλειος τῆς ἀρετῆς." Sil. 17, 414 „Fervidus ingenii Masinissa et fervidus aevi," et A. 2, 638 *integer aevi sanguis*, sanguis aevi integri, s. qualis integro aevo, nondum affecta aetate, esse solet. | 492. *Effusus*, irritus factus; Grat. 233 „neve ... primos nequiquam effunderet actus." | 493. *Foedera*, lex, condicio a Plutone imposita. — *fragor*, nuntians iram dei. | 496. *natantia lumina*, incerto motu fluctuantia, ut moribundae. | 500. v. vs. 432. | 502 sq. *nec portitor O.* (A. 6, 298 sq.) *amplius* (praeterea, ἔτι) *passus est eum transire.* | 505 sq. Nullus restabat fletus, quo Manes, nullae preces, quibus alia, quaequae demum essent, numina moveret, quoniam illa iam Stygem transmittebat. Servius „Dicitur bis eandem umbram evocari non licere." | 509. *haec*, casus suos. | 510. Nullae in Thracia tigres. Sed audaces in eiusmodi rebus inveniendis sunt artifices. Vidit igitur poeta fortasse in anaglyphis vel gemmis tigres, saevissimas bestiarum, auscultantes Orpheo, nisi forte, qui sciret in Macedonia Xerxis Herodotique aetate leones fuisse (Herod. 7, 115 sq.), haud dubitaverit etiam tigres illis regionibus adscribere; et leones et pardales et pantheras in Pangaeo Cittoque montibus inveniri scribit Xenoph. de Venat. c. 11. |

Observans nido inplumis detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et maestis late loca questibus inplet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
Arvaque Rhipaeis numquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis
Dona querens; spretae Ciconum quo munere matres
Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi
Discerptum latos iuvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volvéret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat;
Eurydicen toto referebant flumine ripae.
    Haec Proteus, et se iactu dedit aequor in altum,
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene; namque ultro adfata timentem:
Nate, licet tristis animo deponere curas.
Haec omnis morbi caussa; hinc miserabile Nymphae,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem et facilis venerare Napaeas;
Namque dabunt veniam votis irasque remittent.
Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios praestanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,
Delige, et intacta totidem cervice iuvencas.
Quattuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, et sacrum iugulis demitte cruorem,
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei Lethaea papavera mittes,

517. *Tanais* (Don) fluvius Scythiae.| 518. *Rhip.* v. 1, 240.| 520. *Cicones*, populus Thraciae ad ostia Hebri. — *quo munere spretae:* munus h. l. significat honorem mortuae Eurydicae ab Orpheo tributum, cf. A. 4, 624. 6, 886. 11, 26. et v. G. 3, 391.; illud autem munus cernebatur in impatienti coniŭgis amissae desiderio; eadem re effectum est, ut Orpheus, abhorrens a novo matrimonio, sperneret matronas Ciconum, popularium suorum.| 521. *nocturni*, quia orgia (ab ipso Orpheo instituta) noctu celebrabantur.| 524. *Oeagrius*, ab Oeagro, rege Thraciae, Orphei patre, dictus.| 525 sqq. *Eurydicen* ... *Euryd.*, v. A. 3, 523.| 529 *und. s. v. torsit*, dum submergitur, verticem effecit undam in orbem circumagendo.| 530. *At non Cyrene* deseruit Aristaeum, ut Proteus modo, consiliique inopem destituit; et cf. vs. 424; praeterea v. 3, 349.| 535. *Tende*, protende, offer; cf. A. 2, 674. — *faciles*, placabiles.| 537. *ordine* dicit, qui singula ita exponit, ut ipse rerum ordo postulat.| 539. *Lyc.*, v. E. 10, 15. G. 1, 14. 4, 283.| 540. *intacta* iugo.| 541. *alta*, quia gradibus ascendebatur ad templa; cf. A. 1, 448.| 542. *demitte* in aras.| 543. v. 2. 297.| 545. *Leth.* cf. 1, 78.

Et nigram mactabis ovem, lucumque revises;
Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa.
Haud mora; continuo matris praecepta facessit;
Ad delubra venit, monstratas excitat aras,
Quattuor eximios praestanti corpore tauros
Ducit et intacta totidem cervice iuvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero et ruptis effervere costis,
Inmensasque trahi nubes, iamque arbore summa
Confluere et lentis uvam demittere ramis.

Haec super arvorum cultu pecorumque canebam
Et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentis
Per populos dat iura, viamque adfectat Olympo.
Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti,
Carmina qui lusi pastorum, audaxque iuventa,
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

— *papav.*, ut oblivio doloris capiat Orpheum. Servius ad G. 1, 78 „Ceres (rapta a Plutone Proserpina) dicitur cibo papaveris orbitatis oblita.“ | 546 sq. Leguntur hi versus in multis exemplaribus inverso ordine. — *Orphei*, ut *Mnesthei* A. 5, 184. | 547. Eurydicen (unam e Napaeis) placatam iam ante cum ceteris Napaeis vs. 535 praeterea vitula caesa venerabere. | 555. *Adspiciunt*, Aristaeus cum comitibus, ministris. | 556. v. 1, 456. — Infinitivi per appositionem adiecti sunt substantivo *monstrum*; Plat. Phaed. 146 extr. „*δοκεῖ βέλτιον ... καὶ μὴ πράγματα ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λούειν.*“ | 557. cf. vs. 60. | 558. *uvam demittere*, in uvae speciem pendere; cf. Hom. Il. 2, 89. | 560 sq. Significatur annus 724, quo Octavianus, ut refert Cassius Dio 51, 8, per Syriam in Asiam provinciam profectus hiberna ibi egit simulque et subditorum omnia negotia et Parthica composuit. Rem haud ita magnam magnifice auxit poeta, cui licentius fingendi potestas erat in rebus, quae quales quantaeque essent, eo, quo haec scribebat, tempore sciri nondum poterat. — Euphrates illa aetate Syriam a regno Parthorum dividebat. — *victor .. volentes*, Servius „vincere virtutis est, iustitiae vero, non invitis, sed volentibus imperare.“ | 562. *Per p. d. iura*, leges imponit populis. — *Olympo*, v. vs. 325; Dativus motum indicans, ut A. 9, 712. | 563. *Vergilium*, haec antiqua est et vera huius nominis forma. | 564. Neapolis in Campania, ante ex cognomini Sirene ibi sepulta, ut fertur, Parthenope appellata. — *studiis florent.* illustrantur haec verbis Ovidii Tr. 4, 8, 7 sq. „Quaeque meae semper placuerunt otia menti, Carpere (debebam) et in studiis molliter esse meis.“ — *ignobilis*, cf. 2, 486. En ingenium poetae, de rebus Caesaris tam ample quam de suis modeste loquentis! | 565. *ludere* poetae dicuntur, qui in tenui argumento versantur, cf. E. 1, 10, et v. E. 6, 1. | 566. cf. E. 1, 1.

P. VIRGILI MARONIS

AENEIDOS

LIBER PRIMUS.

(*Aeneas relicta Sicilia vi ventorum ad litus Africae delatus Karthaginem venit ad Didonem ab eaque excipitur hospitio.*)

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus silvis, vicina coegi
Ut quamvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit

Aeneid. L. I. *Prooemium. Ille ego:* Significat Virgilius, si is auctor est huius Prooemii, a bucolico et georgico carmine ad heroicum se procedere. — *qui modulatus sum et coegi arva vicina, ut parerent.* — *egr. silvis,* v. E. 1, 2. — *vicina* silvis. — *Ut q. a. p. a. col.*, ut responderet copia frugum votis agricolae messem vel uberrimam (quamvis uberem) optantis, v. G. 1, 47. 99 et cf. Ovid. Fast. 1, 677 sq. — *at n., at* transitum a re levi ac tenui ad maiora et graviora, immo contraria, hic indicat. — *horrentia arma* opponuntur a poeta nitido arvorum cultui, qui cum grato adspectu delectet animum, arma eundem horrore afficiunt. ‖ *Expositio propositi* vs. 1—7. — Fato ac voluntate deorum factum est, ut Aeneas domo profugus novam sedem in Italia conderet. Infensa Troianis Iuno cum convellere decreta fati nequeat, retardare saltem eventus rerum omni ope nititur. Itaque diu arcet Aeneam ab accessu fatalis terrae, et cum ille post multos errores classem eo appulisset, eiusdem opera implicatur gravissimo bello, quo profligato victoque adversario atrocissimo, Turno, rege Ardeae, tandem potitur votis. Conditur post hanc victoriam, in qua Aeneis ipsa finem capit, Lavinium Troianique cum populo regis Latini ita consociantur, ut Latinorum nomen utrosque complectatur, maneant etiam sermo moresque Latinorum, 12, 834 sqq., Latini autem sacra deosque Troianorum accipiant, 12, 192. Aliquot annis post filius Aeneae condidit Albam Longam, quae parens facta est illius inclitae Romae. | 1. Non sunt haec *arma virumque* ita secernenda inter se, ut duo diversa significari statuas: *arma cano* et *virum cano;* sed *arma virumque* ita in unum coalescunt, ut hominis bello clari notio efficiatur; cf. Ovid. Trist. 2, 533 „Ille tuae felix Aeneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros.“ infra 11, 747 „Arma virumque ferens,“ Venulum armatum. — *primus*, nam Patavium, quod Antenor ante adventum Aeneae condidit vs. 242—248, Venetiae fuit. | 2. Haud temere illud, quod *fato profugus venisse* dicitur, aut inventum esse a poeta aut creditum a Romanis persuadebunt gravissimi

Litora, multum ille et terris iactatus et alto
Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem
Inferretque deos Latio, genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.
Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso,
Quidve dolens, regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Inpulerit. Tantaene animis caelestibus irae?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum studiisque asperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam

auctores, Homerus, qui fatale Aeneae fuisse ait, ut superstes atrocissimo bello Troianis imperaret, Il. 20,302—8., et Liv. 1,1 „Aeneam, ad maiora initia rerum ducentibus *fatis*, primo in Macedoniam venisse" *cet.* Fato autem cum summa rerum in hoc carmine expositarum gubernetur, fieri non potest, quin eae res ipsae fiant augustiores, legentes autem impleantur et reverentia tanti numinis et admiratione rei Romanae volente Fato et constitutae et ad eam, quae fuit Virgilii tempore, potentiam ac dignitatem evectae. — *Laviniaque v. L.*, similis epexegesis 6, 831. — *Lavinia* hic trisyllabum; durior etiam synizesis 6, 33. 7, 237. | 3 et 4. *terris iactatus*, qui dum sedem certam quaerit, aliam terram ex alia adire vi deorum coactus fuerit. — Omnibus autem, quas perpessus est, rerum adversitatibus obruit eum insatiabilis ira Iunonis, omne nomen Troianum internecino persecuta odio, tum etiam aliorum, quos illa nacta est administros, deorum opera, cf. 6, 63 sq.; eodem spectat Ovid. Met. 14, 581 „Iamque deos omnes ipsamque Aeneia virtus Iunonem veteres finire coegerat iras." | 5. *quoque et*, nec solum ille multum terra marique iactatus est, sed multa etiam bello passus. Cic. de Orat. 1, 35 „mea *quoque etiam* causa rogo." Terent. Hec. 5, 1, 36 „ego *quoque etiam* hoc credidi." — *dum conderet* voluntatem et studium denotat, ut G. 4, 457. A. 10, 800. — *urbem* fato promissam ... vs. 258 ... Lavinium. | 6 sq. *unde:* quo factum est, ut Aborigines cum Troianis aequati communi Latinorum nomine sint comprehensi, utque ab Ascanio Alba sit condita et ex eius posteris urbis Romae conditores ortum habuerint. — *patres:* perite et secundum historiam; ut Romae initio, sic sine dubio Albae nulla fuit plebs; tenebant Albam patriciae gentes, patres, cum suis clientelis.

8—11. *Invocatio Musae;* 12—33. *Causae odii Iunonis.* | 8. pro eo, quod dici solet „memora causas, quibus impulerit," poeta subiungit definitionem causarum bipartitam: „quo numine laeso" et „quidve dolens." — *quo numine l.*, qua voluntate Iunonis neglecta; ergo quid factum contra eius voluntatem, quo commotus est eius animus? 2, 123 „quae sint ea *numina* divom," i. e. quae sit illa deorum voluntas oraculo significata. Atque ad haec ipsa *quo numine laeso* pertinent, quae vss. 12—22 exponuntur; laesum numen suum sentiebat Iuno, quod audierat futurum esse, ut a Carthaginiensibus longe sibi iucundissimis imperium ad posteros Aeneae transferretur. — *Quidve dolens:* explicantur haec vss. 25—28, et respondet verbo *dolens* id, quod vs. 25 positum est, *dolores.* | 9. *volvere* est ita promovere, ut eadem pars per vices nunc inferior sit, nunc superior; hinc nata est significatio continuae cuiusdam rerum vicissitudinis; *volvere casus*, alium ex alio tolerare; *volvere vices* 3, 375.; cf. etiam 1, 22. | 10. *Ins. piet. v.*, ergo tali tantoque odio minime dignum. | 12. *fuit*, non *erat;* etenim qualis fuerit postea, (non qualis Didonis tempore) indicat poeta; quamquam Iuno „iam tum tendebat," vs. 18, ut talis fieret. | 13. *contra*, e regione. | 15. *unam* hic auget

Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,
Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
Id metuens veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis —
Necdum etiam caussae irarum saevique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores;
His accensa super iactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli,
Arcebat longe Latio, multosque per annos
Errabant, acti fatis, maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.

Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,

vim comparativi, *magis*, ut Horat. Epod. 12, 4.| 16. *Samo*. Lactant. Inst. 1, 17 „Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit ibique etiam Iovi nupserit. Itaque nobilissimum et antiquissimum templum eius est Sami.“| 17. *currus*, cf. Hom. Il. 5, 720 sqq.| 18. *fovet*, significatur hoc verbo studium a blando quodam et quasi materno amore profectum.| 19. *sed enim*, Graecum ἀλλὰ γάρ, duo enuntiata ita inter se implicat, ut sua utrique particulae, *sed* et *enim*, vis perstet „*Sed* metuebat tum Carthagini (vs. 23.), audierat *enim* fore, ut posteri Troianorum eam everterent.“ infra 2, 164—170 „*Sed* cecidit postea spes Graecorum, offenderant *enim* Diomedes et Ulixes Minervam.“ 5, 395—400 „*Sed* iam deficiunt vires, senectus *enim* me tardat.“ 6, 28 sq. „*Sed* ipse Daedalus (miserabatur *enim* amorem reginae) ambages tecti resolvit.“| 21. Hor. Od. 3, 17, 9 „late tyrannus“| 22. *s. volv. P.*, sic suo tempore et fatorum ordine, per Parcas constituto, eventurum esse; v. vs. 9.| 24. *Prima*, tamquam dux faxque belli, et v. 3, 437. — Ceterum est haec oratio ἀνακόλουθος indicans animum commotiorem. Instituerat primo ita scribere poeta: *Id metuens* — *arcebat Danaos Latio* v. 31.| 27. *Iudic. P.*, qui Venerem Iunone et Minerva pulchriorem esse iudicaverat.| 28. *invis.*, propter Dardanum, Iovis ex Electra, Iunoni invisa, filium, 8, 134 sq. cf. Ovid. Fast. 6, 41 sq. — Ganymedes, Trois fil.; vid. Ovid. Met. 10, 155—161.| 29. *His*, quae vss. 25—28. memorata sunt. — *super*, insuper, accedente ad metum (vs. 23) etiam dolore atque ira; v. 7, 462.| 31. cf. vs. 755.| 32. Sic factum est, ut circum omnia maria errarent acti fatis, quae eos nusquam consistere patiebantur, antequam invenissent sedem destinatam.

34—80. *Iuno conspicata classem Troianam ab Sicilia venientem ac per mare Tyrrhenum navigantem integram plenamque alacritatis ardens ira Aeolum adit, regem ventorum, precibusque ac promissis perpellit, ut tempestate atroci Troianos adoriatur.*| 34. v. 11, 903.| 35. *V. d. laeti:* ita solent nautae laetabundi et exire ex portu et navigatione feliciter confecta redire. — *sp. s. aere r.*, suscitabant mare aereis navium rostris ita, ut ageret spumas; et

Cum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivom atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
Ipsa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
Disiecitque rates evertitque aequora ventis,
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit scopuloque infixit acuto;
Ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque
Et soror et coniunx, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat
Praeterea, aut supplex aris inponet honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantis ventos tempestatesque sonoras
Inperio premit ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras;
Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque et montis insuper altos
Inposuit, regemque dedit, qui foedere certo
Et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque Penatis:

cf. vs. 85. | 36. cf. vs. 25. | 39. *Quippe* ironiae servit. | 41. ob vim in Minervae templo factam Cassandrae. — *furias:* Hom. Il. 20, 87 „*Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐρινὺς φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην.*“ — *Oilei*, v. E. 6, 78. | 44. Stat. Theb. 11, 2 „exspiravitque receptum Fulmen“ Capaneus. | 46. *incedo*, v. 5, 68. | 47. *una*, eādem; ego tot annos cum una eademque gente bella gero, nec potui eam opprimere. | 49. *praeterea*, posthac. Adverbia praeteriti futurive temporis non necessario requirunt Verbum eiusdem temporis, Prop. 2, 7, 2 „quondam flemus“ pro *flevimus*. Iuven. 4, 97 „olim prodigio par est cum nobilitate senectus.“ Terent. Eun. 2, 3, 46 „Cras est mihi iudicium.“ Plaut. Trin. 3, 3, 87 „Ego sycophantam iam conduco.“ | 52. *Aeoliam*, quae una est ex insulis Vulcaniis ad Siciliam. | 53. *Luctantes*, erumpere semper nitentes. | 54. v. 7, 737. | 58. *profundum*, altum. | 61. *molem et montes*, molem montium; similis epexegesis 3, 223. 7, 751. 775. 9, 354. 11, 22. 12, 869. — *insuper*, *ὕπερθεν*, cf. 3, 579. | 62. regem dedit, qui certis legibus adstrictus sciret iussa Iovis exsequi; v. G. 1, 60. | 63. *premere*, adducere. | 65. *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.* |

Incute vim ventis submersasque obrue puppis,
Aut age diversos et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum quae forma pulcherrima Deiopea,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo,
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat et pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque
Concilias, tu das epulis accumbere divom,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Inpulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether,
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
Ingemit, et duplicis tendens ad sidera palmas
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis,
Tydide! mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra?
Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens

69. Uti premendo habenas (vs. 63) demere vim ventis, ita remittendo incutere dici potest Aeolus. | 70. v. G. 4, 432. | 73. *propriam*, ut perpetuo matrimonii vinculo teneatur; v. E. 7, 31. | 75. *parentem pulchra prole:* secundum consuetudinem diceres *par. pulchrae prolis;* similiter 5, 77 „*mero* carchesia *Baccho;*“ antiquis hunc usum Ablativi tribuit Servius. | 78. *quodcumque*, v. 9, 287.

81—123. *Atrox tempestas immittitur classi Troianorum.* — Compara cum his Hom. Od. 5, 291 sqq. | 81. *cuspide*, hasta, ut 12, 386, quam pro sceptro antiquissimi reges gestabant, Iustin. 43, 3. Ea hasta (sive sceptro, vs. 57) ad montem conversa Aeolus in propinqua arce (regia) habitans impellit latus eius montis, quo fit, ut claustra (vs. 56) laxentur ventisque detur exitus. | 82. *agmine facto*, proprie de militibus, qui densis ordinibus pergunt vel ad iter, vel ad proelium faciendum, 8, 595. G. 4, 167. et infra vs. 434. | 85. *creb. proc.*, procellosus. | 92. Hom. Od. 5, 297. Repentinus timor represso cursu sanguinis frigus atque horrorem incutit facitque, ut torpeant membra, palleat os; cf. 12, 905. | 94. Hom. I. l. 306 sq. | 97. Respicitur certamen ab Hom. Il. 5, 239—318 narratum. | 99. *saevus*, v. vs. 138. — *Aeacid.*, v. 6, 58. — *iacet*, periit, ut Gr. *κεῖται*. Notabis usum Praesentis

Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.
Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum proram avertit et undis
Dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit aestus arenis.
Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet —
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras,
Dorsum inmane mari summo — tris Eurus ab alto
In brevia et syrtis urguet, miserabile visu,
Inliditque vadis atque aggere cingit arenae.
Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vertex.
Adparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas.
Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiemps; laxis laterum conpagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
Fluctibus oppressos Troas caelique ruina.

in re, cuius recens viget in animo memoria; cf. 2, 275. 663. 3, 8. 11, 172.| 100. cf. Hom. Il. 12, 22 sq.| 102. *iactare* ubi significat *loqui*, *dicere*, adiunctam habet notionem commotioris animi, cf. 2, 588. 9, 621. 10, 95.| 103. *adversa,* a prora veniens.| 104. *avertit*, procella.| 105. *ins. cumulo*, i. e. mole aquae, s. aqua in speciem cumuli sublata; cf. 2, 498.| 106. *Hi*, horum naves.| 107. *arenis*, in fundo maris, miscens scilicet eas et sursum rapiens, cf. 3, 557 et Ovid. Met. 11, 499.| 109. Saxa inquam; saxorum enim, non insulae vocabulo Itali appellant Aras in mediis fluctibus (inter Siciliam, Carthaginem et Sardiniam) sitas. Varro scribit Aras esse insulam in pelago latentem, Plinius scopulos verius dici, quam insulam.| 110. id dorsum est in mari summo, ut apparere non possit, nisi, ut auctor est Servius, cum mare ventis movetur.| 111. *brevia*, loca vadosa.| 114. *a vertice*, fluctus alte sublatus desuper incidit in navem, Hom. Od. 5, 313 „ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης." | 115. *magister*, dux, Orontes, 6, 334.| 116. *Volv.*, v. 9, 433.| 118. rari (ἔνθα καὶ ἔνθα) emergunt; plerosque statim absorbuerat vertex.| 119. sc. apparent late dispersa. — *Arma*, puta, clipei cratibus texti, galeae coriaceae; eaque in puppibus suspensa erant, cf. vs. 183. 10, 80.| 120. *Ilion.* v. vs. 41.| 123. *imbr.*, aquam, ut G. 4, 115.

124—156. *Sentit sedatque tempestatem Neptunus.*| 126. *alto*, ex imo mari (ubi est regia Neptuni) prospicit.| 129. *caeli ruina*, imbribus, et coniuncta cum

Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
  Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam caelum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere et tantas audetis tollere moles?
Quos ego —! Sed motos praestat conponere fluctus.
Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
Non illi inperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille inmania saxa,
Vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
  Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat,
Collectasque fugat nubes solemque reducit.
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
Detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti;
Et vastas aperit syrtis, et temperat aequor,
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile volgus;
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat;
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam

his reliqua tempestatis foeditate.| 132. *generis*, inest in his quaedam contemptus significatio, aut quia ex humillimo sunt genere deorum, aut quod nati sunt ex Astraeo, qui contra deos arma sumpsit, uno ex Titanibus.| 133. *s. numine*, voluntate, 2, 777.| 135. *Quos ego!* vox gravem poenam minitantis; Terent. Andr. 1, 1, 137 „quem quidem ego! si sensero, ,..!“| 136. *mihi*, v. E. 8, 6.| 138. *trident.*, insigne imperii maritimi. — *saevus* ad iram, furorem, vehementiam spectat; hinc ad bella, pugnas, fortitudinem, ad imperia, regna, iussa, ad mare, ventos, tempestates transfertur.| 140. v. 9, 525.— *illa* ... *regnet*, amaritudo in singulis verbis!| 141. Hom. Il. 1, 179 sq. — *clauso* non i. q. postquam clauserit, sed: clausum tenens carcerem s. ea lege, ut clausum teneat, nos: *bei verschlossenem Kerker*, ut 7, 249 *Talibus Ilionei dictis*, *bei diesen Worten*, dum ille ita loquitur.| 142. Hom. Il. 19, 242.| 144. *Cym.*, Nereis.| 146. *aperit s.*, facit rursus navigabiles; *et temp. aequor*, ita moderatur, ut ne rursus naves illidantur vado vi fluctuum abreptae.| 148. Particulae *Ac veluti* serviunt comparationi, qua praegressa illustrantur, 2, 626. 4, 402. 441., v. 6, 709.; et comparandi vim propriam esse particulae *ac*, vel ex illo notissimo *aeque ac* cognoscis. Praeterea iunges *veluti cum*, ut sexcenties apud Homerum *ὡς ὅτε*· reliqua enuntiata simpliciter ita adnecti solent in comparationibus, ut nullum eorum vim habeat apodoseos; nam *veluti cum* valet i. q. *ut fieri solet, cum;* cf. 2, 626—631. *ceu cum* 9, 792. Denique *saepe* in comparatione ita interpositum significat i. q. *ut saepe fit*, cf. 10, 723. G. 2, 279., etiam extra comparationem 8, 353.| 150. cf. 7, 507 sq. — *arma*, ipsas illas faces, ipsa saxa; quippe cum telo esse in Urbe civi Romano non licebat; Tac. Ann. 14, 45 „conglobata multitudine et saxa ac faces minitante.“| 152. *adstare*, i. e. certo quodam loco tamquam inhaerentem stare, vel in vestigio suo stare, 3, 123. 7, 181. 9, 677.| 153. *reg.*

Prospiciens genitor caeloque invectus aperto
Flectit equos curruque volans dat lora secundo.
    Defessi Aeneadae, quae proxuma litora, cursu
Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
In caelum scopuli, quorum sub vertice late
Aequora tuta silent; tum silvis scaena coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra;
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum,
Intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus; hic fessas non vincula navis
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit; ac magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troes arena
Et sale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates
Succepitque ignem foliis atque arida circum
Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma

d. an. docendo, *et p. m.* sedando. | 155. *genitor*, v. G. 1, 163. | 156. *curru volans secundo*, impetum equorum sequente.

157—222. *Troiani in proxima Libyae litora egressi curant corpora; Aeneas solando firmat animos suorum, qui post cenam sermonibus requirunt amissos socios.* | 159 sq. Solinus c. 9 „Euboea insula *laterum obiectu efficit* Aulidis *portum*.“ | 160. Iunge: *omnis ab alto unda*, sc. allabens; et v. E. 1, 8. | 161. Excipit haec insula vim undarum, quae in sinus eius introrsus retractos fractae scissaeque se insinuant, et ita portum praestat quietum; et cf. G. 4, 420. | 162. *minantur in caelum*, tam alti sunt, ut videantur tendere in c.; *minas murorum* infra 4, 88 muros praealtos dixit eaque re terrorem facientes, cf. 2, 240, quippe qui videantur subeuntem ruina oppressuri. | 164. Placidi Gloss. p. 501 „item *scena* dicitur arborum in se incumbentium quasi concamerata densatio.“ Iam vide eundem locum vss. 310 sq. descriptum. — *coruscis*, tremula luce per intervalla micantibus, dum vento moventur. | 165. *horrenti umbra*; *horrentes* vel *horridae* dicuntur arbores, unde multi densique rami prominent, ut *seges horrens* a multitudine culmorum erectorum 3, 23 „densis hastilibus *horrida* myrtus“; iam *horrens umbra* dicitur, quae illa ramorum densitate efficitur, ut *saxea umbra*, quam facit rupes, *viridis umbra*, quam viridia. — *atrum*, sc. densum proptereaque obscurum. | 166. *adversa* intro navigantibus. — *scopulis p.*, Ablativus rei efficientis; intelliges autem scopulos cavatos eoque pendere visos. | 167. *viv. sed, saxo*, sedilia nata, non arte facta; cf. 3, 688. | 168. Hom. Od. 12, 317 sq. — *Hic*, in hoc portu, non opus est vinculis aut ancoris; cf. Hom. Od. 9, 136 sq. | 169. *unco morsu*, quia uncus ancorae est illud, quod *mordet*, fundum quasi morsu adpetit. | 172. *arena*, litore. | 173. *s. tab.*, sordibus aquae marinae fluentes. | 176. *rap. in f. fl.*, celeri vibratione effecit, ut fomes, i. e. manipulus aridae frondis vel stipulae, qui scintillam exceptam condebat, ardere inciperet. | 177. *Cererem*, fruges. — *C. arma*, instrumenta, quibus

Expediunt fessi rerum, frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
Aeneas scopulum interea conscendit et omnem
Prospectum late pelago petit, Anthea si quem
Iactatum vento videat Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam, tris litore cervos
Prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per vallis pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas
Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, sternit, tum volgus, et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam;
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi et numerum cum navibus aequet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnis.
Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:
O socii, — neque enim ignari sumus ante malorum —
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
Accestis scopulos, vos et Cyclopia saxa
Experti: revocate animos, maestumque timorem
Mittite; forsan et haec olim meminisse iuvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas

opus est ad pinsendum coquendumque panem. | 178. *fessi r.*, fessi et qui sat egissent rerum suarum; v. 12, 589. | 179. v. G. 1, 267. | 181. *pelago*, v. vs. 126. — *si*, v. E. 6, 57. — *si quem A.*, si forte quem eorum, qui amissi videbantur, ut Antheum, aut Capyn, videat; Propert. 4, 11, 19 „Aut *si quis* posita iudex sedet *Aeacus* urna," i. e. si quis iudex sedet, qualem memorant Aeacum. Et magistrorum nomina posita pro navibus eorum; cuius quaeque esset, cognosci e longinquo poterat ex armis in puppi suspensis, v. vs. 119. | 184. *cervos:* eo nomine, ut etiam dammarum vocabulo, a Romanis appellantur ferae peregrinae cervis similes, maxime quae hodie vocantur antilopae; in Libya nec silvae erant, nec cervi, nec lupi; nisi forte poeta putavit licere sibi fingere, quae non fuerunt, ut silvas vs. 552. 4, 399. | 187. *hic*, in valle, constitit, et deinde, vs. 191, eos persequens agit inter nemora. | 190. *arboreis*, ingentibus, ut 12, 888. | 193. cf. vs. 170. | 195. Ordo verborum: *deinde dividit vina, quae* cet.; traiectum *deinde* etiam 3, 609. — *vina onerare cadis*, quasi pro onere inferre, infundere cadis; cf. 3, 465. 8, 180; proprie *cados onerare vino.* — De Aceste cf. v. 38. — *bonus* indicat benignitatem liberaliter donantis. | 198. Hom. Od. 12, 208 sqq. — *ante malorum*, *τῶν πρὶν κακῶν.* | 200. accessistis, *accestis*, ad scopulos *penitus son.*, intus latrantes, *innen tosend.* Illustrat haec 3, 566 „Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;" adde eiusdem libri vs. 424 et 431. Imitatur eadem Lucanus 6, 66 „rabidum latrare Pelorum." | 201. *C*

Ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert, curisque ingentibus aeger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se praedae accingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis et viscera nudant;
Pars in frusta secant veribusque trementia figunt;
Litore aena locant alii flammasque ministrant.
Tum victu revocant viris, fusique per herbam
Inplentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.
Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,
Amissos longo socios sermone requirunt,
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
Despiciens mare velivolum terrasque iacentis
Litoraque et latos populos, sic vertice caeli
Constitit et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum talis iactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque
Aeternis regis inperiis, et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere, quibus, tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,

saxa, litus Cyclopum saxosum in Sicilia.| 213. *aena lócant*, ad aquam, qua laventur ante epulas, calefaciendam. — *ministrant*, suppeditant, subiiciunt ignem aenis.| 216 sq. cf. Hom. Od. 12, 308 sq. — *mensae remotae*, improprie, cf. vs. 214; intelliges dapum reliquias.| 217. *requirunt* desiderium declarat eorum, quibus aegre carent.| 219. *extr. pati*, perire. — *vocatos*, si vocentur.| 221. iunge *secum gemit*.

223—304. *Ad Iovem terras ac maria forte despicientem et in Libyam oculos conîicientem accedit Venus queriturque casus Aeneae filii, vana Iovis promissa, invidiam Iunonis. Consolatur eam Juppiter breviter complexus fata Aeneae eiusque posterorum. Quo facto Mercurius de caelo missus placata omnia praestat Troianis.*| 224. *iacentes* vocantur, quia Iuppiter eas ex alto prospicit, infra se positas et porrectas.| 225. *latós populós*, sic posita intendunt vim adiectivi, cf. 5, 376. G. 3, 219. A. 2, 251. infra vs. 569. 4, 345. — *sic* post participium, *despiciens*, interpositum more Graecorum, ut Plat. Phaed. c. 5: *Σωκράτης καθεζόμενος οὕτως ἤδη τὰ λοιπὰ διελέγετο*, quo fit, ut narrata non solum audire, sed oculis cernere videamur; cf. 7, 668. 8, 488 et v. 2, 391.| 227. *tales curas*, dum, quae acciderant in mari Libyco, videt et iniquam Aeneae condicionem contemplatur.| 228. v. E. 3, 106.| 233. *ob It.*, ne ad Ital. accedant, cf. vs. 31.| 234. *volv. annis*, v. G. 1, 163, dum alter post alterum circumvolvitur, *περιπλομένων ἐνιαυτῶν*· compares velim G. 2, 402 et infra vs. 269.|

Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
Pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens;
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit armaque fixit
Troia, nunc placida conpostus pace quiescit:
Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
Navibus, infandum! amissis, unius ob iram
Prodimur atque Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque deorum
Voltu, quo caelum tempestatesque serenat,

235. *Hinc*, v. E. 1, 54. — *rev. a s. T.*, e propagato genere T.; cf. 3, 107 sqq. 4, 230. | 236. *omni dic.*, summa potestate; est Homericum illud *ἶφι ἀνάσσειν.* | 237. *Pollicitus*, exspectes *Pollicitum:* adverte anacoluthon commotae orationi pulchre conveniens. — Quod novum consilium vertit te, mutavit animum tuum? | 238. *Hoc*, istis promissis. | 239. *Solari aliquid*, dolorem ex aliqua re natum lenire. — *fatis c. f. rep.*, fatis (sive *cum fatis*) vs. 238 indicatis compensans (*ἀντισηκοῦσα*) fata his contraria, meliora igitur futura. | 242. Antenor et ipse Troia profugus, litora maris Adriatici legens primum Illyricum, cuius pars a Liburnis habitabatur, tum Timavum, qui in sinum Tergestinum infunditur, praetervectus ad eam terram appulit, quae postea dicta est Venetia, v. vs. 248; de eodem itinere exponit Liv. 1, 1. — *med. el. Achivis*, ut Aeneas cum suis 3, 282 sq. „iuvat evasisse tot urbes Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostes." | 243. *intima*, ad intimum sinum maris Adriatici sita; Liv. 1, 1. de Antenore „venisse in intimum Adriatici maris sinum." | 245. *ora* hic sunt fontes. | 246. Timavus non tam fluvius, quam verum mare; tanta mole aquarum se prorumpit; quibus late diffusis (*pelago*) omnia circum operit. — Adiecit poeta versus 245 et 246 ipsius rei miraculo motus; similes egressiones habet Homerus, ut Il. 2, 547 sqq. 594 sqq. | 247. *Hic*, quo ille, superato Timavo, pervenerat. — *tamen* rem extenuat, fere i. q. *saltem*, cf. E. 10, 31. Ille saltem certam sedem invenit Pataviumque condidit: Aeneae, cui multo maiora atque ipsum caelum pollicitus es, ne pedem quidem in Italia ponere contingit. | 248. *genti n. d.* Servius „Hi autem primis temporibus dicti sunt Antenoridae." Liv, 1, 1 „in quem ... *Antenor sum suis* ... primo egressi sunt locum, Troia vocatur, pagoque Troiano inde nomen est; gens universa Veneti appellati," nomen ab Henetis Paphlagonibus, Antenoris comitibus, ut aiunt, ductum. — *a. fixit*, partā per pacem tranquillitate; figuntur, i. e. suspenduntur, arma bello finito; Eurip. Hec. 898. H. | 249. exoptatissimum hoc, mori in felicitate; *componi* dicebantur proprie, quorum cineres et ossa colligebantur et condebantur in sepulcro. | 251. *unius*, Iunonis | 252. *prod.*, per fraudes perdimur. | 253. *in sceptra*, in promissum Italiae regnum. | 254. *Olli*, *ollis*, antique pro *illi*, *illis*, in narratione gravi ac sedata

Oscula libavit natae, dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea, manent inmota tuorum
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
Moenia, sublimemque feres ad sidera caeli
Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit.
Hic tibi — fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo —
Bellum ingens geret Italia populósque ferocis
Contundet, moresque viris et moenia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, — Ilus erat, dum res stetit Ilia regno —
Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Inperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Moenia Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono;
Inperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.

ponitur in Aeneide, numquam in orationibus. | 256. *osc. lib.*, leviter tetigit, contigit suo ore summa eius labella. | 257. *metu*, v. E. 5, 29 et G. 2, 339. | 260. v. vs. 237. | 261. *tibi*, v. E. 8, 6. | 262. Videtur Iuppiter hic ita loqui, quasi quendam librum fatalem manu teneat ac non tantum priores paginas introspiciat, sed „longius volvens" medias quoque et postremas. Arripuit haec verba Virgilii Ovidius ac rhetorice, sed parum feliciter, exornavit Met. 15, 809—14. — *movebo*, ut Ovid. Met. 14, 20 „carmen ore move sacró." | 264. *mores*, iura, leges, constituet. | 266. *hiberna*, hibernorum tempora, hiemes. — *Rut. sub.*, tertius esse casus videtur: ex quo Rutuli subacti erunt; Demosth. in Mid. c. 24 „μαρτυροῦμεν ἤδη τῇ κρίσει ἐκείνῃ διαγεγονότα ἔτη ὀκτώ." | 268. *regno* (sextus casus), regio, quo ea res continebatur, imperio; hoc enim everso nulla erat amplius res Ilia. | 269. *m. orbes*, annos. — *volv. mensibus*, dum se circumvolvunt, circumagunt; 9, 7. Cic. Off. 3, 16 „De iure praediorum sanctum apud nos est iure civili, ut iis vendendis vitia dicerentur," i. e. cum ea venderentur. | 270. *Lavini*, v. E. 1, 33 et supra vs. 5. | 271. „longam Albam," at 6, 766 „Longa Alba," quo discrimine? | 272. *iam*, v. 8, 42. | 273. *Hectorea*, improprie, Troiana, ut 5, 190. — *regina*, i. e. regio sanguine orta; Rhea Silvia, virgo Vestalis, Ilia ob originem Troianam dicta. | 274. *M. gravis*, e M. gravida. | 275. gerens cassidem ex pelle lupina factam. | 276. Numitor et Amulius cum filios non reliquissent, propagavit post eos gentem Romulus. | 280. *terras caelumq.*, i. e. omnia; *fatigare*, affatim agitare, turbare; cf. 11, 400 sq. | 281.

Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Inperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim caelo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent saecula bellis;
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Iura dabunt; dirae ferro et conpagibus artis
Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.
    Haec ait, et Maia genitum demittit ab alto,
Ut terrae, utque novae pateant Karthaginis arces
Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum
Remigio alarum, ac Libyae citus adstitit oris.
Et iam iussa facit, ponuntque ferocia Poeni
Corda volente deo; in primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.

11, 425 sq. | 284 sq. Assaracus proavus Aeneae; Phthia oppidum Thessaliae, patria Achillis; Mycenis Agamemnon, Argis Diomedes regnabat; utraque urbs Peloponnesi. | 286. Caesar, i. e. Augustus. | 287. cf. vs. 379. | 288. *demissum*, quod ab Iulo, qui gentis Iuliae auctor habebatur, ad eum devenit. | 289. *sp. O. on.*, spectant haec ad bellum Antonianum; cf. 8, 678—688. | 290. *secura*, nullo intercedente, placata scilicet Iunone; et cf. G. 1, 42, ubi etiam, quid sit *votis*, exposuimus. — *hic quoque*, ut Aeneas, vs. 259 sq. | 291 sqq. Romani dii Romanaeque leges universum terrarum orbem component pacabuntque. | 292. *Fides cana*, prisca, qualis a maioribus colebatur; Vesta cum Penatibus in Italiam advecta ab Aenea, quaedam quasi praeses religionum. Servius „Vesta Religio, quia nullum sacrificium sine igne est, unde et ipsa et Ianus in omnibus sacrificiis invocantur.“ — Remum et Romulum, ex bellatoribus pacificatores factos et tamquam propositi compotes, fraterno animo conspirare in regenda re Romana significat poeta sine dubio certos quosdam auctores secutus, qui Remum non a Romulo, sed ab alio homine (Celerem appellat Servius ad 11, 603 et Ovid. Fast. 4, 835 sqq.) occisum rettulerunt. | 297. cf. 8, 138 sq. — Dido metuens, ne Pygmalion cum infesta classe veniret, litus (vs. 564) praesidiis tuebatur; nec vanum fuisse hunc metum eo ostenditur, quod aliquanto post Anna, soror Didonis, eundem Pygmalionem fugiens Meliten insulam reliquit, Ovid. F. 3, 559—80. Itaque verendum erat, ne Troiani pro hostibus haberentur ac vi arcerentur ab litore. Huic periculo occurri non poterat, nisi dei alicuius interventu. Sic factum est, ut, qui custodiebant litus, etsi primo arma minitabantur, tamen lectos ex singulis navibus oratores ad reginam ire paterentur. | 299. *ne fati nescia ... arceret.* Non hoc dicit poeta „ne nescia esset fati (neque enim tum attinebat Didonem id scire) et arceret Aeneam,“ sed hoc „ne Dido, cum nescia sit fati, arc. Aen.“ Iuppiter Aeneae res conquassatas volebat restitui, ut, quo fatum eum vocabat, salvus veniret in Italiam. | 301. *Rem. alarum*, ut 6, 19. *πτεροῖς ἐρέσσει* Eurip.

At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne feraene,
Quaerere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum sub rupe cavata
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens et virginis arma,
Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.
Ac prior, Heus, inquit, iuvenes, monstrate, mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O — quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, dea certe;
An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quaecumque, laborem,
Et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas; ignari hominumque locorumque

305—417. *Postero die Aeneae exploranti regionem, in quam egressus erat, obviam se praebet Venus in speciem venatricis ornata, docet eum, quae tum maxime eius intererat scire, iubetque bono animo esse et ad reginam Didonem pergere. Sero mater ab Aenea agnita abit Paphum, Aeneam autem eiusque comites nebula circumfundit, quo ne conspici possint a quoquam.* | 309. *exacta*, certa. | 310. planius: sub convexa rupe silvis consita. | 311. *horr. u.*, v. vs. 165. | 313. *crisp. hast.*, gerens hastilia ab incessu ipsius nutantia. — *bina*, ex more heroum Homericorum, et cf. 12, 165. 488. | 316 sq. Harpalyce, filia Harpalyci regis Amymnaeorum, populi Thracii. Hanc ne equites quidem insequentes assequi potuerunt, ut refert Servius. — Praesentia *fatigat* et *praevertitur* significant rem ex fabulis aut ex artis operibus notam, ut ap. Sil. 2, 73 sq. „Quales Threiciae Rhodopen .. lustrant .. cursuque fatigant Hebrum.“ adde Tib. 2, 4, 55. — *Hebrum*, v. E. 10, 65. Silius 3, 307 „cui cesserit incitus amnis: Tanta fuga est.“ | 318. *habilem*, qui facile haberi, i. e. geri, potest, ut 9, 305, proptereaque aptum virgini. | 320. *Nuda g.*, Ovid. Met. 10, 536 „Nuda genu, *vestem ritu succincta Dianae.*“ — *nodo*, v. 11, 776. Ceterum v. E. 3, 106. | 323. *Succingi* h. l. significat instrui aliqua re ita, ut ea cinctus ope adiungatur. Ceterum v. G. 4, 342. | 324. cf. G. 3, 413. | 327. Similis orationis forma apud Demosth. „*Εἶτ' ὦ — τί ἂν εἰπών σέ τις ὀρθῶς προςείποι;*“ | 330. v. E. 5, 65. | 332. v. G. 1, 295. |

Erramus, vento huc vastis et fluctibus acti:
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Inperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est iniuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum, et magno miserae dilectus amore,
Cui pater intactam dederat, primisque iugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnis.
Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum
Impius ante aras atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanae; factumque diu celavit, et aegram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris;
Crudelis aras traiectaque pectora ferro
Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteris tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.

333. Alii *et vastis.* | 334. v. G. 3, 562. | 335. *honore*, cf. vs. 49. | 337. cothurno venantes utebantur; cf. E. 7, 32. | 338. *Agenor*, rex Phoenices, cuius a progenie condita Carthago. | 339. Haec Tyrii tenent, mansueti homines, sed finitimi iis sunt feroces Afri; 4, 40 „Gaetulae urbes, genus insuperabile bello.“ | 340. *Imper. regit*, sic solent Nomina cum Verbis cognatae significationis iungi, ut *sinuare volumina* G. 3, 192. *partitionem distribuere*, *dividere partitiones* ap. Cic. Partit. or. c. 32 et 40; v. G. 1, 25. | 341 sq. longum est, referre iniuriam ab illo factam, rem exponam summatim. | 345 *pater*, Belus. | 346. *Ominibus*, quia apud Romanos nuptiae fiebant captis auguriis. | 349. *aras*, cf. 4, 21. | 350. *sec. am.*, nihil curans amorem, quo soror ipsius illum amplectebatur. | 352. Fingens nescio quam fabulam profectum aliquo simulabat Sychaeum spemque faciebat rediturum. | 355. *Crud. a.*, scelus crudele ad aras in se commissum *monstravit*. Proprie dictum *pectora nudavit*, translate *aras nud.* | 356. *caecum*, passive dictum, quod nequit videri, occultum; cf. 3, 706. | 358. v. G. 4, 88. | 361. *od. crudele*, tale, quale proficiscitur ab ira recenti et quasi cruda, ergo asperrimum. | 364. *P. opes*, scilicet quas ille animo et spe praeceperat, cf. vs.

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis
Moenia surgentemque novae Karthaginis arcem,
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suspirans imoque trahens a pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam
Et vacet annalis nostrorum audire laborum,
Ante diem clauso conponet Vesper Olympo.
Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penatis
Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus;
Vix septem convulsae undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud, credo, invisus caelestibus auras
Vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio et in tutum versis aquilonibus actam,
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos laetantis agmine cycnos,

359. Iustin. 18, 4.| 367. *Byrsam*, quia Graecum βύρσα detractam pellem significat; et Byrsa appellabatur arx Carthaginis.| 370. *talibus*, his verbis, s. ita, respondet; ut vs. 559 „Talibus Ilioneus“ locutus est.| 374. *conponet* (alii *componat*) quasi fessum quieti tradet; nam componere se, membra sua, dicuntur in lectulo cubantes, v. G. 4, 189. — *Olympo*, porta caeli occidentali.| 376. *dix.* v. 3, 4.| 378. cf. Hom. Od. 9, 19 sq. — *raptos*, cum festinatione et periculo ablatos ex mediis hostibus omnia iam tenentibus, cf. 2, 293. 717.| 380. Italiam sedem proavorum meorum ab ipso Iove genus ducentium; cf. 3, 167 sqq. 7, 205 sqq. 240 sqq.| 382. *data f.*, i. e. ea, quae ex decreto aliquo fati constituta sunt a diis, Iove maxime; quare ita loquitur Iuppiter apud Val. Fl. 1, 534 „cum fata darem.“ — Ceterum cf. 2, 771 sqq. 3, 94 sqq. 154 sqq.| 385. *querentem Passa*, ut 7, 421 „tot incassum *fusos patiere* labores?“ 10, 426 „At non perterrita Lausus ... *sinit* agmina.“| 387. cf. Hom. Odys. 8, 27 sq.| 388. *Tyriam ... urbem*, quippe ipsam diis caram.| 392. *vani*, decepti decipientesque.| 393 sqq. Duodecim cycnos (totidem numero, quot erant naves dispulsae) procul a litore sublimes supra mare volantes aquila caelo nacta aperto (libero et ad persequendum patenti) turbato agmine dissipabat (ut naves procella disiecerat); hi nunc ex fuga collecti longo ordine (ut naves unius classis, cum intrat portum) conspiciuntur partim terras capere ... quod faciunt, qui in primo ordine volant ... partim captas ab illis iam despectare ex aere, quod faciunt extremi.

Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat caelo, nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur:
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et coetu cinxere polum cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit, et avertens rosea cervice refulsit
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere, pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. Ille ubi matrem
Adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientis aere saepsit,
Et multo nebulae circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit
Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
Ture calent arae sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
Miratur portas strepitumque et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii; pars ducere muros,
Molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
Pars optare locum tecto et concludere sulco;

Ut cycni illi reduces ac liberati periculo nunc gestiunt et ut iidem ante istam dissipationem congregati (*coetu*) et in orbem compositi (*cinxere*) in alto cecinere, sic, cum laetitia cantuque (v. vs. 35) classis tua aut rediit iam aut redit. Probe distinguenda sunt tempora verborum, Praesens *ludunt* et Perfecta *cinxere, dedere.*| 402. *avertens*, v. G. 1, 163.| 403. *Ambr.*, ambrosia, ut unguento deorum, delibutae. — *vertice spiravere*, i. e. a vertice, ut 10, 544 „*veniens* Marsorum *montibus* Umbro.“| 404. alte cincta ante Venus fuerat; palla vestis dearum; cf. vs. 320 et v. 5, 619.| 405. v. E. 2, 53. — *incessu*, cf. Hom. Il. 5, 778.| 409. *veras*, ut tecum ita, ut filius cum matre, non ut alienus cum aliena colloquar.| 411 sqq. cf. Hom. Od. 7, 14 sqq.| 416. v. G. 1, 57. 3, 18.

418—493. *Aeneas progreditur ad urbem, miratur, quae ibi vel facta sunt vel fiunt, opera, atque contemplatur pugnas ad Troiam commissas artis ope in templo effictas; quae res omnem, quo angebatur, metum eximit ex eius animo.*| 418. *Corrip. v.*, celeriter, *raptim*, fecerunt iter.| 420. v. G. 2, 535.| 421. *molem* substructionum, Cic. pro Mil. 31.| 425. *optare*, sibi eligere, ut 3, 109. — *sulco*, fossa, qua fundamenta ponantur. „Civitas enim, non domus,

**Iura magistratusque legunt sanctumque senatum;
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri
Fundamenta locant alii, inmanisque columnas
Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt fetus, aut cum liquentia mella
Stipant et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent;
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam moenia surgunt!
Aeneas ait et fastigia suspicit urbis.
Infert se saeptus nebula — mirabile dictu —
Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
Quo primum iactati undis et turbine Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu per saecula gentem.
Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae,
Aerea cui gradibus surgebant limina nixaeque
Aere trabes, foribus cardo stridebat aenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem

circumdatur sulco," ait Servius. | 426. Hic versus, qui videtur ab aliena manu interpositus, repugnat versui 507. — *Iura m. leg.*, zeugma, nam verbum *legunt* soli vocabulo *magistratus* convenit; iura, leges, non leguntur, sed constituuntur; cf. A. 2, 259. 780. 7, 444. 754. 10, 72. 12, 930 sq. | 427. *portus*, proprie, duos enim habebat Carthago sita in peninsula. — Theatrum eo quidem tempore fuit nullum; poetae obversabatur in ea re urbis Romanae magnificentia, qualis fuit aevo Augusteo. | 430. *nova*, v. E. 8, 29. | 431. cf. G. 4, 162 sqq. | 434. *agm. f.*, v. vs. 82. | 438. *f. s. u.*, puta, cum iam descendisset ex colle adverso in eoque esset, ut urbem ipsam intraret. | 441. *laetus* ubi copiam quandam et affluentiam significat, adiungit sibi Genetivum. | 442. *primum signum*, dum primum incipiunt (aedificandi causa) fodere, inventum, cf. 7, 528. | 443. *signum*, omen. | 444. *Sic nam*, per hoc signum, monstrabat s. portendebat. Iustinus 18, 5 de eodem portento: „Ibi quoque equi caput repertum, *bellicosum potentemque* populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit." | 445. *facilem victu*, cui facile sit sibi parare, quidquid ad commode vivendum optabile est. | 447. *numine*, per numen ad ferendam opem scilicet praesentissimum, *donis*, per dona propterea oblata. Sed pro *Condebat* fortasse malis scriptum *Condiderat;* et tum iam exaedificatum fuisse id templum persuadent ea, quae praeterea de eo commemorat poeta. Nempe posuit *condebat* respiciens ad praegressa. Ad ea relatum *condiderat* significaret conditum esse hoc templum ante effossum caput equi; *condebat* significat propter effossum Didonem cepisse consilium eius condendi: ergo ista res effecit, ut ibi conderet templum. | 448. v. G. 4, 541. — Surgebant aerea limina aereaeque trabes, nixae aereis columnis; putabimus autem et has columnas et has tecto suppositas trabes e ligno factas atque aere obductas fuisse, ut Romae olim in Pantheo. — Alii *nexae*. | 450. *Hoc*, in quo conditum erat illud

Leniit, hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus et adflictis melius confidere rebus.
Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et saevum ambobus Achillen.
Constitit, et lacrimans, Quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.
Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus;
Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Adgnoscit lacrimans, primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus,
Ardentisque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer atque inpar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.

templum; multis enim templis luci erant circumiecti. — *timor.*, cf. vs. 463.| 454. *Reg. opp.*, quam videlicet forte audierat venturam. — *fortuna*, pertinet haec ad opulentiam, quae ex magnificentia eius templi apparet.| 455. Opera cum vulgo dicantur, quae statuariorum et caelatorum labore effecta sunt, manus artificum picturas hic dici cum Servio putabimus. — *inter se*, dum modo has, modo illa contemplatur.| 456 sqq. Quare haec in templo Iunonis? cf. vs. 24.| 458. *ambobus*, Atridis et Priamo, ut ap. Hom. Od. 4, 339 *ἀμφοτέροις*, i. e. *ἐλάφῳ καὶ νεβροῖς*.| 462. *lacr. rerum*, cf. 2, 784 et Eurip. Hec. 743 „*ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ', οὗ καταστάζω δάκρυ*;" i. e. ob quem fleo; A. 2, 413 „gemitu atque ereptae virginis ira," i. e. dolore et ira ob ereptam virginem. — *rerum*, puta: dignarum, quae defleantur.| 464. *inani*, quippe non ipsas res, sed tantum imaginem rerum repraesentante.| 469. cf. Hom. Il. 10, 434 sqq. — *niv. tent. velis*: talia tentoria nondum fuerunt ista aetate. Graeci ad Troiam degebant sub casis, qualem descripsit Hom. Il. 24, 448 sqq.| 470. *primo somno*, non prima parte noctis, qua somnus sane est altissimus (cui explicationi adversatur Homerus Il. 10, 251—253); sed prima nocte, postquam ad Troiam venit et priusquam equi eius „pabula gustassent Troiae" *cet.* His conveniunt, quae loquitur Minerva ap. Eurip. Rhes. 600 „ὃς (Rhesus) *εἰ διοίσει νύκτα τήνδ' ἐς αὔριον*" *κ. τ. λ.*| 471. v. G. 4, 16.| 473. nam si gustassent, fatale erat Troiam expugnari a Graecis non posse.| 474. *Troilus*, Priami fil. — *armis*,

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis peplumque ferebant,
Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis;
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis,
Eoasque acies et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in milibus ardet,
Aurea subnectens exsertae cingula mammae,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,
Regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
Incessit magna iuvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnis;
Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,
Saepta armis solioque alte subnixa resedit.
Iura dabat legesque viris, operumque laborem

clipeo, nam hastam tenebat, cf. vs. 478.| 479—482. Sumta haec sunt ex Hom. Il. 6, 269—312. — *aequae*, v. 6, 129. — peplus inprimis usitatus inter munera Minervae oblata.| 481. *Suppliciter tristes*, i. e. supplicantum modo tristes; Sil. 6, 572 „Sollicite laeti.“ — *tunsae*, v. G. 1, 206.| 483—487. cf. Hom. Il. 24, 478 sqq. — *raptavit* spirantem adhuc, corpus mortui vendidit, v. 2, 273.| 489. *Eoas*, quia Memnon, Tithoni filius et Aurorae, Aethiops erat. — *arma*, fabrefacta illa a Vulcano, 8, 384.| 490. Amazones Priamo auxilio venisse referunt, qui post Homerum fuerunt, poetae.| 492. Dextra Amazonum mamma erat nudata.

494—578. *Ad idem templum venit Dido, veniunt etiam duces navium Troianarum in aliam partem litoris eiectarum, questique iniuriam a custodibus litoris sibi factam propitio responso Didonis placantur.*| 494. *Dardanio*, cuius quidem animum necesse esset his rebus in aliena terra nobilitatis penitus commoveri; cf. 7, 663. — *Aeneae ... vid.*, ab Aenea videntur.| 496. v. 2, 270.| 498. *Eurotas* fluvius Laconices. — *Cynthi*, v. G. 3, 36.| 505. sub tecto templi testudinato resedit. *foribus d.*, i. e. in aditu cellae, in qua simulacrum erat Iunonis. — Ceterum Virgilius heroicae aetati attribuit multa, quae post inventa sunt, ut h. l. artem concamerandi et morem Romanorum in templis senatum habentium, ad fores templorum tribunalia ponentium.| 507. *Iura d. l. v.* Iura continentur legibus. Romulus ap. Liv. 1, 8 „vocata ad consilium multitudine, quae coalescere in populi

Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat:
Cum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
Dispulerat penitusque alias avexerat oras.
Obstipuit simul ipse, simul percussus Achates
Laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
Ardebant; sed res animos incognita turbat.
Dissimulant, et nube cava speculantur amicti,
Quae fortuna viris, classem quo litore linquant,
Quid veniant cuncti; nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
    Postquam introgressi et coram data copia fandi,
Maxumus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem
Iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignis,
Parce pio generi, et propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penatis
Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas;
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Hic cursus fuit:
Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenae;
Bella cient, primaque vetant consistere terra.

unius corpus nulla re, praeterquam legibus, poterat, iura dedit.“ | 508. *sorte trah. laborem*, sorte ducta suum cuique assignabat laborem. | 515. *res inc.*, causa ignota et illorum adventus, et Poenorum concursus. | 516. *Dissimulant*, dissimulatione utuntur, v. G. 1, 163. dissimulant autem illi praesentiam suam. — *cava*, v. 2, 360. | 518. *cuncti*, in unam videlicet legationem coniuncti; legatorum enim modo venire eos videbant, non exploratorum, qui alii alio discedunt, ut 7, 150. | 519. *veniam*, propitiam voluntatem, cf. 4, 435. | 521. *Maxumus* et aetate et dignitate, ut princeps legationis. | 523. *sup.*, cf. vs. 539—41. | 524. *maria vecti*, ut vs. 67 et apud Cic. de Fin. 2, 34 „Xerxes cum *maria ambulavisset terramque navigasset*.“ | 527. *populare* hic idem, quod *vastare* vs. 471. Liv. 3, 6 „urbs Romana morbo populatur.“ | 533. *gentem*, terram. Hom. Od. 17, 526 „Θεσπρωτῶν ἐν πίονι δήμῳ.“ | 534. Alii *Huc c. f.*, v. 6, 18. | 535. proprie *mare* dicitur fluctu assurgere; id hoc loco Orioni tribuitur, quo oriente procellae mare turbare solent; et cf. 7, 719. | 536. v. vs. 356. | 540 sq. v. vs.

Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris,
Non metus, officio ne te certasse priorem
Paeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes
Arvaque Troianoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem
Et silvis aptare trabes et stringere remos,
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus,
Sin absumpta salus, et te, pater optume Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec spes iam restat Iuli,
At freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura et regni novitas me talia cogunt
Moliri et late finis custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtunsa adeo gestamus pectora Poeni,

297.| 543. *sperate*, lenius verbum pro graviore *metuite;* similiter *sperare dolorem* 4, 419. adde 11, 275.| 544. *iustior pietate:* veteres pietatem in parte iustitiae ponebant; Cic. de N. D. 1, 41 „est enim pietas iustitia adversum deos." Servius „pietas pars iustitiae est." Alii non post *fuit* interpungunt, sed post *alter*, ut e subiectis revocetur particula *nec:* quo *nec* iustior alter. Eurip. Troad. 481 „*οὓς Τρῳὰς, οὔθ᾽ Ἑλληνὶς, οὐδὲ βάρβαρος γυνὴ τεκοῦσα κομπάσειεν ἄν ποτε,*" i. e. *οὓς οὔτε Τρῳάς*. Infra 6, 692 „Quas ego te (*per*) terras, et quanta *per* aequora vectum Accipio." adde 2, 654. 5, 512. 6, 416. 8, 143. 7, 296; tum 11, 174 „(*si*) Esset par aetas (Pallanti) et idem *si* robur ab annis."| 546. *vesc. aura aeth.*, luce caelesti, cf. 10, 898. Stat. Theb. 1, 237 de Oedipo caeco: „nec iam amplius aethere nostro vescitur." Vocabulum *aura* apud Virgilium significat interdum radios quosdam a re lucente vel splendente (*auri aura* 6, 204) exeuntes sensumque videndi ferientes.| 547. *occ. umbris*, vi Orcina oppressus est; *umbris* Dativus, ut 2, 62 *occumbere morti*. — *crudelibus*, Horat. Od. 2, 3, 24 „Victima *nil miserantis* Orci."| 548. Alii *nec te*.| 550. *urbes*, cognatas puta Troianis et amicas, id quod proximo versu indicatur; atque est ea res historiae monumentis testata. — De *Aceste* cf. 5, 38.| 551. v. 3, 71.| 552. *s. apt. tr.*, caesas in silvis arbores ad usum navium accommodare. — *string. r.*, cf. 4, 399. Hom. Od. 6, 269 „*ἀποξύνουσιν ἐρετμά.*"| 559. v. vs. 370. — Homer. „*Ἔνθ᾽ ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοί.*"| 561. *volt. demissa*, Donatus „non solum propter femineam verecundiam, verum etiam propter obiecta vs. 539—41."| 563. *Res dura*, v. vs. 297.| 567. *obt. adeo*, ut nihil curemus talia.| 568. non tam longe a cursu solis remoti, nec ad boreales partes

Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis finis regemque optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
Voltis et his mecum pariter considere regnis:
Urbem quam statuo, vestra est; subducite navis;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem
Adforet Aeneas! Equidem per litora certos
Dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis et fortis Achates
Et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aenean compellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
Scindit se nubes et in aethera purgat apertum.
Restitit Aeneas claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis; namque ipsa decoram
Caesariem nato genetrix lumenque iuventae
Purpureum et laetos oculis adflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente
Inprovisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum,
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Troiae miserata labores,

reiecti sumus, quo nulla harum rerum notitia perveniat. | 569. v. vs. 225 et G. 2, 173. | 570. *Eryx* mons Siciliae. | 572. v. G. 2, 519. — *pariter*, pari cum Poenis iure. | 573. ut Terent. Eunuch. 4, 3, 11 „*Eunuchum* quem dedisti nobis, quas turbas dedit!“ | 575. Notus et Eurus apud poetas saepe omnino aliquem vehementiorem ventum indicant. | 576. *certos*, delectos, qui id cum cura fideque facere possint. | 578. *Si*, v. E. 6, 57.

579—656. *Aeneas rupta, qua circumdatus erat, nube in conspectum prodit, gratias agit Didoni salutatque receptos socios. Dido benigno sermone excipit Aeneam, sociis eius, qui ad naves remanserant, mittit munera, instruit epulas in regiis aedibus; Aeneas autem Ascanium adduci et insignia dona Didoni ex navibus afferri iubet.* | 584. cf. vs. 113 sqq. | 587. *purgat se*, solvitur, ut aer purus reddatur. | 589. Valer. Fl. 2, 490 sqq. de Hercule: „neque enim tam lata videbam Pectora, Neptunus muros cum iungeret astris, Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.“ — afflando decoram reddidit caesariem. | 591. *honores*, gratiam, pulchritudinem. | 592 sq. Pulchritudo Aeneae aucta est, decore singulis partibus a Venere circumfuso, sicuti ebori aut argento aut marmori decus additur, cum manu artificis auro affabre ornatur; et cf. Hom. Od. 6, 229 sqq. — *aut ubi*, aut quale est decus, ubi *cet.* | 593. *Parius l.*, v. G. 3,

Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo, socias, grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
Quae me cumque vocant terrae. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, laevaque Serestum,
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
    Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis inmanibus adplicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum et victor dicione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat; simul Aenean in regia ducit
Tecta, simul divom templis indicit honorem.

34. | 598. cf. vs. 30. | 600. cf. 573 sq. | 601. *nec quidquid*, nec est opis Dardanorum, quiqui sunt. | 602. *sp. p. orb.*, cf. vs. 242 sqq. 549 sq. 3, 190. 295 sqq. | 603. *si quid*, si quo est in honore iustitia et conscientia recti. | 604. alii *iustitiae*. | 607. dum in montibus umbrae cum solis flexu obibunt convexa; puta ipsos montes convexos. | 608. *polus d. s. p.*, dum sidera in polo pascentur, i. e. humoribus e terra ac mari surgentibus alentur, quae fuit veterum opinio. | 609. *manebunt*, nulla oblivione obterentur in iis terris, quae me cumque vocant. | 616. *inmanibus*, quarum immanes ferique incolae. | 617. v. E. 2, 24. | 619. Teucer, Aiacis maioris frater, cum a Troia Salaminem reverteretur, a patre Telamone non admissus novas sedes novumque regnum sibi quaerebat. Beli beneficio Cyprum obtinuit. | 624. Pelasgi antiquissimi incolae Graeciae; hinc veteres Graeci a poetis interdum hoc nomine appellantur. | 632. *t. ind. hon.*, supplicationem decernit propter feli-

Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos,
Munera laetitiamque dii.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis:
Arte laboratae vestes ostroque superbo,
Ingens argentum mensis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
Aeneas — neque enim patrius consistere mentem
Passus amor — rapidum ad navis praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec, ipsumque ad moenia ducat;
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum;
Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxuma natarum Priami, colloque monile
Bacatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Haec celerans iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus inplicet ignem;
Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis,
Urit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.

cem Aeneae hospitis adventum. | 636. *laet. dii*, i. e. diei. Cum ea, quae vs. 634—35 commemorantur, ad usum multorum dierum sufficiant, Servius ait versu 636 alia munera significari, quae ad hunc potissimum diem hilariter exigendum comparata fuerint. — Alii *dei*. | 639 sqq. In narrandi describendique brevitate saepe Substantiva sola sine Verbis ponuntur; cf. 3, 216 sqq. 392. 4, 201 sq. 5, 822 sqq. 7, 732. 8, 678 sqq. 11, 633. G. 2, 473. — *vestes*, v. G. 2, 464. | 640. *Ingens* ad multitudinem vasorum argenteorum referes. | 644. *praemittit*, mittit, ut ante illas, quas Dido parabat, epulas et nuntiet (*ferat*) haec Ascanio et adducat ipsum cum muneribus, cf. 6, 34. | 648. *signis auroque*, signis aureis intextis; v. G. 1, 173. | 654. *collo* Dativus. | 656. *duplicem*, quippe ex auro factam et gemmis distinctam.

657—696. *Venus perfidiam Poenorum timens pro Ascanio substituit Cupidinem, qui Didonis animum amore Aeneae incendat.* | 658. v. E. 3, 106. | 659. *furentem*, ut furat amore; 4, 22 „animumque *labantem* Inpulit,“ i. e. impulit, ut iam labet; 2, 429 „nec te tua plurima, Panthu, *Labentem* pietas ... texit,“ i. e. quin caderes. — Ceterum cf. vs. 714. | 660. Cic. de Divinat. 1, 36 „Dii vim suam naturis hominum *implicant*,“ i. e. penitus immittunt. — *ossib.*, v. G. 3, 272. | 661. *dom. ambig.*, quippe scelere Pygmalionis adductam in perfidiae suspicionem. | 662. *Urit atr. I.*, cruciat Venerem Iunonis animus

Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoia temnis,
Ad te confugio et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur odiis Iunonis iniquae,
Nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore.
Hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Iunonia vertant
Hospitia; haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxuma cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae;
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera
Aut super Idalium sacrata sede recondam,
Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue voltus,
Ut, cum te gremio accipiet laetissima Dido
Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans conplectitur umbra.
Iamque ibat dicto parens et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.

infestus Aeneae. — *sub n.:* nocte ingruente curae solent recrudescere, cf. 4, 531. Ovid. Met. 8, 81. | 664. *solus* nominandi casu, ut Ovid. Her. 14, 73 „Surge, age, Belide, de tot modo fratribus unus," cf. etiam 6, 836; omnino Vacativorum *une* et *sole* rarissima sunt exempla, Vocativorum *nulle* et *tote* et *ulle*, ut videtur, nulla. | 665. *Typhoia*, quibus Typhoeum prostravit, fulmina. | 668. v. G. 4, 453. | 669. *Nota*, Graeco more, pro *Notum est.* | 671. *Iunonia h.*, hospitium in urbe Iunoni sacra. | 672. *cessabit*, Iuno, quod repetendum ex praegresso *Iunonia*, ut *πατὴρ* ex *πατρῴα* apud Eurip. Hec. 23. — *cardo* translate dicitur in omni re id, in quo maximum momentum positum est. | 673. *flamma*, cf. vs. 660. | 674. *ne q. s. n. mut.*, ne machinatione dei alicuius, Iunonis, mutetur animus eius. | 679. v. G. 4, 88. | 680. *super* ad supposita spectans locum motumve definit accuratius, quam *in* et *ad*, cf. vs. 700. 6, 203. 515. 7, 557. Ovid. Met. 15, 875. | 684. *Falle faciem*, mentire, simula; *μορφὴν δολώσας* Soph. Phil. 129. | 688. *fall. veneno*, venenum instilles non sentienti.

Cum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea conposuit sponda mediamque locavit,
Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
Cura penum struere et flammis adolere Penatis;
Centum aliae totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum
Flagrantisque dei voltus simulataque verba,
Pallamque et pictum croceo velamen acantho.
Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa, et pariter puero donisque movetur.
Ille ubi conplexu Aeneae colloque pependit
Et magnum falsi inplevit genitoris amorem,
Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret et interdum gremio fovet, inscia Dido,
Insidat quantus miserae deus. At memor ille

697—756. *Initur convivium a Didone apparatum; inter sermones convivales Dido petit ab Aenea, ut excidium Troiae suosque errores exponat.*| 697. ***aulaeis***, puta loco in modum tentorii aulaeis intento.| 698. ***Aurĕā*** sextus casus per synaeresim bisyllabus, cf. 7, 190. 5, 352. 6, 280. 7, 609. — *conposuit*, v. G. 4, 189. — *mediam:* Sallust. ap. Donat. Sertorii convivium sic describit, ut hic, quia dominus fuit, in medio se collocarit. Adde Sall. Iug. 11.| 701 sq. v. G. 4, 376 sq. — *manibus* tertius casus sive ex *dant* suspensus, sive cum *lymphas* coniungendus. — *que* ... *que*, i. q. alii ... alii; cf. E. 1, 65 sqq. A. 10. 130 sq. 6, 16. 11, 76. 77. 206. 606. 2, 442 sq. Sophocl. Ai. 299. Br. „ἔσφαζε κἀρράχιζε,“ i. e. pecudes alias mactabat, aliarum spinam secabat; et v. 6, 567.| 701 sq. *C. c. exped.*, promunt panem ex canistris distribuuntque convivis.| 703 sq. Ipsum convivium erat in atrio; v. vs. 726; *intus* autem, in parte aedium interiore, erant famulae, quae *longam penum*, longam seriem dapum, struerent s. in singulos missus componerent (unde structores, i. e. ferculorum compositores, appellati) *ordine*, certa quadam ratione et ut fieri debet aut solet; eaedem *flammis adolent Penates*, i. e. tus in focis accendunt ad habendum Penatibus honorem; G. 4, 379. E. 8, 65. Iam cf. Sil. Ital. 11, 276 sqq. „non una ministri Turba gregis: posuisse dapes his addita cura, His adolere focos, his ordine pocula ferre; Nec non et certis struitur penus.“ Ceterum alii legunt vs. 703 *ordine longo*, et vs. 706 *onerant* et *ponunt*.| 705. Tac. Ann. 15, 69 „Vestinus decora servitia et pari aetate habebat.“| 708. *iussi*, *κελευόμενοι*, v. G. 1, 206; convenere et iubentur discumbere.| 709. Verus verborum ordo erat: *Mirantur dona Aeneae, pallam* etc.; sed turbata rerum compositio significat Tyrios modo haec modo illum miratos esse.| 710. *Flagr. d. volt.*, genas oculosque fulgentes.| 712. *pesti*, amori exitiali.| 713. *mentem*, Accusativus remotioris obiecti; *crematur virgo ornatum* 7, 74; v. etiam E. 3, 106.| 714. Alii *puero pariter donisque*.| 716. *inplevit*, satiavit.| 718. *Haeret* in puero.| 719. Alii *Insideat*.|

Matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum
Incipit, et vivo temptat praevertere amore
Iam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae,
Crateras magnos statuunt et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Inplevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti; tum facta silentia tectis:
Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno;
Et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus attigit ore;
Tum Bitiae dedit increpitans; ille inpiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro;
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quem maxumus Atlas.
Hic canit errantem lunam solisque labores;
Unde hominum genus et pecudes; unde imber et ignes;
Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.

720. *Acidalia* Venus, cui sacer est fons Acidalius, qui est ad Orchomenum in Boeotia. — *Sych.*, Sychaei memoriam.| 721. *praevertere*, tentat amore Aeneae Didonem ante incendere, quam prioris mariti memoria refricetur. *Vivus* autem amor veteri illi et intermortuo opponitur.| 723. v. G. 3, 130 et G. 2, 101.| 724. v. G. 2, 528.| 726. in atrio coenabant Romani antiquissimo tempore.| 729 sq. *omnes a Belo*, i. e. reges ex stirpe antiqui illius Beli, a quo reges Tyriorum genus suum ducebant.| 731. *hosp. dare iura*, i. e., ut ita dicam, datorem esse iuris hospitalis, s. constituisse iura hospitum; v. E. 8, 45.| 733. *minores*, posteros.| 734. *bona*, propitia; v. E. 5, 61.| 735. *coetum*, convivium.| 737. *libato*, postquam libatum est, s. postquam libavit; ut apud Caes. B. G. 7, 52 „*Exposito*, quid posset.“ Liv. 34, 31 „Ibi *permisso*, seu dicere prius, seu audire mallet, ita coepit tyrannus.“ — Finitis epulis sollemne erat libare, cf. 8, 279. — *s. t. a. ore*, primoribus labris. Servius „Et verecundiam reginae ostendit et morem Romanum. Nam apud maiores nostros feminae non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus.“| 738. *increpitans*, inclamans Bitiam et, ut biberet, adhortans.| 740. *crinitus:* ut Apollo, ita citharoedi comam alebant.| 741. Atlas astrologiae et rerum physicarum peritus habebatur. — Alii *quae*, cf. 5, 705.| 742. v. G. 2, 478—82. — *errantem:* quo errore scilicet fit, ut orbis eius modo totus, modo ex parte vel illuminetur vel obscuretur.| 743. *ignes* caelestes, fulmina.| 746. quae mora obstet noctibus (aestivis) easque tardas (ut tarde veniant) efficiat.| 747. *Ingem. plausu*, ut 9, 811 „*ingeminant hastis*,“ i. e. alias

Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;
Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis,
Nunc, quales Diomedis equi, nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum
Erroresque tuos; nam te iam septuma portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

AENEIDOS
LIBER SECUNDUS.

(Rogatu Didonis narrat Aeneas excidium Troiae dolo Graecorum captae.)

Conticuere omnes intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, iubes renovare dolorem,
Troianas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrimis! et iam nox humida caelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros
Et breviter Troiae supremum audire laborem,
Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit,
Incipiam.
Fracti bello fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,

super alias iaculantur hastas.| 749. cf. vs. 712 et v. 3, 50. — *longum*, quasi longo haustu. Atque haec *l. b. am.* sic interposita significant amorem eius plus plusque incrementi capere ex eo sermone, eoque curiosius interrogat multa.| 751. *Aur. fil.*, Memnon.

Aeneid. L. II. 1—13. *Silentio facto Aeneas, etsi luctus praepediat et nox ad quietem invitet, tamen satisfacturum se voluntati Didonis profitetur.*| 1. *intenti o. t.*, ergo ut solent intenti; in ipso ore apparebat intentio.| 4. *ut:* renovatur dolor Aeneae *narrando* casus Troianorum; itaque *ut* ponitur, quasi ipsum verbum narrandi praecederet; v. vs. 121. 9, 66. Sic saepe ex verbis et vocabulis affectum animi significantibus pendent enuntiata relativa, maxime e verbo *mirandi;* miror, quid sit? i. e. miror, nam nescio, quid sit.| 6. *fando*, dum fatur; similiter Liv. 22, 14 „Qui modo, Saguntum oppugnari *indignando*, foedera et deos ciebamus;“ et apud eundem 8, 17 „Novi consules *populando* usque ad moenia atque urbem pervenerunt,“ i. q. populabundi.| 7. *Myrm. Dol.*, Hom. Il. 2, 684. 9, 484.| 9. *praecipitat*, descendens in Oceanum.| 12. Similiter Cicero: „*Refugit animus* eaque formidat dicere, quae — —.“

13—199. *Dolus Graecorum; equus Troianus; insidiae Sinonis.*

Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas;
Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri penitusque cavernas
Ingentis uterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,
Nunc tantum sinus et statio male fida carinis;
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.
Panduntur portae; iuvat ire et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;
Classibus hic locus; hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae
Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur et arce locari,
Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent, subiectisque urere flammis,
Aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.
Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce,
Et procul: O miseri, quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros
Inspectura domos venturaque desuper urbi,
Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri.

15. *divina*, ergo non sua, sed ea, quam dea, Pallas, iis monstraverat. cf. Hom. Odyss. 8, 493. Il. 15, 71. | 17. Spargunt Graeci famam se vovisse equum hunc Palladi, si salvis liceret in patriam redire. | 18. *Huc ... caeco lateri*, v. E. 1, 54. | 23. Nunc, quia Priami imperio subiecta erat, vastata est a Graecis nihilque commoditatis habet praeter sinum, qui stationem praebet navibus, sed eam ipsam parum tutam. | 29. *tend.*, tentoria habebat. | 31. *don. ex. Min.*, i. e. donum a Graecis Minervae per simulationem datum (vs. 17.) exitiale futurum Troianis. | 34. *dolo*, quia uxore filioque eius per Priamum occisis iustam causam proditionis Thymoetes habere videbatur. | 37. Alii *subiectisve*; cf. Tibull. 1, 9, 49 sq.; et in mare praecipitari et cremari iubetur equus ille, alio scilicet aliter censente; v. etiam G. 1, 419. | 40. v. 3, 437. | 42. *O. mis.*, v. 11, 175. | 47. Ut hostis ex ea, tamquam ex turri, speculari urbem et desuper, ex altiore loco, in muros desilire possit. | 48. *error*, fraus; *aliquis*, quicumque is est, ut 9, 186. Cic. de

Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.
Sic fatus validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam conpagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
Inpulerat ferro Argolicas foedare latebras,
Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.
Undique visendi studio Troiana iuventus
Circumfusa ruit, certantque inludere capto.
Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnis.
Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat,
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:

Orat. 2, 42 „Plura homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut *aliqua* permotione mentis.“ | 51. Contorsit hastam in eam lateris partem, in qua est alvus. In repetita Praepositione inest vehementioris ictus significatio. — *curv. conp. alv.*, in curvaturam alvi. — *feri*, equi, ut 5, 818. | 52. *recusso*, repercusso, i. e. sonum reddente. | 53. iunge: *cavae insonuere*, i. e. cavum quid sonuere, s. ita, ut res cavae solent; 5, 866 „*rauca* adsiduo sale saxa *sonabant*,“ i. e. raucum sonum edebant; adde G. 4, 370. | 54. *si fata fuissent*, ut detegerentur insidiae; cf. vs. 433 et v. 3, 717. — *laeva*, stulta, ut E. 1, 16. | 55. *Inpulerat*, ἐκίνησεν ἄν. Indicativus in eiusmodi oratione indicat contrarium evenire vel evenisse: *impulerat*, *si fuissent:* at *non fuerunt*, ergo ille non potuit Troianos impellere; cf. 4, 19. | 56. Formam huius orationis tuetur imitatio Silii 7, 562 sq. „*Mutassent*que solum sceptris Aeneia regna Nullaque nunc *stares* terrarum vertice, Roma.“ | 57. v. E. 3, 106. | 60. *Hoc ipsum*, ut adduceretur ad regem, *ut strueret*, dolo efficeret. | 61. v. G. 4, 491. | 62. *vers. d.*, dolos agitare et insidiis fallere. — *s. c. occ. m.*, ut unus ex hostibus. | 69 sqq. Quo iam confugiam omni spe salutis praeclusa? | 72. *poenas cum sanguine*, poenas poscunt et quidem sanguinem, s. vitam; est ea circumlocutio *supplicii:* vs. 366 „poenas dant sanguine,“ s. vitâ, i. e. moriuntur. | 73. *conversi*, mutati. | 75. *Quid. f.*, ὅ τι ἔχει λέγειν. — *quae fid.*, cuius rei fiducia, v. 171; qua re confisus veniam et salutem sperare possit; quae spes *captivo* homini aut nulla esse solet aut exigua. | 76. *formidine*, quam simularat.

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque, fatebor
Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo;
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidae nomen Palamedis et incluta fama
Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere Neci, nunc cassum lumine lugent:
Illi me comitem et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis regumque vigebat
Consiliis, et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi —
Haud ignota loquor — superis concessit ab oris,
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens, et me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis, hinc spargere voces
In volgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo?

77. *cuncta, quodcumque*, ut Gaeci πάντα, ὅ τι. | 79. *Hoc*, me esse Argivum, *primum* fateor. | 81. *aliquod* posuit, quia nescit, notumne sit ei hoc nomen necne. Explicatius hoc sic dixeris: Fuit aliquis, Palamedes dictus, et audisti fortasse nomen eius. Et cf. Ovid. Met. 15, 497. | 82. a Belo fit *Belĭdes*, sed poetae paenultimam horum patronymicorum etiam producunt, uti ipse Virgilius 7, 484. Ovid. Ib. 503. Silius It. 1, 75. 3, 650. — Palamedes fuit filius Nauplii, regis Euboeae, qui genus suum ducebat a Belo, rege Aegypti. | 83. *falsa s. pr.*, sub falso crimine proditionis; nam litteras a Priamo ad Palamedem datas, sed a se fictas, protulerat Ulixes. | 84. v. G. 2, 441. | 85. *Neci*, v. 8, 566. — *lumine*, vita. | 86 sq. Valent haec ad mitigandam iram Troianorum. Comes duci additus venit ad Troiam, non ipse unus e principibus; et venit nullo proprio Troianorum odio, sed quia consanguinitas eum cum Palamede coniunxit et quia paupertatis causa ad bellum missus est a patre; Terent. Heaut. 1, 1, 58 „Ego istuc aetatis ... in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi simul rem et gloriam armis belli repperi.“ Item Achemenides, quia pauperem habebat patrem, ad Troiam profectus est, cf. 3, 614 sq. | 87. *primis annis*, sive *primo tempore aetatis* (Cic. de Legg. 1, 4) sive *ineunte aetate* (Cic. Off. 1, 34.), significatur adolescentia, cf. 8, 517. | 88. *regno*, regia dignitate; dum integra erat regia dignitate. | 90. *Ulixi*, v. G. 3, 91.; et cf. Ovid. Met. 13, 56—60. | 96. v. G. 2, 441. | 99. *quaer. arma*, Donatus „Quaerebat consiliorum tela, quibus me confoderet, occasionesque captabat.“ — *conscius* sui sibi sceleris, cuius ultorem me futurum promiseram. | 100. *enim:* Ulixen arma adversus me quaerere patebat; *nam* non requievit, donec invento sceleris administro, Calchante, *cet.* | 101. In eiusmodi interrogatione per *sed* abrumpitur sermo, per *autem* significatur miratio. Terent. Phorm. 4, 2, 11 „*Sed* quid pertimui *autem* be-

Quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est? Iamdudum sumite poenas;
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
  Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur:
  Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri et longo fessi discedere bello;
Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
Interclusit hiemps, et terruit Auster euntis.
Praecipue, cum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi
Mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat:
„Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras;
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica." Volgi quae vox ut venit ad auris,
Obstipuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quae sint ea numina divom,
Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam aut opponere morti.
Vix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem, et me destinat arae.
Adsensere omnes, et, quae sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.

lua?" — *ingrata*, Servius „quorum non libenter memini." | 102. quid moror vos hoc sermone, si omnes Achivos (puta: et eos, quibus merito infensi estis, et me, qui vera dicendo vobis profuturus sum) eodem loco habetis et si vestro iudicio satis est, *id* ... h. e. Achivum ... *audire*, h. e. appellari; Horat. Ep. 1, 7, 37 „rexque paterque audisti." | 103. *Iamd. s. p.*, i. e. sumite poenas iamdudum sumendas; idem ergo, quod *sumite p. sine mora;* Ovid. Met. 11, 482 „*iamdudum demittite* cornua." | 104. v. 3, 629. | 107. *ficto pect.*, subdole. | 111. *euntis*, ire volentes, ut 12, 73. | 114. Alii *scitatum.* Phaedr. 1, 2, 22 „ranae Alium *rogantes* regem *misere* ad Iovem." Liv. 21, 6 „legati a Saguntinis Romam *missi* auxilium *orantes.*" Xenoph. Cyrop. 5, 4, 24 „*κήρυκα ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν, λέγοντα, ὅτι* —." Sophocl. Ai. 813 „*πέμψον τιν' ἡμῖν ἄγγελον, κακὴν φάτιν Τεύκρῳ φέροντα.*" | 115. v. G. 4, 88. | 116. *virgine*, Iphigenia. | 121. *ossa*, v. G. 3, 272. — *cui f. parent*, sc. illud, ut immoletur. Tremebant autem, quia *dubitabant*, ad quem responsum illud pertineret; itaque, quasi hoc ipsum verbum dubitandi praecederet, adiungitur interrogatio; v. vs. 4. | 123. v. A. 1, 8. | 124 sq. vaticinabantur me peti Ulixis crudeli scelere, tacitique praevidebant immolatum me iri. | 125. *multi — et*, i. e. multi — alii, ut E. 1, 66 *Pars — et.* | 131.

Iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me et vincula rupi,
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulcis natos exoptatumque parentem;
Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla iubet Priamus, dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;
Noster eris; mihique haec edissere vera roganti:
Quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?
Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait, vos arae ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,

conversa t., converterunt et [trans]tulerunt in meum exit.| 132. ***sacra*** intellige ipsam immolationem, ut apud Ovid. Met. 13, 454 de Polyxena „sensitque sibi fera sacra parari.| 133. *salsae fr.*, mola salsa.| 134. Quae vincula? certe non ea, quae vs. 147 commemorantur. Videtur laxus funis ei, cum, ut simulat, ad aram duceretur, iniectus esse, quo, si fugere conaretur, retineri posset.| 136. *si forte*, etsi non esset oblatum diis iussum sacrificium, ***dedissent*** vela, i. e. si futurum fuisset ut darent vela; sic supra vs. 94. ***tulisset***; adde 3, 652. 6, 879. 9, 41. 704. Ceterum cf. 4, 546.| 137. ***antiqu.***, longa consuetudine caram.| 139. ***et***, etiam, nostrum *sogar; poenas* appositio relativi *quos;* iam cf. 6, 20 sq.; *quos poenas reposcent*, quos meo scilicet loco puniendos poscent.| 140. *Effugium* in re sacra dicitur fuga hostiae iam ad aram adductae. — *hanc*, i. e. meam s. quae mea est, non istorum; satis crebrum hoc in familiari potissimum sermone; *hic vir*, *ὅδε ἀνήϱ*, i. q. ego; *χεϱοῖν ταῖνδε*, his manibus, Soph. El. 1132 „animam hanc“ 3, 654 et 4, 652; „his auribus“ 4, 359.| 141. *Quod*, quapropter, ut 6, 363.| 142. *Per fidem*, ***si qua est***; cf. 10, 597. 903. et v. 6, 459.| 145. *His lacr.*, Ablativus significans, qua re quis vel motus vel inductus (cf. vs. 195) aliquid faciat. — *ultro* hic de eo, quod est amplius: ad clementiam (quae significatur verbis *his l. v. damus*) accedit etiam misericordia; v. G. 4, 204.| 151. *quae rel.*, num fuit aliqua religio, qua permoti hunc equum statuerunt? cf. vs. 17.| 154. qui sint illi ignes, docet vs. 153.| 156. *v. deum*, quod „in honore deum“ G. 3, 486., sive in re divina s. sacrificio geruntur.| 157. *Gr. sacr. iura*, sacras illas leges, quae me Graecis obstrictum tenent.| 158. *ferre s. a.*, proferre, enuntiare.| 159. ***tegunt*** illi. —

Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.
　Omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes,
Fatale adgressi sacrato avellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
Sudor iit, terque ipsa solo — mirabile dictu —
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo temptanda fuga canit aequora Calchas,
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Inprovisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso

nec ... ullis fortius quam *nullis*; auctor Ciris vs. 269 „Cui Parcae tribuere *nec ullo* vulnere laedi.“ Cic. Catil. 2, 4, 8 „Nemo, non modo Romae, sed *nec ullo* in angulo totius Italiae, oppressus aere alieno.“| 160. *prom. maneas*, i. q. stes promissis; cf. 8, 643.| 164. v. A. 1, 19.| 165. *fatale*, unde fata Troiae pendebant; cf. Ovid. F. 6, 427, qui id palladium fatale pignus imperii appellat vs. 445.| 169. „*retro subl. ref.*“; sunt haec ab aestu maris recedente translata; itaque *fluere* proprio sensu dictum.| 171. *ea*, i. e. eius rei, signa dedit, s. id significavit; 3, 505. *ea cura*, i. e. cura eius rei; 4, 237 *hic nuntius*, i. e. huius rei n.; adde 2, 75. 7, 595. 12, 468.| 174. *Sud.*, cf. Cic. de Divinat. 2, 27 pr.| 178. Respicitur mos imperatorum Romanorum, qui, si quid adversi accidisset aut si quid vitii in capiendis auspiciis obtigisset proficiscentibus ab urbe, e castris Romam reversi repetebant ibi auspicia, i. e. nova capiebant; ita certiores facti de voluntate deorum redibant in castra; hoc est, quod poeta vs. 181 dicit: *deos parant comites.* Ergo auspicia ante ipsam profectionem capta Calchas ait irrita facta esse ira offensae Minervae; repetenda erant igitur et nova afferenda, atque cum numine avecto, Palladio, placataque dea redeundum. Etsi autem non solet *numen* simpliciter dici de statua, tamen numen ac praesentia dei ita cum signo eius coniuncta videbantur, ut recte dicatur et avehi numen et reduci; cf. vs. 183 „pro Palladio, pro numine laeso;“ adde 4, 204. Iam vide, quae diximus ad vs. 188.| 180. *quod*, i. e. quod attinet ad id, quod; ut crebro apud ipsum Ciceronem.| 182. *digerit*, disponit, ordinat, nempe dicens, quo quidque ordine secundum illud omen, sive ostentum vs. 172 sqq. commemoratum, faciendum sit: primum esse in Graeciam redeundum ibique hoc omen procurandum, tum, reconciliata deorum voluntate, ad Troiam revortendum.| 183. *pro Palladio*, loco Palladii in insulam Tenedon avecti. — *moniti*, a quo? cf. vs.

Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
Hanc tamen inmensam Calchas attollere molem
Roboribus textis caeloque educere iussit,
Ne recipi portis aut duci in moenia possit,
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervae,
Tum magnum exitium — quod di prius omen in ipsum
Convertant! — Priami inperio Phrygibusque futurum;
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
　Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.
　Hic aliud maius miseris multoque tremendum
Obiicitur magis, atque inprovida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta —
Horresco referens — inmensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt;
Pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
Sanguineae superant undas; pars cetera pontum
Pone legit sinuatque inmensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant,
Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat et miseros morsu depascitur artus;

185.| 186. *caelo*, ad caelum, v. E. 2, 30, i. e. tantam facere, ut caelum tangere videretur, v. 3, 619.| 188. ne effigies illa, si eādem (*antiqua*) religione colatur, qua antea cultum est, dum erat Troiae, Palladium, tueatur populum; quod ex opinione veterum equus iste extra urbem positus non poterat. — *sub r.*, praesidio religionis.| 189. *don. Min.*, donum oblatum Minervae; cf. Phaedr. fab. 4, 15, 5.| 190. *ipsum*, Calchantem.| 193. *ultro*, v. 10, 312.| 194. *ea f.*, cf. vs. 190 sq.| 195. v. vs. 145.|| 199—249. *Laocoontis exitium*; *equus ligneus in urbem ductus*.| 200. *inpr. p. t.*, turbat pectora ita, ut fierent improvida; ita enim praecipites egit ea res Troianos, ut omissa omni cautione facerent, quod Sinon optabat.| 201. Interemto sacerdote Neptuni Laocoon, ait Servius, Thymbraei Apollinis sacerdos, sorte ductus est, qui sacra faceret Neptuno; ut solet fieri, cum deest sacerdos certus.| 202. Sollemnes arae dictae a sollemnitate sacrificii.| 203. *alta*, raro ponitur huius voc. Pluralis pro Singulari.| 207. *sup. und.*, eminent supra undas; cf. vs. 219. Ovid. Met. 1, 317. Alii *exsuperant*.| 208. Alii *sinuant*.| 210, 219 et 221. v. E. 3, 106.| 212. *agmine*, intellige spiras ac volumina longumque eorum tractum; cf. 5, 90. G. 3, 423. — *certo*,

Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Qualis mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Diffugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor, et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
Numina conclamant.
Dividimus muros et moenia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subiiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediaeque minans inlabitur urbi.
O patria, o divom domus Ilium, et incluta bello
Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere;
Instamus tamen inmemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu non umquam credita Teucris.

tamquam destinatum petentes, ut certa hasta vel sagitta.| 218 sq. iunge *circumdati.*| 223. *Qualis*, i. e. *quales*, sc. tollit, quod ex superiore versu repetendum. Ceterum v. G. 3, 387.| 225. *summa*, in arce posita, Hom. Il. 6, 297.| 226. *Diffug.* non, ut vs. 212; sed abeunt fugiendo.| 227. Necesse est diversum hoc fuisse signum Minervae a Palladio supra commemorato.| 228. *novus*, cf. vs. 212.| 229. v. G. 1, 163. — *exp. scelus*, poenam sceleris.| 232. *sedes* divae s. deae.| 234. *moenia urbis*, urbs ipsa cum aedificiis; cf. vs. 252. 9, 196.| 235. *Accing.*, v. G. 1, 163.| 236. *rotar. lapsus*, rotas labentes, i. e. se circumvolventes.| 237. *Int.*, v. G. 4, 400.| 239. *Sacra*, s. carmina, hymnos.| 240. *minans*, v. 1, 162.| 242. *Dardanidum*, Dardanidarum, ut *Romulidum*, *Troiugenum*, *Caelicolum*, *Ausonidum*. — *in lim. subst.*, ominosum hoc; Tibull. 1, 3, 20 „O quoties ingressus iter mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem.“| 244. *inmemores* eius ominis.| 246. *fatis*, sc. canendis; est Casus tertius.| 247. Apollo Cassandrae artem vaticinandi tribuerat, sed ita, ut nemo ei crederet. — *ora non umq. credita*, *ἀεὶ ἀπιστούμενα*, Ovid. Met. 15,

Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea caelum et ruit oceano Nox,
Involvens umbra magna terramque polumque
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos conplectitur artus:
Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae
Litora nota petens, flammas cum regia puppis
Extulerat, fatisque deum defensus iniquis
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam;
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis
Accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit et dono divom gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
Visus adesse mihi largosque effundere fletus,
Raptatus bigis ut quondam aterque cruento
Pulvere perque pedes traiectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,

74 „primus talibus ora ... solvit non credita verbis.“ || 250—360. *Nocte insecuta redeunt Graeci a Tenedo et ab iis, qui equo ligneo inclusi fuerant, intromittuntur in urbem. Aeneas per quietem monitus ab Hectore, ut servet deos Troiae tutelares, abrupto somno, postquam urbem videt captam, cum paucis adgreditur hostem.* | 250. Vetus opinio fuit, ad oculorum sensum accommodata proptereaque a poetis retenta, circumagi vertique ipsum caelum cum sideribus; v. 8, 280, inprimisque cf. Ovid. Met. 2, 70 sq. — *ruit*, ut 6, 539. 8, 369, proruit, surgit; Ovid. Met. 6, 92 „aquis Nox surgit ab isdem.“ | 251. v. 1, 225. | 252. *fusi*, cf. G. 2, 527. | 254. *instr.*, ordinatis. | 255. Quomodo haec conciliabis cum vs. 251? v. vs. 340. — *tacitae*, cf. 4, 525. | 256. Fax e nave praetoria sublata erat signum adventantis classis Sinoni datum. | 257. Ad haec quoque *fatis* ... *laxat* pertinet illud vs. 254 positum *iam*. | 259. *Laxat* claustra et Danaos; zeugma, v. 1, 426; claustro laxato emittit Danaos. | 263. *primus*, qui primus aut inter primos egressus est. | 267. *agm. iung.*, sibi adiungunt; diversum est, quod legitur infra 4, 142. | 268. *m. aegr.*, *δειλοῖσι βροτοῖσιν* Hom. | 270. *maestiss. H.:* eiusmodi Superlativi nominibus propriis adiecti, ut *pulcherrima Dido*, *maxumus Atlas*, indicant absolutam aliquam et in suo genere perfectam speciem *maestitiae*, *pulchritudinis*, *magnitudinis*. | 272. qualis fuit quondam, raptatus bigis cet. | 273. v. E. 3, 106. — *tumentes*. Viva membra tument sic mulcata, non mortua. Vivum raptatum esse Hectorem etiam Sophocles refert Ai. 1030 sq. Curt. 4, 28. | 274. Alii *Heu*. | 275. *redit*. v. 1, 99. — *exuv. Ach.*, arma

Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam et concretos sanguinè crinis
Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum et maestas expromere voces:
O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi aspicimus! quae caussa indigna serenos
Foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?
Ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alta a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troia Penatis;
Hos cape fatorum comites, his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.
Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
    Diverso interea miscentur moenia luctu,
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus adsto:
In segetem veluti cum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores,
Praecipitisque trahit silvas; stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam

Achillea Patroclo detracta. | 276. v. E. 2, 30. — Hom. Il. 16, 122 sq. | 278. iunge *circum muros.* | 281. *lux*, *φάος*, salus. | 283. iunge *ut* (quam) defessi. | 287. *Ille nihil* respondet ad haec. | 290. Alii *alto;* cf. Hom. Il. 13, 772 sq. | 292. *hac*, mea, ut 8, 570. 9, 205. | 293. *Penates* publicos intellige, deos patrios; et v. vs. 320. | 296. *vittas Vestamq.*, i. e. V. vittatam, v. G. 1, 173. | 298. *Div.*, procul in alia parte urbis exorto. | 304. sqq. cf. Hom. Il. 2, 455 sq. 4, 452 sqq. 5, 87 sqq. — Rei magnitudine et atrocitate ita abripitur animus poetae, ut comparatione utatur re paulo occultius indicata, ad quam spectat comparatio: i n s c i u s scilicet, ut pastor ingruente aliqua per agros cum magno strepitu repentina clade, Aeneas e x a l t o speculatur, quae causa sit sonitus ad aures suas perlati. | 305. *r. mont. fl.*, incitatus aquarum vi ex montibus decurrentium. | 306. v. G. 1, 325. | 309. *fides*, res fidem faciens, ut Soph. El. 887 *τὶν’ ἰδοῦσα*

Volcano superante domus, iam proxumus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis;
Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi; furor iraque mentem
Praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
Sacra manu victosque deos parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
Gloria Teucrorum; ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Milia quot magnis umquam venere Mycenis;
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi proelia temptant
Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.
Talibus Othryadae dictis et numine divom

πίστιν.| 311. v. G. 1, 295.| 312. *Ucalegon*, i. e. domus eius; cf. 4, 671.| 314. *rat.*, consilii; non apparet, quid pugnando iam profici possit.| 315. *bello*, Dativus consilium indicans, i. q. ad pugnam; cf. 4, 599 et v. G. 2, 206.| 317. *succurrit*, subit animum, παρίσταται, cogitatio decorum esse mori pugnantem.| 318. *Panth.*, Πάνθοος, Πάνθους.| 319. *arcis Phoebiq.*, Apollinis, cuius templum erat in arce; cf. 7, 219 et 11, 477.| 320. *Sacra* quae sint, explicat poeta ipse verbis subiectis *victos deos*, i. e. simulacrum Apollinis, v. E. 3, 7, quod ab illo effertur, ne captivum in manus hostium veniat; v. vs. 351. Ceterum iunge *ipse manu*, ut G. 3, 395. A. 3, 372. 7, 143.| 321. *limina* Aeneae.| 322. quo in statu est summa res publica? quam pro amissa (nam amissam esse res ipsa indicat) prendimus arcem? i. e. qui locus nunc pro arce praesidioque nobis esse potest?| 323. *gemitu*, gemens, cum gemitu, cf. 3, 664. *voce* 10, 193. *clamore* 1, 519. 8, 216. 11, 609. *tonitru* 8, 391.| 324. *inel. t.* Eurip. Alcest. 892 „τύχη, τύχη δυσπάλαιστος ἥκει.“| 326. Argivis victoriam et rerum summam concessit.| 329. *victor*, compos propositi, cf. 7, 544. 10, 409. Ovid Met. 4, 509. — *miscet*, passim facit incendia.| 330. sqq. Alii per portas apertis geminis foribus patentes intrant urbem, tanto quidem numero, ut vix plures prima profectione e Graecia exisse putes; alii, qui iam advenerunt, vias obsident ac se opponunt fugientibus.| 334. *primi*, quippe qui in primo urbis introitu constituti fuissent; cf. vs. 613 et 12, 577.| 335. *Port. vig.*, ii scilicet, qui non cum ceteris occisi (vs. 266.) pugnabant recedentes. — *caeco M.*, proelio temere et sine spe suscepto.| 336. sq. *num. div.*, dei alicuius; neque enim sua sponte cepisset consilium tam temerarium; actus videlicet ab Erinye (vs. 337), auctore furoris; v. 6, 322.|

In flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,
Quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus et maxumus armis
Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque,
Et lateri adglomerant nostro, iuvenisque Coroebus,
Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in proelia vidi,
Incipio super his: Iuvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi, quae sit rebus fortuna videtis;
Excessere omnes, adytis arisque relictis,
Di, quibus inperium hoc steterat; succurritis urbi
Incensae; moriamur et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis, per tela, per hostis
Vadimus haud dubiam in mortem mediaeque tenemus
Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.

340. Luna illustratam fuisse hanc noctem discimus et ex hoc versu et ex vs. 255. Cui rei non videtur adversari vs. 250 „ruit oceano Nox Involvens umbra magna terramque polumque;“ nam aut illunis fuit ea nox principio, aut facies rerum nocturna, comparata cum diurno splendore, etiam postquam luna in caelum evecta est, opaca et umbrosa recte dici potuit. At eadem nox atra dicitur, ergo omnis lucis expers, vs. 360, quamquam, quae vs. 340 et 360 relata legimus, brevissimo intervallo inter se discreta sunt; et rursus caeca appellatur ea nox vs. 397, obscura vs. 420; accedunt spissae umbrae noctis vs. 621. Nisi igitur Virgilium parum sibi in ea re constitisse putaveris, dicendum erit lunam subinde nubibus obductam fuisse. | 344. *gener* etiam qui gener esse *vult*; similiter *vir*, *maritus*, cf. 4, 35. Tibull. 3, 2, 14. | 345. v. vs. 247. | 347. *audere in pr.*, audacia incensos esse ad pugnandum; Grat. 498 „non omne meas genus audet in artes.“ | 348. *Incipio* fari, *his*, ad hos; *super*, insuper; audaciam, quam ipsi afferebant, insuper oratione incendo. | 348 sqq. O iuvenes, frustra fortes! si decrevistis me sequi audentem extrema s. in certissimum vitae discrimen me committentem, non celabo vos, id quod ipsi videtis, quo loco sit fortuna urbis; itaque qua una in re consistit salus victis hominibus, contemnentes mortem ruamus in medios hostes. Iustin. 20, 3 „nec alia causa victoriae fuit Locrensibus, quam quod desperaverunt.“ — *Si vobis cupido*, *videtis:* eadem orationis conformatio redit 9, 194 sq. | 351. *Excess.*, quippe captivitatem timentes; v. vs. 320. | 356. v. G. 1, 119. | 357. *caecos* adversus pericula. | 360. *cava*. Habent aer, aura, ventus hoc proprium, ut nihil solidi ac firmi contineant, neque, ut aliae res, spatium aliquod ita impleant, ut, ubi illa sunt, alia res esse non possit; propterea *inanes* saepe dicti a poetis; idem epitheton transfertur ad *nubes*, ut G. 4, 196, ubi vid. Not.; eadem significatione dicitur *nubes cava* 9, 671 et 10, 636.; quia eiusmodi res facile cedit omnique rei sese circumfundit, *cavum* est etiam i. q. undique ambiens aliquid,

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora perque domos et religiosa deorum
Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri;
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.
Primus se Danaum, magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri. Nam quae tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama; vos celsis nunc primum a navibus itis?
Dixit, et extemplo, neque enim responsa dabantur
Fida satis, sensit medios delapsus in hostis.
Obstipuit, retroque pedem cum voce repressit.
Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras et caerula colla tumentem;
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Inruimus, densis et circumfundimur armis,
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus; adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur:
Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem

circumfusum, ut hoc loco; cf. inter se 1, 516 et 586, praeterea 5, 810. | 364. *inertia*, eorum, qui defendere inermes se non possunt. | 366. v. vs. 72. | 367. *Quond.*, ἔσθ' ὅτε. | 368. *crudelia* appellantur, quae sunt cum magno dolore coniuncta, ut *crudelis vita* 8, 579. 9, 497. | 369. *imago*, forma, genus; Tac. Hist. 3, 28 „Integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium.“ || 370—434. *Successus primi proelii; dolus Troianorum primo Graecis, deinde ipsis perniciosus.* | 373. v. G. 4, 445. | 374. *rapere* s. agere (captas pecudes vel homines) et *ferre* (res suis possessoribus ereptas) hostes praedabundi dicuntur; Xenoph. Hellen. 5, 4, 42 „ἔφερε καὶ ἦγε τὰς Θήβας.“ | 377. *sensit delapsus*, Graeco more, ᾔσθετο ἐμπεσών. Catull. 63, 6, 7 „*sensit* terrae sola sanguine *maculans*.“ v. G. 2, 510. | 378. v. G. 1, 200. | 379. Hom. Il. 3, 33 sqq. | 381. v. G. 3, 421. | 383. *dens.*, v. vs. 409. | 386. aliter dicitur *animis exsultare*, i. e. esse animo quam maxime fidenti, aliter *exsultare successu*, i. e. vehementer laetari s. | 389. *D. insignia*, arma Graecorum a Troicis diversa, clipeos maxime et galeas; cf. vs. 392 sq. | 391. *deinde*, ut Graecum εἶτα, participiis (h. l. *fatus*) subiicitur, cf. 8, 481, ut

Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum adcommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas omnisque iuventus
Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus inmixti Danais haud numine nostro,
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus, multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu
Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.
    Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
Ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
Et sese medium iniecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira
Undique collecti invadunt, acerrimus Aiax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis;
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus eois
Eurus equis; stridunt silvae, saevitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,
Adparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt atque ora sono discordia signant.

etiam *tum* 5, 382. 12, 6 et *sic* 1, 225. | 392. *ins.*, cf. 7, 657. | 393. *Ind.*, quod fiebat loro clipei super humeros iniecto et manu sinistra ansae inserta; cf. vs. 671 et Hom. Il. 14, 377. | 394. Videtur maior quaedam dignitas Dymanti a poeta tribui; id enim significat pronomen *ipse;* itaque saepe Iovis, aliorum etiam deorum, et ducum nominibus adiicitur. | 396. v. G. 4, 22. | 400. *fida*, tutum praebentia perfugium. | 407. *Cor.*, cf. vs. 343. | 409. cf. 3, 222.; *armis*, Ablativus hic significat id, quo quis instructus rem gerit; 3, 222 „Irruimus ferro;“ adde 5, 402 et 414. — *densis*, quia ipsi *densi*, conferti vs. 347, incurrunt. | 410. *delubri* Minervae; cf. vs. 425. | 412. *facie* ... *errore*, propter faciem, errorem, cf. 11, 151. | 413. v. 1, 462. | 414. *Aiax*, v. 1, 41. | 415. *Dol.*, v. vs. 7. | 416. *ruptus turbo*, qui subito prorupit; v. G. 3, 428. | 417. Equos tribuunt ventis etiam Horat. Od. 4, 4, 44 et Val. Fl. 1, 611. — *eois*, quia Eurus ab oriente flat. | 423. *ora s. d. s.*, soni quadam proprietate tamquam signo aliquo cognitam declarant diversitatem quandam oris ac loquelae, qua Troiani, qui et ipsi Graece loquuntur, discerni ab adversariis suis poterant; „nam sonis homines, ut aera


Ilicet obruimur numero; primusque Coroebus
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi;
Dis aliter visum; pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres et flamma extrema meorum,
Testor in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaum, et, si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu.
Divellimur inde;
Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus aevo
Iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi;
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae, postisque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti obiiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidae contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,

tinnitu, dignoscimus," ait Quintil. 11, 3, 31.| 424. *Ilicet*, continuo, *sofort.*| 425. *ad aram*, puta in pronao.| 426. *i. unus*, unus omnium maxime iustus; similiter *sola fidissima* 11, 821.| 428. *Dis al. v.*, dii non ita egerunt cum eo, ut cum homine omnium iustissimo; cf. Hom. Od. 1, 234.| 429. *P.*, v. vs. 318.| 430. v. 1, 659.| 432. Graeco more Nominativus cum Infinitivo positus; cf. 11, 503. Catal. 8, 1 „Sabinus ille ... ait fuisse mulio celerrimus."| 433. *vices*, „pugnas, quia per vicissitudinem pugnabatur," interpretatur Servius; et videtur hoc vocabulum in re gladiatoria locum habuisse; digladiantes enim alter alteri vicissim intentant ictus. Itaque per *vices* alternae petitiones, alterni assultus significari poterant (cf. G. 3, 220); nos dixerimus: *er habe keinen Gang mit den Danaern vermieden.* — Alii interpungunt: *V. vices*; *Danaum et*, *si f. f.*, *Ut caderem meruisse m.*; admodum perplexe.| 434. *manu*, virtute, ut 11, 16, multis scilicet, antequam caderem, a me occisis; quod tamquam pretium est vitae pro patria proiectae.|| 434—558. *Oppugnatio excidiumque regiae; mors Priami.*| 441. *testud.*, facta ex clipeis, cf. 9, 505 et 517 sq. Liv. 34, 39, 44, 9.| 441 sq. Duplex est oppugnationis species: et in fastigium domus Priami evadere tentant Graeci, et per fores, ad quas aditus erat per gradus, irrumpere; ad hoc pertinent verba *obsessum limen* et *postes sub ipsos nituntur gradibus*, ad illud *Haerent p. scalae* et *clipeos ... dextris.* Ex solutae orationis consuetudine diceres: *alii* sub ipsos postes nituntur, *alii* clipeis protecti prensant fastigia; v. 1, 701. Item duplex defensionis modus, cf. vs. 445 et 449. — Ceterum si quid habet confusi ea ratio, convenit hoc fervori exponentis ea, quae simul facta sunt.| 443. *ad*, ut G. 2, 352.| 446. *ultima*, rem in extremum discrimen adductam.|



Devolvunt; alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat caecaeque fores et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri iactabant inrita Teucri.
Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troia videri
Et Danaum solitae naves et Achaia castra,
Adgressi ferro circum, qua summa labantis
Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, inpulimusque; ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt, nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aena;
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,

451. *Instaurati a.*, cf. vs. 315 sq. *animi* ... *succurrere*, similiter „Perficere est animus" 4, 639, nisi quod hic consilium a sola voluntate, illic consilium ab audacia profectum indicatur. Ceterum attende brevitatem sermonis; hoc enim dicere vult poeta: animi, adversa fortuna ante fracti, instaurati vertebantur ad auxilium regi ferendum. | 453 sqq. A tergo, s. postica parte regiae, limen erat caecaeque, s. ignotae aliis, fores postesque relicti, i. e. fere neglecti, qua nullus aut rarus erat transitus. Putabimus autem ingressis per has fores aditum patuisse communem ad omnia conclavia regiae; atque is est ille *pervius usus tectorum inter se.* | 456. *incomit.* nempe ex propinqua domo Hectoris ita latenter per illas fores accedere poterat ad soceros, ut solito duarum famularum comitatu non opus esset; cf. Hom. Il. 3, 142 sq. | 457. *ad soceros*, Priamum et Hecubam, ut vs. 579 *patres* i. q. parentes. Liv. 26, 50 „apud soceros tuos." | 460. *in praecipiti st.*, in crepidine tecti, unde praecipitari poterat in subeuntes. | 463 sq. ubi summum tabulatum, cui imposita erat illa turris, praebebat iuncturas (i. e. partes eas, quibus illa connexa erat tabulato) labantes s. facile collabefaciendas. | 467. *subeunt* in locum occisorum. | 469. Vestibulum locus, qui patebat ante aedes hunc in modum:



a, *b*, *c*, *d* parietes domus, *e* ianua, *f*, *g* platea. Statuis spoliisque instructum 7, 177—186. | 470. *l. aena*, αὐγὴ χαλκείη Hom. Il. 13, 341 et v. 7, 463. | 471. *in lucem* ... *convolvit*, v. G. 4, 82. — Ceterum compara cum his G. 3, 426.

Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc, positis novus exuviis nitidusque iuventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto et flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postisque a cardine vellit
Aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit
Robora et ingentem lato dedit ore fenestram.
Adparet domus intus, et atria longa patescunt;
Adparent Priami et veterum penetralia regum,
Armatosque vident stantis in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent postis atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent; labat ariete crebro
Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi; rumpunt aditus, primosque trucidant
Inmissi Danai, et late loca milite conplent.
Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas;
Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi,
Procubuere; tenent Danai, qua deficit ignis.

437. 439. Hom. Il. 22, 93 sqq.; notabis etiam contraria „*in lucem ... sub terra*“ et „*frigida bruma ... ad solem*“.| 477. *Armiger* Pyrrhi. — Scyrus, una ex Cycladibus, unde copias adduxerat Pyrrhus, ab avo Lycomede acceptas.| 479. *Ipse,* cf. vs. 469.| 480. Praesentia, *perrumpit* et *vellit*, indicant rem coeptam; nam vs. 493 demum emoti cardine procumbunt postes.| 481. *trabe*, arbore, ut 9, 87, propinqua scilicet regiae; eaque pro ariete utitur, cf. vs. 492.| 487. *Miscetur*, resonat mixto ac vario feminarum gemitu. — *cavae aedes* cavaedium.| 490. cf. Val. Fl. 2, 168.| 494. *rump. ad.*, ut Livius 2, 50 „rupere viam“, *brachen sich Bahn.*| 498. *Fertur cumulo*, v. 1, 105.| 499. *Vidi*, de tecto scilicet.| 501. quinquaginta erant filiorum uxores s. nurus, ad quas accedunt totidem filiae.| 504. *Barbarico,* Phrygio; similiter loquentem facit Andromacham Ennius a Cic. Disp. Tuscul. 1, 35 laud. Sic Persa Persas apud Aeschylum, sic Plautus Romanos vocat barbaros. — *spol. sup.*, ex more Romano, cf. 7, 183.| 505. *Tenent D.*, *q. d. i.*, occupaverunt loca, ad quae ignis non pervasit.|

Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.
Urbis uti captae casum convolsaque vidit
Limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequiquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
Ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus,
Incumbens arae atque umbra conplexa Penatis.
Hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae et divom amplexae simulacra sedebant.
Ipsum autem sumptis Priamum iuvenalibus armis
Ut vidit, Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget, non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,
Aut moriere simul. Sic ore effata recepit
Ad sese et sacra longaevum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostis
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit:
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti et patrios foedasti funere voltus.

506. *quae fata*, cf. vs. 554.| 512. *Aed. in m.*, i. e. in impluvio, undique ab ipsis aedibus cincto, ubi Penates aram habebant apud Romanos.| 514. *conpl.* v. G. 1, 293.| 516. *Praec.*, quae praecipiti volatu tuta petierunt.| 517. *sedebant*, more supplicum, ut principio Oed. R. apud Soph.; cf. infra vs. 574. Alii *tenebant*.| 519. *mens dira*, consilium abominandum.| 521. *defens. istis*, telis; sic sublicas, truncis vel navibus ad pontem rumpendum devectis oppositas, defensores appellat Caesar B. G. 4, 17 „ut .. his defensoribus earum rerum vis minueretur.“| 529. *infesto v.*, proprie: infesto telo, quo eum vulneret, cf. 7, 533.| 530. *premit*, percutit, ut 9, 330.| 533. *med. morte*, praesenti mortis periculo.| 535. *At* h. l. est cum indignatione imprecantis; Terent. Hec. 1, 2, 59 „at te dii deaeque perdant cum tuo istoc odio.“| 536. *pietas*, iustitia et respectus eorum, qui indigna patiuntur, cf. 4, 382.| 539. Re funebri pollui, incestari homines putabantur, cf. 6, 150.; gravius etiam verbum est *foedare*, quasi ad-

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulchro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus aere repulsum
Et summo clipei nequiquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec et nuntius ibis
Pelidae genitori; illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
Inplicuitque comam laeva, dextraque coruscum
Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,
Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum saevus circumstetit horror.
Obstipui: subiit cari genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et, quae sit me circum copia, lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio; dant clara incendia lucem
Erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros
Et poenas Danaum et deserti coniugis iras
Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,

sperso sanguine contaminare. | 541. Supplex sua iura habet a diis, Iove maxime, in eorundemque est *fide*, s. tutela; *erubuit* igitur s. reveritus est Achilles hanc sanctitatem supplicis. | 544. *sine ictu*, non icto, vulnerato eo, qui erat vulnerandus. | 548. *tristia*, crudelia. | 554. *finis fatorum*, ultima fata. | 555. *Sorte*, fato, ut ei erat fatale. — *tulit*, abstulit. — *videntem* per Appositionem relatum ad *illum*: isque exitus miserior fuit eo, quod moriens vidit incensam Troiam etc. | 556. *superbum populis*, imperio populorum. | 558. *sine nom.*, quia absciso capite iam cognosci non poterat, cuius esset corpus. || 559—633. *Aeneas horrore percussus meminit senis patris, coniugis parvique filii, ipse ab omnibus desertus. Conspecta forte Helena exardescit ira casumque patriae statuit illius sanguine ulcisci. Mitigatus a matre Venere domum patriam repetit, Anchisen, Creusam, Ascanium erepturus e periculo.* | 566. *aegra*, defessa pugnando. | 567. v. E. 6, 6. | 573. *Praemetuens* est, qui non opperiens malum, quod videtur imminere,

Abdiderat sese atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Aspiciet, partoque ibit regina triumpho,
Coniugiumque domumque, patres natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus, Troia arserit igni,
Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in poena est nec habet victoria laudem,
Exstinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis
Laudabor poenas, animumque explesse iuvabit
Ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.
Talia iactabam, et furiata mente ferebar,
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum
Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius aspicies, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa
Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae
Circumerrant acies, et, ni mea cura resistat,
Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.

se ei subtrahit. | 574. v. vs. 517. — *aris*, in gradibus arae. — *invisa*, et suum et commune Helenae odium hac voce exprimit Aeneas. | 576. *scel.*, scelus futurum erat, interficere supplicem ad aras sedentem. | 577 sqq. Indignatur Aeneas, quod, cum perditum videat Priamum, perditam inclutam illam Troiam, Helenae, causae horum malorum, paratus videatur reditus in patriam, parata etiam quaedam gloria; sic verbis *occiderit* ... *arserit*, quae sunt Futura exacta, causa indignationis Futuro simplici indicatae significatur. — Sunt autem haec omnia rhetorice composita et exornata; et tria (4. 5. 6.) tribus (1. 2. 3.) respondent inverso ordine: (4) „*Occiderit f. Priamus*“ ... (3) „*Coniug. d. patres n. v.*“, (5.) „*Troia ars. i.*“ ... (2.) „*parto ib. reg. triumpho,*“ (6) „*Dard. tot. s. s. l.*“ ... (1) „*incolumis patr. Myc. aspiciet*“. — *patres* autem (v. vs. 457.) ait Aeneas, cum solus superstes esset Tyndarus, et *natos*, cum unam Helena filiam Hermionen haberet, quo extolleret felicitatem odiosae Helenae comparatam cum invidenda sorte eorum, qui, postquam domo diu afuerunt, reduces omnia, quae in oculis sinuque gestant, reperiunt integra. | 583. *nullum*, gravius negat, quam *non*, ut 6, 405. 10, 592. | 585. *merentis*, sumi merentes s. merito sumendas. | 586 sq. *explere* Graeco more cum Genetivo iunctum. — *an. expl. ultr. fl.*, satisfacere animo per ultionem cupidissime expetitam; *flamma* enim significat vehementem cupiditatem. | 588. *iact.* v. 1, 102. | 595. *nostri cura*, ipsa negligi videtur, cum negligitur Anchises ab ipsa amatus neposque Ascanius cum matre. | 596. *ubi*, in qua fortuna. | 600. v. vs. 555. — *hauserit*, cf. Hom. Il. 14, 517 „διὰ

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae
Culpatusve Paris, divom inclementia, divom,
Has evertit opes sternitque a culmine Troiam.
Aspice — namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat visus tibi et humida circum
Caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
Iussa time, neu praeceptis parere recusa —
Hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
Saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit totamque a sedibus urbem
Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva.
Ipse Pater Danais animos virisque secundas
Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque inpone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.
Adparent dirae facies inimicaque Troiae
Numina magna deum.
Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium et ex imo verti Neptunia Troia;
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur
Et tremefacta comam concusso vertice nutat,
Volneribus donec paulatim evicta supremum
Congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.

δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσεν," v. G. 3, 105 et cf. 10, 314. Liv. 7, 10.| 601. *tibi*, v. G. 2, 206.| 603. v. vs. 290.| 606. Ex vulgari consuetudine ita institutas orationem: Ac ne forte matris iussa (quae vs. 619 sq. exponuntur) timeas, en omnem tibi eripiam nubem.| 613. *prima*, v. vs. 334. — iunge *furens vocat*, v. 5, 481.| 615. *Iam* respondet praegressae particulae *Hic* vs. 608 et 612, sed ita, ut animum vocet ad videnda maiora; adest in evertenda Troia etiam gravius numen, Pallas. — *respicere* dicitur saepe, qui in aliam partem vel ad aliam rem convertit oculos, cf. 3, 593. 6, 548. 7, 454.| 616. *nimbo eff.*: ita Venus acuit (vs. 604 sqq.) oculos Aeneae, ut e nimbo, quo dii circumfusi ad terram descendere solent, v. 8, 608, effulgere deam possit cernere. — *Gorgone saevă*, ut „saevus securi Torquatus" 6, 825, intentans scilicet hostibus aegidem cum capite Gorgonis horrifero. — Alii legunt *limbo* et *saevā*.| 617. *Ipse P.*, v. G. 1, 163. — *secundas*, quae eventum secundent.| 619. eripimus nos ex periculis; ergo *eripe fugam* videtur significare: fac fugias, cum periculum sit, ne mox potestas fugiendi sit nulla, s. fuge, dum licet.| 625. *Neptunia T.*, cf. Hom. Il. 7, 452 sq. 21, 446 sq.| 626. v. 1, 148.| 628. *Eruere*, perrumpendo radices scilicet; hinc paulo post: „iugis avolsa;" 5, 449 „radicibus eruta pinus.| 629. v. E. 3, 106.|

Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
Expedior; dant tela locum, flammaeque recedunt.
Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montis primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia
Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si caelicolae voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia et captae superavimus urbi.
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis
Exuviasque petet. Facilis iactura sepulchri.
Iam pridem invisus divis et inutilis annos
Demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa
Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.

632. *deo*, generis nomen, quo etiam deae comprehenduntur; nam Venus eum duxisse putanda est. || 634—725. *Anchises, diu reluctatus, tandem victus ostentis deorum comitem fugae se praebet.* | 635. *tollere*, ut debilem, cf. vs. 647 sqq. | 638. v. G. 4, 491. | 639. *stant.*, sustinent se, *suo rob.*, naturali et illibato. | 640. *agitare fugam*, ea facere sedulo, quae pertinent ad fugam exsequendam. | 643. urbi ab Hercule captae, v. 8, 291 et cf. Hom. 5, 640 sqq. | 644. *sic positus* (ut 4, 681), quemadmodum mortui solent, rectus extentusque; Eurip. Hippol. 786 „Ὀρθώσατ' ἐκτείνοντες ἄθλιον νέκυν." — *adfati* extremo illo *Vale, Vale, Vale;* cf. 6, 506. adde 11, 97. | 645. *mis. h. Exuv. p.:* Anchises in beneficii loco mortem ponit, quam hostis, exuvias petens, ipsi afferat. Sunt quaedam apud Virgilium manifestae imitationes Ciceronis; quare nescio an h. l. poeta illa meminerit, quae Cicero, mortem optans, scripsit ad Att. Ep. 9, 12, 4 „ne quid optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia liberemur." | 646. *Fac. i. sep.* Hoc a summa rerum omnium desperatione profectum, ut ne sepulchri quidem iactura moveatur; cf. Stat. Theb. 8, 736 sqq. | 647. *invisus d.*, quod inter vina apud sodales gloriatus est amore Veneris, ob id ab Iove fulmine ictus; Hygin. fab. 94, et cf. Hom. Hymn. in Ven. 287 sqq. — *inutilis*, Aesch. Prom. 371 „ἀχρεῖον δέμας." | 648. *annos demoror*, vitam moror et quasi impatientem huius morae et invitam retineo. | 649. Epicurei dicebant ventis gravidas esse nubes et ipsum fulmen esse ventum igneum, Lucret. 6, 273—75., aut vi venti extrinsecus venientis excuti fulmen nubibus, Lucret. 6, 294—97. Unde intelligitur, quare 8, 430 Cyclopes fulmini informato radios rutili tres ignis et alitis austri addiderint. — *adflavit*: Liv. 30, 6 „saucii *adflati*que incendio." | 651. *Eff. lacr.*, ut Val. Fl. 7, 34 „talique effunditur ira." Obtestati eum sumus cum multis lacrimis, ne ... vellet. | 652. *vert.*, evertere, perdere. | 653. *fato urg. incumb.*, ultro aggravare fatum urgens. | 654. Praepositio ad utrumque nomen pertinet: *in eodem incepto et in iisdem sedibus;* v.

Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto,
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti, tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto,
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Proelia. Numquam omnes hodie moriemur inulti.
  Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram
Insertabam aptans meque extra tecta ferebam.
Ecce autem conplexa pedes in limine coniunx
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?
  Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,
Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter maestorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex tactuque innoxia mollis
Lambere flamma comas et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit, et caelo palmas cum voce tetendit:

1, 544.| 656. *quae fort.*, quae salutis via.| 658. *t. nefas*, sermo suadens rem tam nefariam.| 663. v. 1, 99.| 667. cernam confundi sanguinem simul mactatorum.| 668. *Arma*, quae domum ingressus deposuerat.| 670. v. E. 3, 49.| 671 sq. v. vs. 393.| 673. *c. p.*, γούνων ἁψαμένη.| 678. *Cui relinquor?* sc. hostibus; et cf. 4, 323 sq.| 681. *inter* designat locum, in quo medio vel est vel fit aliquid: inter manus parentum Iulum amplectentium, ut 9, 502 inter manus gestantium. — *inter ora* invicem obversa.| 683. *apex*, flamma in apicis speciem acuminata. — *tactu innox.*, ut *mala tactu* G. 3, 416.| 688. *caelo*, v. E. 2, 30.| 690. *Aspice n. h. t.* Cuilibet Verbo adiungi potest Accusativus Substantivi significatione cum eo Verbo cognati, ut *ire iter s. viam*, *pugnam pugnare*, *furorem furere* 12, 680; similiter *aequora curro* 5, 235, quasi *curro cursum maritimum*; sed plerumque talis Substantivi loco ponitur Pronomen generis neutri, ut *id te hortor*, quasi *eum hortatum te hortor; quid me cogis? welchen Zwang thust du mir an?* Graece: τί, vel τίνα ἀνάγκην, ἀναγκάζεις με; infra 6, 466

Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos hoc tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit laevum, et de caelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram se condere silva
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos et sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est; sequor, et, qua ducis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem.
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis
Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici inponere nostrae;
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia coniunx.
Vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus,

„extremum fato, *quod* te adloquor, hoc est,“ i. e. extremam fatum mihi concessit hanc, *quam* te adloquor *adlocutionem*; v. etiam 8, 423. Eiusdem generis sunt *acerba sonare, crebra ferire, torva tueri, extrema gemere*. Itaque *aspice nos hoc tantum* i. q. hunc tantum aspectum nos aspice, *τοῦτο μόνον ἡμᾶς ἐπίβλεψον*, eatenus duntaxat res nostras aspice, i. e. omnis Troianorum fortuna cum corruerit, hanc tantum eius partem aspice. *Aspicit* autem, qui est propitius, non, ut iratus, avertit oculos. | 691. Alii *Da d. augurium*, quae lectio incertum est utrum excogitata sit a Probo grammatico, an in aliquo vetere exemplari ab eo inventa. — *haec om. firma:* Servius: „non unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili; nam si dissimilia sunt posteriora, solvuntur priora.“ cf. 8, 78. | 692. *Vix ... que*, Copulae *et*, *que*, saepe res coniungunt, quae nullo prope temporis intervallo sese excipere significantur, maxime post Particulam *vix*, cf. 3, 8. 5, 857. 8, 520. 11, 296; post *ubi* 12, 81. | 693. Tonitrua a laeva parte venientia fausta habebantur apud Romanos. | 697. in ipso cursu ista stella s. fax caelestis (v. G. 1, 365.) signa quaedam cursus sui (fulgorem quendam intellige) relinquit, et postquam condita est, tum omnis eius via, sulci instar in caelo quasi impressa, luce effulget. | 699. *se toll. ad aur.*, sublevat se oculosque ac manus convertit ad caelum. | 703. *in* (*sub* 9, 247.) *vestro numine*, in vestra tutela. Significat Anchises rem Troianam nondum prorsus perditam ac meliore fortuna in novis sedibus usuram. | 705. *clarior*, cf. vs. 301. | 711. v. G. 1, 335. — *longe*, vs. 725 *pone*, ne, si multi una irent, animadverterentur ab hostibus, cf. etiam vs. 716. | 713. *Est tum. urbe egressis*, sc. adversus. | 714. Proprie *templum* Cereris desertum erat, i. e. loco positum infrequenti, s. quo homines raro (aut numquam) solent accedere; cf. 3, 646. 11,

Religione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penatis;
Me, bello e tanto digressum et caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Haec fatus, latos humeros subiectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri; dextrae se parvus Iulus
Inplicuit sequiturque patrem non passibus aequis;
Pone subit coniunx.
Ferimur per opaca locorum;
Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis
Suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam, subito cum creber ad auris
Visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate: propinquant;
Ardentis clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor et nota excedo regione viarum,
Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
Venimus; hic demum collectis omnibus una

843. Tibull. 1, 1, 11.| 717. v. vs. 320.| 719. *fl. vivo*, aqua profluenti.| 721. v. 1, 225. — *subi. c.*, collum, quod subiicio recipiendo oneri.| 725. *P. s. coni.* cum suis comitibus, cf. vs. 744.|| 725—804. *Aeneas dum fugit cum suis, Creusam uxorem amittit inter trepidationem. Repetenti urbem obvia fit umbra Creusae eumque de suis utriusque rebus consolatur. Deinde Aeneas revisit suos magnamque multitudinem videt affluxisse paratam exsilio. Oriente luce secedit in montes.*| 726. *Et* h. l. inservit indicandae mirationi ex inexspectata rei mutatione natae.| 727. *adv. glom. ex agm.*, conferta multitudo ex hostili agmine collecta ad ipsum adoriendum.| 731. *Ev. viam:* videbar mihi iam omnem viam per urbem feliciter et sine periculo emensus; alii *Ev. vicem.*| 735. *male amicum*, infestum.| 736. *Conf. erip. m.*, confudit confusamque eripuit, ἐξέλετο φρένας.| 737. *regio* significat certum quendam tractum viae s. lineam quasi quandam, quam sequitur via, sive rectam sive obliquam, *die Richtung des Weges*; deflecto igitur de via nota s. vulgo trita, nec pergo ire, quo ea ducit; v. 9, 385. Liv. 21, 31 „recta regione iter instituit."| 738 sq. obscuritas ex brevitate latini sermonis; explicatius sic: fato est erepta, sive substitit, sive erravit via *cet.* Servius: „Ordo est: fato erepta Creusa substititne, erravitne via. Non enim dubitat fato esse sublatam, cf. vs. 777 sq." — *misero* mihi.|

Defuit, et comites natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penatis
Commendo sociis et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnis, omnemque reverti
Per Troiam, et rursus caput obiectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto, et vestigia retro
Observata sequor per noctem et lumine lustro.
Horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte, tulisset,
Me refero. Inruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammae, furit aestus ad auras.
Procedo et Priami sedes arcemque reviso.
Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo
Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
Praedam adservabant. Huc undique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensaeque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces iactare per umbram
Inplevi clamore vias, maestusque Creusam
Nequiquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quaerenti et tectis urbis sine fine furenti
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos et nota maior imago.
Obstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit.
Tum sic adfari et curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
O dulcis coniunx? non haec sine numine divom
Eveniunt; nec te comitem portare Creusam
Fas aut ille sinit superi regnator Olympi.

744. *fefellit*, ἔλαθε sc. μὴ συνεφεπομένη. | 754. *lum.*, oculis. | 756. iteratum *si forte* significat cupere nos fieri, quod sitne futurum, incertum est. | 758. *Ilicet*, v. vs. 424. | 761. *asylo*, templo; nam templa (non autem omnia) iis, qui culpam aliquam commiserant, praebebant perfugium; erat autem Iunonis templum in arce. | 764. *mens. deor.*, mensam in templo Iunonis Olympiae positam commemorat Pausan. 5, 20. Servius ad 8, 279 „Apud antiquos inter vasorum supellectilem etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur.“ | 765. v. 5, 663. et G. 2, 464. | 772. *Infelix s.*, quia ipsa Creusa infelix Aeneae videtur. | 773. *maior*, sic putabantur imagines mortuorum apparere, cf. Ovid. Fast. 2, 503. | 775. v. 8, 35. | 779. *Fas*, fatum, ut 6, 438. non fatum nec interpres fati, Iuppiter; similiter particula negativa, *non*, *nec*, sequente *aut* ad

Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris:
Illic res laetae regnumque et regia coniunx
Parta tibi. Lacrimas dilectae pelle Creusae.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divae Veneris nurus;
Sed me magna deum Genetrix his detinet oris.
Iamque vale, et nati serva communis amorem.
Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
Dicere deseruit, tenuisque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare bracchia circum.
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumpta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum, matresque, virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile volgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascumque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae
Ducebatque diem, Danaique obsessa tenebant
Limina portarum, nec spes opis ulla dabatur:
Cessi et sublato montis genitore petivi.

duo verba refertur vs. 785. 3, 43. 4, 501. 10, 528.| 780. *exsilia*, sc. obeunda sunt; v. 1, 426.| 781. *Et*, scilicet ita iactatus variis erroribus venies in Hesperiam. — *Lydius*, ex Etruria veniens; nam Etrusci a Lydis orti falso credebantur.| 782. *arva virum* appellat poeta imitatus Homericum illud et Hesiodium *ἔργα ἀνδρῶν* s. *ἀνθρώπων*, quod dicitur de opere rustico. Non igitur in desertam aliquam terram venturum Aeneam dicit, sed in eam, quae culta sit navorum hominum industria, *θάλλουσαν ἔργοις ἀνθρώπων*. — *agm.*, v. G. 1, 322.| 784. v. 1, 462.| 786. *matribus*, matronis.| 788. *m. d. G.*, Cybele me hic detinet, ut sim una ex eius comitibus; id quod refert etiam Paus. 10, 26, 1.| 791. cf. 4, 278.| 792. cf. Hom. Od. 11, 206 sqq.| 798. *pubem*, populum, ut 7, 219.| 801—804. *Iamque ... Cessi.* Copulae *et*, *que* ita praeponuntur enuntiatis tempus aliquod significantibus, ut animum attentiorem reddant ad ea, quae eo tempore evenerunt, cf. 3, 356 cum 358; 5, 721 cum 722; 10, 256 cum 258.| 804. *Cessi:* cedimus inviti. — *montes*, cf. vs. 636 et 3, 6.

AENEIDOS
LIBER TERTIUS.

(*Errores Aeneae.*)

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Inmeritam visum Superis ceciditque superbum
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,
Diversa exsilia et desertas quaerere terras
Auguriis agimur divom, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur,
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas,
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat,
Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troia fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis natoque Penatibus et magnis dis.
  Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hospitium antiquum Troiae sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis,
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

Aeneid. L. III. 1—72. *Aeneas iussu deorum novam quaerens patriam dum primum considit in Thracia, proterretur diris prodigiis per Polydorum oblatis.* | 3. *fumat*, v. 1, 99. — *Neptunia*, v. 2, 625. | 4. *Diversa exs.:* positum in contraria parte orbis terrarum exsilii locum, ut Ovid. Trist. 4, 2, 69 „procul Latio *diversum* missus in orbem;“ et cf. 1, 376. 11, 261. 12, 708. — *desertas* „a Dardano“ ait Servius; cf. vs. 94—97. 163—171. 7, 205—208. Auguria, quae Troianis obtigerant, ita interpretabantur, ut omnino statuerent terras quasdam diversas ac desertas petendas esse; desertas a Dardano significari, nondum sciebant; et quod Creusa 2, 781 sq. Aeneam in Hesperia ad Tiberim novum regnum conditurum dixerat, haec ipsa nomina Aeneae erant ignota, atque ipsum Hesperiae vocabulum, de quo aliquanto post certiora edocetur vs. 163 sqq., videri poterat nihil nisi plagam aliquam occidentalem indicare, praesertim cum *terram Hesperiam* nominasset Creusa, non simpliciter *Hesperiam.* | 6. *Antandrus* oppidum ad radices Idae. | 9. *Et*, v. 2, 692. — *fatis:* ut alias *ventis* dantur vela, ita h. l. *fatis*, cum, quibus danda essent ventis, non satis sciret Aeneas, cf. vs. 7. | 12. Penates ac dii magni sunt iidem; habet igitur copula h. l. vim declarandi, ut vs. 148. 336. 442. Hi penates cum praesides essent imperii (cf. vs. 158 sq., 8, 679 et v. 8, 636), ob eam ipsam causam videntur dii magni esse dicti; accedebat quaedam obscura religio, quod vulgo nesciebant, quibus nominibus singuli eorum appellarentur; quae ipsa obscuritas augere poterat venerationem, τὰ ἄδηλα γὰρ δεινότερα. | 13. *Mavort.*, Thracia sedes Martis, Hom. Od. 8, 361. | 14. *acri*, quia Bacchum eiusque nutrices infestissimo odio persecutus est, Hom. Il. 6, 130 sqq. | 15. *socii*, foederati, quod ipsi Troiani et Thraces foedere erant iuncti. | 16. *fuit*, perstitit, integra fuit. | 17. *ingressus* Thraciam. | 18.

Sacra Dionaeae matri divisque ferebam
Auspicibus coeptorum operum, superoque nitentem
Caelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor et caussas penitus temptare latentis:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestis
Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis,
Rite secundarent visus omenque levarent.
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Adgredior genibusque adversae obluctor arenae —
Eloquar, an sileam? — gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris:
Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges et iaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi, cum iam diffideret armis
Dardaniae cingique urbem obsidione videret.

v. G. 1, 137.| 19. *Dion. m.*, Veneri, cuius mater Dione. — *divis*, v. 8, 103.| 21. v. 2, 242.| 25. *ram. t.*, frondibus velarem, ut mos erat; cf. 2, 248 sq. G. 4, 276.| 26. Donat.: „*Horrendum* propter sanguinem; *mirabile*, quod fluebat de ligno.“| 29 sq. v. 1, 92.| 34. *Nymph.*, quae fruteto illi praeerant.| 36. *Rite*, videtur poeta hoc significare: solito diis more, cum novo ostento, quod sibi obtingere optat Aeneas, metum prioris volunt levare. — *visus*, Servius: „visa.“| 40. *edi* vox dicitur, cum solius loquentis, *reddi*, cum etiam audientis ratio habetur.| 41. *iam. p.*, noli lacerare amplius.| 43. *tulit*, protulit, genuit. — *aut*, v. 2, 779.| 46. *iaculis* tertius casus: seges illa crevit in iacula, proprie in hastilia, ex quibus conficiuntur iacula.| 47. v. E. 3, 106. — *ancipiti*, duplici, nata et ex viso sanguine et ex auditis verbis Polydori.| 50. *Infelix*, quia consilium Priami Polydorum in Thraciam, ut ibi tutus esset, mittentis infelicem habuit exitum; sic Dido *infelix* 1, 749., nescia, quid mali sibi impendeat.| 51. *regi* Polymestori.| 51 sq. Cum iam, post prima proelia adversa, desperaret

Ille, ut opes fractae Teucrum, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres primumque parentem
Monstra deum refero, et, quae sit sententia, posco.
Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus: et ingens
Aggeritur tumulo tellus; stant Manibus arae,
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso,
Et circum Iliades crinem de more solutae;
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis et sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii navis et litora conplent.
Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.
    Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,
Quam pius Arquitenens oras et litora circum
Errantem Mycono e celsa Gyaroque revinxit,
Inmotamque coli dedit et contemnere ventos.
Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro

Graecos propelli et ab obsidione urbis prohiberi posse. | 55. *Fas o. abr.*, omnia divina iura susque deque habuit, violato iure hospitii. | 56. v. 2, 690 et Liv. 4, 26 „siquidem cogi aliquid consules possent." | 57. v. G. 3, 272. | 61. *Linqui*, alii *Linquere*, v. E. 6, 85. — *d. class. a.*, dantur navibus venti, quasi vocati et postulati, cf. 4, 417. | 62. *et*, v. 4, 239. | 63. *tumulo*, in tumulum vs. 22 commemoratum. — *arae*, binae scilicet, cf. vs. 305 et E. 5, 67. | 64. *Caer.*, fuscis; et v. vs. 25. | 66. *Inf.*, proprie verbo usus est, unde dictae inferiae. | 67. *an. sep. Cond.*: vagabantur animae insepultorum corporum; facto tumulo oblatisque inferiis desinebant vagari ac sepulchro continebantur quietae; cf. 6, 325 sqq. | 68. v. 2, 644. | 69. v. E. 2, 26. | 70. v. G. 1, 163. | 71. *Ded.*, ἐρύουσιν εἰς ἅλα, nempe ante, quiescente navigatione, in litus subductas trabibusque fultas, Hom. Il. 14, 75 sq. Horat. Od. 1, 4, 2. || 73—131. *Deferuntur Troiani ad insulam Delum, ubi cum consultus Apollo eos incunabula gentis suae repetere iussisset, Anchises autem Cretam ostendi statuisset, eo contendunt.* | 74. *N. m.*, Doridi. — *Aegaeo*, cf. Hom. Il. 13, 20—22. — Ceterum v. E. 2, 24. | 75. cf. Hom. Il. 1, 37. | 76. *Errant.*, significatur Delos insula, quam instabilem antea et natantem Apollo ibi natus stabilivit, eoque se pium erga illam praestitit. — revinxit autem Delum quasi catenis quibusdam e Mycono ac Gyaro aptis, ut media esset inter utramque; Petron. ed. Burm. I. p. 885 „Mox illam geminis deus catenis hac alta Gyaro ligavit, illac constanti Mycono dedit tenendam." | 79. cf.

Occurrit; veterem Anchisen adgnoscit amicum.
Iungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis
Et genus et mansuram urbem; serva altera Troiae
Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium, atque animis inlabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei, totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia, et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt,
Quo Phoebus vocet errantis iubeatque reverti?
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras:
Creta Iovis magni medio iacet insula ponto;
Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna;
Maxumus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera

Ovid. Her. 21, 91 sq. | 83. *hospitio*, iure veteris hospitii. | 85. *propr.*, v. E. 7, 31. — *Thymbr.*, v. G. 4, 323. | 86 sq. *serva alt. Troiae Perg. rel. D.*, i. e. nos, qui ex caede reliqui nova Pergama condituri sumus. | 88. *Quem s.*, quem (quod indicium?) ducem sequi nos iubes? | 91 sqq. En signa dei praesentis: tremunt l i m i n a, sc. cum ipso templo, l a u r u s, quae est ante templum, m o n s vicinus, Cynthus, recluditur adytum, auditur sacerdotis ex tripode (c o r t i n a) vaticinantis vox pressa et mugienti similis; cf. Ovid. Met. 15, 634 sqq. | 91. v. E. 4, 51. | 92. *adytis:* „Caverna quaedam in templo Apollinis fuit, ad quam rapta Phoebas (i. e. sacerdos Apollinis) vaticinabatur.“ Servius. — *reclusis*, cf. 6, 81 sq. | 94. *Dard.*, Servius: „Dicendo *Dardanidae* ostendit Italiam, unde Dardanus fuit.“ cf. vs. 167. — *duri*, *πολυτλήμονες*, qui nullo labore aut casu frangi potuerunt, cf. 9, 468. | 97 sq. cf. Hom. Il. 20, 307 sq. | 102. *vet. volv. m. vir.*, repetens animo veterem memoriam nostrae gentis. | 106. cf. Hom. Il. 2, 649. | 107. *Maximus pater*, unde ipsi maiores orti, *ἀρχηγέτης τοῦ γένους*. — *si rite*, cf. vs. 180 sq. | 108. *Teucrus*, nepos Dardani. — *Rhoet.*, Troicas; Rhoeteum promontorium Troadis. | 109. v. 1, 425. | 110. *steterant*, v. vs. 403. | 111 sqq. *Hinc*, ex Creta, traductus est cultus Magnae Matris deorum. — *Cybelae*, montis in Phrygia. — *aera*, cymbala. — Hinc, ab Ida

Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et iuncti currum dominae subiere leones.
Ergo agite, et, divom ducunt qua iussa, sequamur;
Placemus ventos et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.
Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae,
Hoste vacare domos sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxon viridemque Donysam,
Olearon, niveamque Paron sparsasque per aequor
Cycladas et crebris legimus freta concita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur socii: Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis,
Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis,
Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos arcemque attollere tectis.
Iamque fere sicco subductae litore puppes;
Connubiis arvisque novis operata iuventus;
Iura domosque dabam: subito cum tabida membris,

Cretensi, Ida, mons Phrygiae, appellata, in quo monte nemus erat Matris deorum; hinc *fida sil. sacris*, i. e. mysteria Idaea; *sacris*, in sacris; hinc etiam illud, quod sedens in curru a leonibus vecto repraesentatur. | 116. quare Iuppiter? quia is novam patriam ex fato assignavit Aeneae (ignotum illi adhuc, quam?) 1, 257 sqq.; quare non patitur eum desidere Karthagine libro quarto, et infra vs. 171 „Dictaea negat tibi Iuppiter arva.“ | 118. *meritos*, cuique deo convenientes ac debitos. — *honores*, victimas; praeterea omnino ea, quae diis honoris causa offeruntur; cf. 1, 49. infra vs. 178. — *aris*, diis, quibus sacra fiunt in aris. | 120. *Hiemi*, v. 5, 772. | 125. v. G. 2, 487. Naxos Baccho sacra. — *iugis*, in iugis, montibus. | 126. *niveam*, candido marmore conspicuam. | 127. *c. fr. concita t.*, freta, in quibus magni concitantur fluctus, quippe qui propter vicinitatem multarum insularum se explicare lateque diffundere non possunt. Iam cf. Hor. C. 1, 14. 19 sq.: „Interfusa nitentes Vites aequora Cycladas.“ | 128 sq. *var. certamine*, dum alius cum alio certat studio classis propellendae. — *socii* navales qui dicuntur, ναυτικὸς λεώς. || 132—191. *Ibi peste ac fame vexante Troianos monitus a diis Penatibus Aeneas relicta Creta Italiam coepit petere.* | 132. *opt.*, unam ex urbibus desertis (vs. 123) optat sive legit, quam appellat Pergamum, eamque muris cingit additque arcem. | 133. *cognomine*, nomine urbis a pristina sua patria petito. | 134. *am. foc.*, adsuescere novis tectis, *sich heimisch machen; focos*, quia focus pars est domus sanctissima. — *arc. att. tectis*, exaltare arcem aedificiis, s. arcem, locum in urbe editum munitionibusque saeptum vel saepiendum, quasi celsiorem reddere inaedificando. | 135. *Iam fere*, ἄρτι, *eben*, cf. 5, 835 et v. 5, 762. — Cur autem puppes non prius sunt subductae? puta, quia ante perficienda fuerant potiora. | 137. *Iura*, v. 1, 507. — *domos*, non tum demum

Corrupto caeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues et letifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum sterilis exurere Sirius agros;
Arebant herbae et victum seges aegra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Temptare auxilium iubeat; quo vertere cursus.
    Nox erat, et terris animalia somnus habebat:
Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras;
Tum sic adfari et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit, et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor,
Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Inperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit
Delius, aut Cretae iussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem:
Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum terrasque requirat
Ausonias. Dictaea negat tibi Iuppiter arva.
Talibus attonitus visis et voce deorum —

domos dabat universis, sed domos ex nondum distributis assignabat iuvenibus, qui contrahentes matrimonia domo indigebant. 144. *veniam* erroris ex male intellecto oraculo, cf. vs. 181. | 145. Ex his „*veniam precari*“ elicies, quod desiderabis, „*simul percontari*,“ id quod ipsa res suggerit (parum est enim veniam precari, nisi simul quaeras remedia malorum) et conformatio orationis. — *fessis*, afflictis; cf. 11, 335. | 148. v. vs. 12. | 151. Alii *Insomnis*, cf. 1, 353. | 152. *fenestras insertas*, foramina luminis intromittendi causa in pariete facta vel potius relicta. | 158. *Idem*, v. E. 1, 33. — *t. in astra*, deos esse faciemus, Caesarem, Octavianum. | 162. *aut* saepe ponitur, ubi aliquid generaliter aut non satis accurate dictum explicatur verbis magis propriis ac definitis, ut h. l. *haec litora* vocabulo *Cretae*, i. e. in Creta. | 166. v. 1, 533. | 168. *Iasius*, frater Dardani. — *a quo*, Dardano. | 170. *Corythus*, conditor Cortonae; hic ipsa Cortona, urbs Etruriae,

Nec sopor illud erat, sed coram adgnoscere voltus
Velatasque comas praesentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor —
Corripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad caelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Adgnovit prolem ambiguam geminosque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto haec generi portendere debita nostro,
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait; et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus vastumque cava trabe currimus aequor.
Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullae
Adparent terrae, caelum undique et undique pontus,
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare magnaque surgunt
Aequora; dispersi iactamur gurgite vasto;
Involvere diem nimbi, et nox humida caelum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et caecis erramus in undis.

intelligenda, cf. 7, 209.| 173. *ὡς ὕπαρ εἶδον ὄνειρον*, Mosch. Idyll. 2, 16—19.| 174. *Velatas* vittis, cf. 2, 168. 296.| 178. *Intem. munera*, merum. — *honore*, v. vs. 118.| 180. *gem. par.*, cf. vs. 108.| 181. *novo veterum*, pertinet hoc ad ornatum poeticum, ut duo contraria ita componantur, ut alterum salva sententia abesse possit; Soph. Oed. R. 1 „*ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή·*“ infra vs. 716 „Sic pater Aeneas intentis *omnibus unus* Fata renarrabat divom.“ nisi forte dixeris primum erratum esse eo, quod in Thracia considere voluerint, alterum iam (*novum*) errorem hunc esse, quod veteres proavorum sedes exquirere iussi, vs. 96, Cretam significari existimaverint.| 182. *Il. exerc. f.*, quem fata Iliaca adsuefecerunt ad tolerandas res adversas, cf. 5, 725.| 184. *repeto* memoria, eam port.| 190. Secundum historiam; Sall. Cat. c. 6 „Troiani Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur.“ — *paucisq. rel.*, puta eos ex Aeneae comitibus, qui Pergami (cf. vs. 133), oppido etiam Virgilii aetate superstite, remanserunt.|| 192—288. *In eo cursu Troiani oborta tempestate ad Strophadas insulas appulsi infestantur ab Harpyiis acceptoque ab una earum horrendo vaticinio rursus in altum evehuntur, delatique ad litora Actiaca sollemnes ludos instituunt, quod salvi effugerant pericula ab hostibus Graecis undique imminentia.*| 195. inhorrescere dicitur mare agitari coeptum ac segetis vento impulsae instar fluctuans, cf. G. 3, 199. — *tenebris*, fluctibus nigricantibus.| 196. *magna s.*, alte adsurgunt, cf. G. 3, 28.| 199. nubes fulmine rumpi putabantur eoque effici tonitrua.| 200. *caecis*, incertis, nam cum nulla

Ipse diem noctemque negat discernere caelo,
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt, Strophades Graio stant nomine dictae,
Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum voltus, foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus, ecce
Laeta boum passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus nullo custode per herbas.
Inruimus ferro, et divos ipsumque vocamus
In partem praedamque Iovem; tum litore curvo
Exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.
At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes contactuque omnia foedant
Inmundo; tum vox taetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas arisque reponimus ignem:
Rursum ex diverso caeli caecisque latebris
Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,

apparerent sidera, incerti erant Troiani, qua in parte maris versarentur.| 203. *Tres adeo*, totos tres dies, cf. 7, 629 et v. 4, 533. — *incertos*, cum parum constare videatur, verseturne sol in caelo, an non; cf. 6, 270; *certus Titan*, sol nulla nubecula obtusus, ap. Valer. Fl. 2, 57.| 206. *volv. f.*, signum terrae habitatae, Hom. Od. 1, 58. 10, 99.| 207. *rem. insurg.*, elevato maiorem ad nisum corpore incumbimus remis.| 208. v. 4, 583.| 210. *stant* de perpetuitate nominis intelligendum; Valer. Fl. 8, 217 „Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae.“| 211. v. E. 3, 79.| 212. postquam expulsae sunt ex domo Phinei a Zete et Calai.| 221. *nullo cust.*, ut armenta deo alicui sacra, *ἀνειμένα*, Harpyiis scilicet, cf. vs. 247.| 222. v. 2, 409.| 223. pars praedae diis voveri solebat, Liv. 5, 21 „in partem praedae vocati dii.“| 224. *Exstr. t.*, congeriem caespitum in modum tororum struimus.| 226. Hom. Il. 3, 5 „*κλαγγῇ ταίγε (γέρανοι) πέτονται.*“| 230. v. 1, 165.| 231. cf. vs. 223.|

Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac iussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enses et scuta latentia condunt.
Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii, et nova proelia temptant,
Obscenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam nec volnera tergo
Accipiunt, celerique fuga sub sidera lapsae
Semiesam praedam et vestigia foeda relinquunt.
Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis
Et patrio Harpyias insontis pellere regno?
Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta.
Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxuma pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam portusque intrare licebit;
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi, nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.
Et pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Di, prohibete minas: di, talem avertite casum,
Et placidi servate pios! Tum litore funem
Deripere excussosque iubet laxare rudentis.
Tendunt vela Noti; fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.
Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos

236. *Haud. s. ac. i. f.*, faciunt, ut imperatum est. | 237. *lat. cond.*, abscondunt, quo fit, ut lateant. | 239. *Mis.*, cf. 6, 164 sq. | 240. *nova*, quia novum est obscenas p. f. f. v. | 241. *Obsc.*, v. G. 1, 470. | 247. *pro caede*, pro eo, quod greges nostros cecidistis, v. vs. 221. | 249. *patrio*, quod est patris nostri (sive Ponti sive Neptuni). | 250. *Acc. an.*, cf. Hom. Il. 1, 297. | 251. Aesch. Eum. 19 „Διὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας πατρός.“ | 253. *vocatis*, invocatis, ut secundent cursum; cf. 5, 772 sqq. 5, 59 „*Poscamus* ventos.“ | 255. *datam*, fato vobis concessam. | 256. *caedis*, tentatae duntaxat. | 257. cf. 7, 112 sqq. | 260. *armis quaerere pacem;* hoc *quaerere* repetes ex verbo *exposcere.* | 262. *obsc.*, v. vs. 241. — *pelagi*, v. vs. 249. | 265. deest *inquit*, ut 10, 279, *inquam* 2, 657. 675. | 266. *funem*, v. G. 1, 457. | 267. *excussos*, qui ante complicati fuerunt. |

Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi et parvae succedimus urbi;
Ancora de prora iacitur, stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti
Lustramurque Iovi votisque incendimus aras,
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii; iuvat evasisse tot urbes
Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiemps aquilonibus asperat undas;
Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.
Linquere tum portus iubeo et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
Protinus aerias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus portuque subimus
Chaonio et celsam Buthroti accedimus urbem.

274. *Leuc.*, v. 8, 677. | 275. *Apollo*, templum Apollinis, quod ad Actium erat in promontorio. — Liv. 22, 19 „nondum aperientibus classem promontoriis," i. e. in conspectum dantibus. | 277. v. 10, 268. | 278. *insperata*, referendum hoc ad pericula vs. 282 sq. commemorata. | 279. Antequam ludorum sollemnia rite celebrari possint, expiatione et lustratione opus est; cui deo sacrum piaculare offerebatur, ei (hic *Iovi*) lustrari dicebantur; Grat. 491. — *votis*, donis ex voto debitis. — Ceterum eadem verborum constructione usus est Aeschylus Agamemn. 91 „*βωμοὶ δώροισι φλέγονται.*" | 280. Finxit hoc Virgilius Imperatori Augusto gratificaturus, qui victo ad Actium Antonio ludos ibi instituit celeberrimos, coniunctos fortasse cum antiquis illis, quos Callimachus et Strabo (l. 7. p. 325 extr.) memorarunt. | 281. *patrias*, quales in patria exercere solebant. — *oleo l.* certaturi, lucta maxime, oleo se ungebant; *labente*, diffluente. | 283. cf. vs. 272. | 284. circumvolvendo se sol *efficit* annum, itaque, hoc ipsum ut significetur, poeta ausus est dicere *sol circumvolvitur annum*, usus *συντάξει πρὸς τὸ νοούμενον*, ut Horat. Ep. 2, 2, 125 „Satyrum movetur," i. e. saltat (saltando imitatur) Satyrum. — *magnum*, cf. 1, 269. | 286. v. 5, 663. | 287. *postibus* templi. — *rem*, *τὸ ποιούμενον*. | 288. *haec*, vel *fixit* repetes ex superiore versu vel intelliges *dedicavit*, quod verbum in titulis donariorum solet omitti, ut E. 7, 29. — *de Danais*, i. e. Abanti, Graeco homini, a se ad Troiam occiso, erepta; Liv. 25, 29 „nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusque tropaea, tua de nobis." || 289—355. *Ab Actio profectus Aeneas venit ad Epirum, ubi ab Heleno vate, filio Priami, qui captivus Neoptolemum eo secutus erat et ducta in matrimonium Andromacha, prius Hectoris, post Neoptolemi uxore, tum ibi regnabat, benigne excipitur.* | 291. cf. Hom. Od. 5, 279 sq. — *Phaeac. arces*, montes Corcyrae. — *abscond.*, procul visa porro navigantibus interposito mari paulatim absconduntur et e conspectu abeunt; contrarium est *aperiri* vs. 275, adde 206. | 292. *portu*,

Hic incredibilis rerum fama occupat auris
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstipui, miroque incensum pectus amore,
Compellare virum et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classis et litora linquens,
Sollemnis cum forte dapes et tristia dona
Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem et Troia circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio, calor ossa reliquit;
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit et omnem
Inplevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subiicio et raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco;
Ne dubita, nam vera vides.
Heu! quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?
Deiecit voltum et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis

ut „subeunt luco“ 8, 125.| 297. cedere alicui dicuntur, quae in potestatem eius aut possessionem veniunt; cf. vs. 333. 12, 17.| 298. *amore*, cf. 8, 184.| 301. *dapes*, intellige χοάς, mel cum vino et lacte.| 302. *falsi*, quia nomen a vero Simoente, fluvio Troadis, ad hunc ab Heleno translatum est, cf. vs. 336. 349 sq. et 497.| 303. v. vs. 68.| 304. *inanem*, significatur cenotaphium.| 305. *geminas*, v. vs. 63. — *caus. l.*, quia adspectus tumuli ararumque desiderium ac dolorem refricat.| 307. *monstris*, re monstri simili.| 308. v. G. 3, 272.| 310. *Adfersne te mihi* ut (ὡς) *vera facies* viri, cuius speciem habes? ut *verus nuntius* rerum tuarum? cf. vs. 337 sqq. Secundum consuetudinem diceres *veram faciem, verum nuntium*, cf. 1, 314. 5, 373. 12, 860.| 316. *extr. p. o.*, per summa pericula.| 318. *revisit*, obtigit tibi, cf. 11, 426. E. 1, 30. — Reticet Aeneas tamquam incredibile, vs. 294, quod audierat vs. 296, tecte tamen per verba *aut* ... *revisit* significans cupere se id verum esse.| 319. *Hectoris Andr.*, ut apud Ennium *Hora Quirini*, Plin. Ep. 2, 20, 2 *Verania Pisonis*, Quintil. 6, 3, 74 *Domitia Passieni*. — Ipsa res indicat non ignorasse Aeneam, quid Pyrrhus putaverit sibi licere in servam Andromacham, cf. vs. 325 sq., cui rei Aeneas honestum vocabulum connubii praetendit, sermone usus indignitatem fortunae Andromachae querente: esne adhuc (*servas connubia*) coniux Pyrrhi, deterrimi hostis, tu, cui olim gloriari licebat coniugio Hectoris?| 321. *Pr. v.*, Polyxena;

Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa diversa per aequora vectae
Stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum,
Servitio enixae, tulimus; qui deinde, secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptae magno inflammatus amore
Coniugis et scelerum Furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine Campos
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne? et vescitur aura,
Quae tibi iam Troia —
Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans longosque ciebat
Incassum fletus, cum sese a moenibus heros

cf. Ovid. Met. 13, 439—448. | 323. sorte captivae suis heris assignabantur in partitione praedae. | 326. Servius: „*Stirpis Achilleae* cum magno dolore dictum, quia ab Achille Hector occisus est.“ | 327. *Serv. enixae*, peperi ei serva filium, Molossum. — *secutus*, cf. E. 2, 64 sq. | 329. me famulo suo transmisit et famulam me ei transmisit; atque ea re factum est, ut vel invita in matrimonium Heleni venire debuerit. Ea, quae coniungi solent (hunc in modum: *me famulo famulam transmisit*), copula interposita haud sine ratione diremit poeta, cf. 5, 447 „Ipse *gravis graviterque* concidit;“ v. G. 2, 290. | 331. *Coniugis*, Hermiones ei a patre desponsae. | 331 sq. Delphis ante aram patri Achilli, tamquam heroi, factam. Auson. Epit. Her. 9 „Impius ante aras quem fraude peremit Orestes; quid mirum? caesa iam genetrice furens.“ | 333. *reddita*, ad alium, nempe ad ipsum Helenum, translata. Servius tradit datam esse a moriente Neoptolemo partem Epiri Heleno, qui vera vaticinando illum prohibuerit, quominus una cum ceteris Graecis rediret, quo in reditu classem eorum offensa Minerva pessumdedit, cf. 1, 39 sqq. | 334. qui Campi antea dicti sunt, cognominavit Chaonios s. Chaonas, v. 12, 845. Servius „Epirum campos non habere omnibus notum est; sed constat ibi olim regem nomine Campum fuisse eiusque posteros Campylidas dictos. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam uxorem (tradunt) et de nomine soceri Campos, de nomine Chaonis Chaonas dixisse.“ | 335. *a Chaone*, qui vel frater Heleni fuisse traditur, vel, orta pestilentia, ex responso pro communi salute immolandum se obtulisse. | 336. v. vs. 12 et 302. | 339. v. 1, 546. | 340. Apertum est Andromacham velle aliquid quaerere de Creusa; quod sentiens Aeneas vultu motuque aliquo manus mortuam esse significare putandus est; itaque Andromacha orationem imperfectam relinquens pergit de Ascanio quaerere. Conveniunt talia dramatico poemati, non conveniunt epico. Sed non est dubium, quin hic locus inter emendandos relictus sit a Virgilio. | 343. Creusa fuerat soror Hectoris. | 344 sq. Servius: „*longos* et *incassum* bene addidit, ut

Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
Adgnoscitque suos, laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
Adgnosco, Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis;
Aulai medio libabant pocula Bacchi,
Inpositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Iamque dies alterque dies processit, et aurae
Vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro:
His vatem adgredior dictis ac talia quaeso:
Troiugena, interpres divom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis
Et volucrum linguas et praepetis omina pennae,
Fare age — namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere et terras temptare repostas;
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et tristis denuntiat iras,
Obscenamque famem — quae prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus, caesis primum de more iuvencis,
Exorat pacem divom, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit,
Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea, — nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata deum rex

femineos monstraret affectus." | 348. Quomodo conciliabis has lacrimas cum laetitia vs. 347 commemorata? cf. Liv. 27, 17, 16 „gaudio lacrimantes." | 351. exosculari postes solebant in patriam reduces. | 354. *Aul. med.*, in atrio. | 355. v. 9, 489. — *dapibus*, iis quidem, quae diis offerrentur. || 356—462. *Helenus Aeneae praecipit, quae Italiam sedemque Troianis fato concessam petens vel observare, vel vitare, vel facere debeat.* | 356. v. 2, 801. | 357. *aurae Vela v.*, invitant, ut vela pandantur. | 359. cf. Hom. Il. 6, 76. | 359 sq. *deum* sentit, qui divino quodam spiritu afflatus futura praedicit; *tripodas*, qui tripodi insidens, ut Pythia Delphis, vaticinatur; *Clarii laurus*, qui in luco Apollinis Clarii edit oracula, sic quidem, ut ipsi illi tripodes ipsaeque lauri facultatem eius rei tribuant. — *sidera*, cf. 4, 519. | 362 sq. *Religio*, auspicia atque oracula, *prospera*, res prosperas nuntians. | 363. *numine*, v. 8, 78. | 367. *Obsc.*, v. vs. 241 et G. 1, 470. | 370. Dum sacra facit, ex more vittatus est; idem resolvit vittas, cum vaticinaturus est, quia in vaticinatione ut animus, ita corpus nulla re vinctum atque impeditum esse debebat. Eae res in sacris veterum non erant mera, quae vocamus, symbola, sed corporis animique ea existimabatur consociatio, ut animus aeque eadem re afficeretur ac corpus. | 372. *multo susp. num.*, plenum horroris nati ex efficacissima vi (*multo numine*) praesentis dei. | 374—380. Pauca tibi expediam: docebo te ea, quae tutam tibi praestent navigationem; tum dicam signa,

Sortitur volvitque vices, is vertitur ordo —
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Aequora et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno.
Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor
Infernique lacus Aeaeaeque insula Circae,
Quam tuta possis urbem conponere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto:
Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fetus enixa iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati,
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxuma quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge; cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos

quae monstrent locum, quo considas in Italia. Cetera prohibent Parcae me scire, quamquam illud quidem ex fatorum ratione, vicibus et ordine *(Art und in einander greifender Gang)* manifesto apparet maioribus te resque maximas portendentibus auspiciis (sc. ipso Iove auspice) navigare. — *Sortitur v. vices*, sortiens fata vicissitudinem eorum constituit, v. 1, 9. — *e multis*, non quasi ipse multa sciat, sed quia videt multa dici posse ab eo, qui fata illa penitus norit. — *hospita*, peregrina, v. vs. 539, 6, 93. — *vetat fari*, nempe vetat Parcas ea fari Heleno. Alii interpungunt: *Scire, Helenum farique v.* | 382. *Vicinosque*, „cuiusque portus ut vicinos paras invadere," v. G. 3, 283; prorsus similiter 10, 243 „clipeum cape, quem dedit ipse Ignipotens atque (et cuius) oras ambiit auro"; adde 12, 944. — *ignare*, Donat.: „ut ignarus putas"; ergo portus opinione tua vicinos. | 383. *dividit Italiam*, i. e. eam partem Italiae, quae tibi est petenda, longa via distinet (cf. E. 1, 67) ab Epiro; in eam enim partem qui classe pervenire vult, ei via interclusa (*invia*) est longis terris ante circumnavigandis, eoque ipsa fit *longa*. | 384. *lentandus*, Apollon. Rhod. 2, 593 „*ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι, ἠΰτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἡρώων.*" Cat. 62, 183 „incurvans gurgite remos." | 386. *Inf. lac.*, lacus Avernus, cui propinqua spelunca, per quam patet descensus ad inferos; 6, 237. — *Ae. i. C.*, cf. Hom. Od. 10, 135 sq. | 387. *conpon.*, et ponere et res eius ordinare. | 389. *secreti*, in parte secreta, ab hominum frequentia remota, fluminis Tiberis, cf. 8, 82. | 390 sq. cur potissimum sus apta ad tale prodigium? quia ut ait Cic. N. D. 2, 64, sue nihil genuit natura fecundius. — *triginta*, et Servius h. l. et ipse, ut videtur, poeta (8, 47) hunc numerum refert ad Albam triginta post annis conditam. | 395. *Fata*, v. 1, 2. — *viam*, rationem expediendi illius oraculi. — *Apollo*, praeses oraculorum. | 399. *moenia*, Locros Epizephyrios, quae existimabatur colonia Locrorum Opuntiorum,

Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes
Et positis aris iam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast ubi digressum Siculae te admoverit orae
Ventus et angusti rarescent claustra Pelori,
Laeva tibi tellus et longo laeva petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
Haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina —
Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas —
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem et navis in saxa trahentem.
Prima hominis facies et pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema inmani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circumflectere cursus,

quorum erat urbs Naryx. | 401. **Lyctus** oppidum Cretae, **Meliboea** Thessaliae. | 402. Servius „Multi ita intelligunt, non *Philoctetae Petilia*, sed *Philoctetae muro*". utrum verius? Idem Servius „ait Cato a Philocteta condita iam pridem civitate murum tantum factum." — *subnixa*, vel confisa sive tuta, vel quod, ut auctor est Coelius Antipater, imposita erat excelso muro. | 403. *steterint*, Futur. exact. verbi *sisto*, ergo *stabunt*, ut *steterant* vs. 110 stabant. | 405. *velare*, Imperat. Passivi, cf. vs. 545 et v. E. 3, 106. | 406. v. G. 3, 486. | 407. *occurrat*, oculis tuis. — **omina** prospera disperdat, quae ex sacrificio sperare licuerit. | 408. *hunc morem* obnubendi capitis in sacris omnibus, praeterquam Herculis et Saturni; et cf. vs. 545. | 411. proprie *angusta cl. P.*, v. E. 9, 46. Et *claustra P.* significant fretum Siculum; nam venientibus de mari Ionio propter curvaturam litorum *clausae* videntur illae angustiae, quae appropinquantibus *paulatim aperiri*, *rarescere*, videntur. | 413. *undas*, sc. dextras; cf. 4, 11. | 414. *ruina*, motu terrae. | 416. *protinus*, continue, *διηνεκῶς*. | 417. *medio*, v. 1, 126. | 419. *ang. aestu*, aqua in angustiis freti aestuante. | 420 sqq. de Charybdi cf. Hom. Od. 12, 101 sqq., de Scylla Hom. Od. 12, 85 sqq. | 422. *Sorb. in abr.*, cui contrarium illud de typhone apud Plin. N. H. 2, 48, 132 „sorbet in excelsum." | 426 sq. *Prima — postrema*, *πρόσθεν — ὄπισθεν*. | 428. v. E. 3, 106. Scylla inferiore sui parte luporum s. canum (vs. 432) *προτομαῖς* cincta erat et desinebat

Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cymaeam accesseris urbem
Divinosque lacus et Averna sonantia silvis,
Insanam vatem aspicies, quae rupe sub ima
Fata canit foliisque notas et nomina mandat.
Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum atque antro seclusa relinquit.
Illa manent inmota locis neque ab ordine cedunt;
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Inpulit et teneras turbavit ianua frondes,
Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs aut iungere carmina curat;
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet possisque sinus inplere secundos,
Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet, cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam.
    Quae postquam vates sic ore effatus amico est,

in caudas delphinum.| 435. Cic. Ep. ad Att. 11, 9, 3 „Quibus in miseriis una est pro omnibus." — alii *praeque*; cf. 12, 229.| 437. *primum*, praeter cetera, ut 4, 342. 5, 746. 6, 183. 11, 786. 12, 33; additur etiam interdum a poeta *ante omnes*, 2, 40. 5, 540.| 438. *cane*, vota verbis quibusdam certis sollemnibusque *(carmine)* concipiebantur.| 439. *supera*, expugna, placa eius iram. — *victor*, compos voti.| 442. v. vs. 12. — *divinos*, sacros, Diti fortasse, quia per Avernum descensus ad inferos patere credebatur; v. vs. 386.| 443. *Ins. v.*, numinis plenam, ἔνθεον, Sibyllam.| 444. „foliis palmarum," Varro. — *not. et nom.*, litteras et verba.| 446. *in. num.*, ordinem.| 454. *vi cursus i. a. V. v.*, quamvis iter institutum flagitet velificationem.| 455. *secundos*, ut secundo vento intumescant.| 457. *Ipsa*, cf. 6, 74—76. — *volens* significat animum paratum ad gratificandum; itaque frequentatur in illa precum formula *volens propitius adsis*, Liv. 7, 26; similiter *velis* 1, 733.| 459. v. G. 1, 419.| 462. redde factis tuis Troiam ingentem, ut gloria eius ad caelum efferatur.|| 463—505.

Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Inperat ad navis ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeae cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;
Remigium supplet; socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo compellat honore:
Coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniae tellus; hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est;
Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra
Provehor et fando surgentis demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu maesta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori,
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.

Acceptis donis hospitalibus discedit Aeneas.| 464. *graviá s.*, 12, 363 „Chloreaqué Sybarimque" et in metro choriambico Terent. Adelph. 4, 4, 4 „Mémbra metú ⁝ débiliá ⁝ súnt; animús" *cet.* Ceterum cf. Hom. Odyss. 19, 564.| 465. *st. c.*, v. 1, 195.| 466. v. 1, 640. — *Dodon.* putabimus Dodonae olim nobilia opera ex aere facta esse.| 467. *Lor. c. h.*, *ἁλυσιδωτόν*, *aur. tril.* ipsi hami ex filis aureis triplicatis facti erant.| 468. *con. i. g.*, galeam puta cum insigni cono.| 470. *add. duces*, secundum historiam, cuius studiosissimus est Virgilius in rebus Aeneae exponendis; nam *ἡγεμόνας τῆς ναυτιλίας συνεκπλεῦσαι Αἰνείᾳ* ex Epiro ait Dionys. 1, 32; neque obstant huic explicationi, quae leguntur vs. 569; putabimus enim duces ab Heleno datos esse, qui Adriaticum quidem mare, inprimis periculosum navigantibus, nossent, non etiam Siculum, quod nemo tum intrabat, nisi quem venti eo abripuissent. Alii d u c e s volunt esse agasones.| 471. *Remig. suppl.*, addit remiges (qui succederent in locum eorum, qui aut invalidi essent, aut mortui, aut etiam relicti vs. 190) in supplementum, sive, ut ait Liv. 26, 39 „supplevit remigio naves."| 472. *aptare*, v. 4, 482.| 474. *hon.*, Iustin. 15, 1 „adiecto honore verborum." Sueton. Octav. 66.| 476. *bis*, v. 2, 643.| 477. *h. arripe*, ad hanc s u m m o s t u d i o pertende eamque invade; cf. 9, 13. 11, 531.| 484. Andromache donat auro intextas vestes Aeneae, puta, et Anchisae; Ascanio chlamydem illorum donorum honori, i. e. praestantiae et pulchritudini, non cedentem, praeterea eidem alia textilia plurima.| 486. *et haec*, praeter pretiosam illam chlamydem ex antiquis opibus sumtam, haec quoque dona textilia, per se quidem illis viliora, sed ipsius largientis manu facta.| 487. *longum*, quia numquam desitura est Andromacha eum amare.| 488. *tuorum*, v. 12, 947.| 489. *super*, quae superes,

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.
Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Iam suà; nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies; nullum maris aequor arandum,
Arva neque Ausoniae semper cedentia retro
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus, melioribus, opto,
Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Graiis.
Si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva
Intraro gentique meae data moenia cernam,
Cognatas urbes olim populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Troiam animis; maneat nostros ea cura nepotes.
    Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,
Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor inrigat artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus et omnis
Explorat ventos, atque auribus aera captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia caelo,
Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt caelo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus
Temptamusque viam et velorum pandimus alas.

superstes, v. 4, 684.| 490. cf. Hom. Od. 4, 149 sq.| 496. cf. 6, 61.| 498 sq. ut melioribus, quam vera Troia, auspiciis condita sit, opto, et ut minus sit exposita hostibus.| 503. *Epiro*, *Hesperia*, *τοὺς μὲν ἐν Ἠπείρῳ, τοὺς δ' ἐν Ἑσπερίᾳ*, v. 7, 226.| 505. v. 2, 171. — *nepotes:* Augustus condita in Epiro post victoriam Actiacam Nicopoli sanxit, ut Nicopolitani pro cognatis observarentur a Romanis.|| 506—587. *Provecti Troiani naves appellunt ad Acroceraunium, promontorium Epiri; inde praeternavigant oram Italiae, appropinquant freto Siculo noctuque ignari viae accedunt ad litora Cyclopum Aetnae propinqua, ibique noctem horroris plenam transigunt.*| 509. *Stern.*, cf. G. 4, 432. — *gremio*, in gremium, v. E. 2, 30.| 510. *Sort. r.*, i. e. vices remorum, sive postquam, quibus proximo die vicibus remigaremus, sortiti eramus; quod quare iam tum faciendum fuerit, declarant ea, quae leguntur vs. 512—519. Prop. 3 (4) 21, 12 „Remorumque pares ducite sorte vices.“| 511. cf. 1, 692.| 512. *orbem*, caelum. — *horis acta*, Servius: „per horas suas decurrens.“ Alii *Horis*, quae praesunt vicissitudini temporum anni, non temporibus diurnis nocturnisque.| 514. *aur. a. capt.*, explorat auram auscultans strepitum maris.| 517. *Arm. auro*, Servius: „quia et balteus eius et gladius clarissimis fingitur stellis.“| 518.

Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Cum procul obscuros collis humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit inplevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Di maris et terrae tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Iam propior, templumque adparet in Arce Minervae.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Obiectae salsa spumant adspargine cautes;
Ipse latet; gemino demittunt bracchia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes et frena iugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima accepit ovantis,
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxuma, rite
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.
Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,

constare, composita et tranquilla esse. | 523 sq. *Italiam ... Italiam*, ut θάλαττα! θάλαττα! apud Xen. Anab. 4, 7, 24. Alius animi affectus cernitur in ter repetito nomine Eurydices G. 4, 525—27. | 525. cf. G. 2, 528. | 527. *in puppi*, ubi tutela collocata erat, h. e. simulacrum dei, cuius tutelae navis erat credita; quando in prora? v. 5, 775. | 528. Servius: „*Di maris*, per quod navigo; *terrae*, ad quam iturus sum.“ Ut Iunonem, inimicissimam sibi, Aeneas inprimis venerari iubetur vs. 437 sqq., ita Anchises alterum inimicum numen, Minervam his terris praesidentem, non praetereundum sibi arbitratur. | 529. *F. v. vento f.*, date navigationem commoditate venti adiutam. — *sp. s.*, facite, ut spirent aurae secundae. | 530 sq. *Crebr.*, v. 5, 764. — Portus Veneris, qui erat ad Hydruntum in Apulia; imminet ei Arx s. Castrum Minervae. | 535 sq. Portus, qui ex alto accedentium adspectui patescit (vs. 530), propius admotis litusque legentibus (vs. 532) occulitur (*latet*) per rupes (brachia ab utroque latere portum amplectentia et quasi muros efficientia) obiectas, templumque, quod ab alto intuentibus in litore situm videtur, quasi retrocedit appropinquantibus, utpote in colle positum. | 537. *pr. om.*, quod Italia primum obtulit. | 539. *hosp.*, v. 3, 377. | 541. v. E. 5, 29. G. 1, 305. | 542. *iugo*, cum sunt eidem currui iuncti, id quod dicimus *im Gespanne*. | 544. cf. vs. 531. | 545. cf. vs. 405. | 546. cf. vs. 436 sqq. | 548. *ordine*, rite. | 549. *obvert.*, terrae, ut ventus a terra veniens implere vela posset.

Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur; attollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa
Audimus longe fractasque ad litora voces,
Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.
Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii, pariterque insurgite remis.
Haud minus ac iussi faciunt, primusque rudentem
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;
Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in caelum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manis imos desedimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit,
Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.
    Portus ab accessu ventorum inmotus et ingens
Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla,
Attollitque globos flammarum et sidera lambit;
Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.
Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgueri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
Inpositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.

— *velatarum*, velis indutarum. | 551. *si v. e. f.*, si verum est ab Hercule (non a Tarante, filio Neptuni) conditum esse. | 552. in promontorio Lacinio erat celebre templum Iunonis Laciniae. | 554. *e fl.*, ab alto. | 556. *fract. voces*, fragorem maris, cf. vs. 669. | 557. *misc.*, agitantur in fundo maris et mixtae inter se sursum trahuntur. | 558 sq. *haec illa* (αὕτη ἐκείνη). sic loquuntur Romani, cum ex rerum certarum recordatione coniecturam capiunt haud dubiam, cf. vs. 410—421 et v. 7, 255. | 560. *Erip.* nos e periculo | 561. v. vs. 236. — *rud.*, graviter gementem, quippe summa vi contortam. | 564. *curv. g.*, cf. Hom. Il. 4, 426. — *idem*, v. E. 1, 33. | 565. *desed.*, Perfectum verbi *desido*, cf. 5, 841. 10, 301. E. 7, 1. | 567. *rorant. a.*, aquam alte eiectam roris instar guttatim deferri vidimus, v. vs. 619. | 571. portus *ipse*, i. e. solus per se spectatus, tranquillus est, sed Aetna in vicinia tonans implet eum horrore. — *tonat ruinis*, fragore resonat, quem faciunt ruinae viscerum montis, cf. vs. 575 sqq. | 579. *mole hac*: in soluta oratione diceres: mole ingenti huius montis, qui illi (Encelado) impositus exspiret fl. — *insuper*, v. 1, 61. | 580. *flammam* ab Encelado proflatam, quae

Noctem illam tecti silvis inmania monstra
Perferimus, nec, quae sonitum det caussa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus, obscuro sed nubila caelo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera iamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri miserandaque cultu
Procedit supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira inluvies inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis; at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit
Arma procul, paulum aspectu conterritus haesit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit: Per sidera testor,
Per superos atque hoc caeli spirabile lumen,
Tollite me, Teucri; quascumque abducite terras;
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penatis.
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque inmergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.
Dixerat, et genua amplexus genibusque volutans
Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quae deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuveni, atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, Troiam genitore Adamasto
Paupere — mansissetque utinam fortuna! — profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores socii vasto Cyclopis in antro

perrupit montem caminosque sibi fecit.| 583. monstri instar Troianis erat strepitus ille ab Aetna editus, cum nocte oppressi, prospectu etiam per silvam prohibito, causam eius rei cognoscere nondum potuissent.| 585. *neque* ... *nec*, v. G. 4, 198.|| 588—654. *Proximo mane Aeneas Achemenidem, socium Ulixis ibi relictum, recipit supplicem, isque de Cyclopum, ea loca tenentium, maxime Polyphemi, immanitate exponit.*| 593. *Resp.*, convertimus oculos ad eum, v. 2, 615.| 594. *cet. Gr.* Servius: „habet enim unaquaeque gens incessum et vocem propriam;“ adde formam oris.| 595. Resecuisset haec poeta, si licuisset retractare; potuit enim ea res ipsi nota esse, Aeneae nondum potuit. — *in armis*, indutus arma, cf. 4, 518 et v. 5, 37.| 600. *lumen*, auram, quippe pellucidam.| 606. v. E. 2, 53.| 607. v. G. 1, 163.| 609. v. 1, 195.| 611. *pignore*, data dextra; *praesenti*, pollenti, i. e. in quo magna est fides.| 614 sq. v. 2, 86.| 615. *mans.*

Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis
Intus, opaca, ingens; ipse arduus, altaque pulsat
Sidera — Di, talem terris avertite pestem! —
Nec visu facilis nec dictu adfabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud inpune quidem; nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus vinoque sepultus
Cervicem inflexam posuit, iacuitque per antrum
Inmensus, saniem eructans et frusta cruento
Per somnum commixta mero, nos, magna precati
Numina sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes et altis montibus errant.
Tertia iam Lunae se cornua lumine conplent,
Cum vitam in silvis inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremesco.

ut. fort., utinam pauper, ergo domi, manere maluissem. | 618. *sanie*, *dapibus*, Ablativi qualitatis; domus foeda dapibus et sanie; similiter *vestes ostro superbo* 1, 639. Hom. Od. 9, 289 sq.: *σὺν δέ δύω μάρψας ... ποτὶ γαίῃ κόπτ᾽· ἐκ δ᾽ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν*, et 373 sq.: *φάρυγος δ᾽ ἐξέσσυτο οἶνος ψωμοί τ᾽ ἀνδρόμεοι· ὁ δ᾽ ἐρεύγετο οἰνοβαρείων.* | 619 sq. cf. vs. 665. Ut Manium nomine (vs. 565) locum profundissimum, ita caeli (2, 186. 3, 678. 4, 89. 8, 99), astrorum (3, 567. 5, 759) et siderum (3, 574) vocabulis immensam altitudinem significant poetae. | 621. Stat. S. 3, 3, 72 „Terribilem adfatu visuque tyrannum." | 624. *resupinus*, Servius „magnitudo virium ostenditur, quod una manu, quod resupinus [humi iacens], quod frangeret, quod elideret non in terram, sed ad saxum sublimitus quateret." | 627. *tepidi*, quippe calorem vitalem adhuc retinentes, id quod Ach. etsi non videre, scire tamen potuit; tremunt enim, quod sunt adhuc tepidi. | 629. Ithacus appellatur a Virgilio Ulixes, ubi tangitur eius vafrities, tamquam hoc traxerit a patria; cf. 2, 104. 122 et v. 6, 511. | 634. Hom. Od. 9, 331 sq. — *vices*, quod cuique esset agendum. | 637. Clipeus ab Argivis inventus rotundus erat et magnus. | 639. v. G. 1, 457. | 643. *volgo*, passim, cf. 6, 283. | 646. v. 2, 714. | 647. „ab rupe prospicio," quia „in silvis" arbores

Victum infelicem, bacas lapidosaque corna,
Dant rami, et volsis pascunt radicibus herbae.
Omnia conlustrans hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quaecumque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam;
Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.
Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum et litora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Trunca manu pinus regit et vestigia firmat;
Lanigerae comitantur oves; ea sola voluptas
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu, graditurque per aequor
Iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito, tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem inmensum tollit, quo pontus et omnes
Contremuere undae, penitusque exterrita tellus
Italiae, curvisque inmugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus et litora conplent.
Cernimus adstantis nequiquam lumine torvo
Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Iovis, lucusve Dianae.

prospectum adimebant. | 650. *vols. rad. h.*, i. e. radices herbarum. | 652. *fuisset*, v. 2, 136. | 653. *Addixi* tamquam proprium. | 654. *an. hanc*, v. 2, 140. || 655—718. *Viso ipso Polyphemo excitisque eius clamore Cyclopibus Troiani solvunt naves, ac litora Siciliae legentes perveniunt Drepanum, ubi Anchises diem obit supremum. Inde cum repetissent mare, in Africam tempestate auferuntur.* | 658. v. G. 2, 441. | 659. *regit* eum, ut vs. 650 *pascunt* sc. *me.* — *manu*, quae est in manu eius, quam gerit manu; v. G. 1, 430. | 662. *ad a. v.*, in altum processit. | 663. *inde*, sumpta ex mari aqua. | 664. *gemitu*, v. 2, 323. | 667. *sic m.*, hoc ipsum (ut reciperetur) merito. | 669. v. vs. 556. — *ad s.*, eo, unde sonitus auditus. | 670. *adfect.*, attingere, navem scilicet. | 671. *aequare sequendo:* non potest ita sequi, s. non tanta est ipsius celeritas, ut aequare possit, nedum superare, celeritatem, qua fluctus classem propellebant. | 677. *nequiqu.*, quia nocere non poterant abeuntibus nobis. | 679. *qu. cum*, v. E. 8, 85. | 681. *s. a. Iovis*, v. G. 2, 15 et cf. G. 3, 332. — D i a n a infera, s. Proserpina, cui

Praecipitis metus acer agit quocumque rudentis
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
[Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter, utramque viam leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus; certum est dare lintea retro.]
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae Megarosque sinus Thapsumque iacentem.
[Talia monstrabat relegens errata retrorsus
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.]
Sicanio praetenta sinu iacet insula contra
Plemyrium undosum; nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare; qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Iussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus, et fatis numquam concessa moveri
Adparet Camarina procul campique Geloi,
[Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.]
Arduus inde Acragas ostentat maxuma longe
Moenia, magnanimum quondam generator equorum;

cypressus sacra.| 682 sq. *quoc. ... secundis*, abire, quocumque venti ferant.| 684—686. Ladewigius haec (ut taceam alios acutos homines, qui ea explicare conati sunt) in hunc fere modum interpretatur: „Acer metus subigit socios Aeneae naves vento permittere. Cum autem futurum esset, ut Euronotus, quem tum flavisse ostendat versus 671, ad Scyllam et Charybdim classem reiiceret, Aeneas socios praesentiore periculo perculsos frustra iubet meminisse praecepta Heleni. Tum exortus repente Boreas omni periculo Troianos exsolvit. Verbis *certum est ... retro* pertinaciam sociorum indicari statuit Ladewig.; utramque, Scyllam, ac Charybdim, dici viam, quae tenui limite Troianos a leto separet; denique *ni* esse i. q. *ne*.“ — Praestiterit fortasse iungere *viam leti* et verbis *discr. parvo* eam subiicere sententiam, ut neget (vide, quam lepide!) quisquis est horum versuum artifex, multum interesse, a Charybdi absorbearis an voreris a canibus Scyllae.| 687. *caelo*, v. E. 2, 30.| 687. *angusta*, quia Pelorum ad angustias maris erat positum, cf. vs. 411. — Ceterum ad nomen Pelori ceteraque, quae proximis versibus posita sunt nomina, referre licet illud, quod legitur 6, 777 „Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.“| 688. Pantagiae fluvii ostium altis utrimque rupibus cingitur; et v. 1, 167.| 692. *sinu*, v. E. 5, 29. — *contra*, e regione Plemyrii.| 693. v. G. 1, 137.| 695. cf. E. 10, 1 et 4.| 696. *Ore*, fonte; per fontem tuum erumpens.| 697. *Iussi*, ab Anchise?| 699. *proi. s.*, Hom. Od. 13, 97 sq.| 700. Camarinam paludem, a qua Camarina oppidum nomen accepit, cum contra responsum Apollinis (*μὴ κίνει Καμάριναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων·*) exsiccassent Camarinenses, oppidum ab hostibus per exsiccatam ingressis captum est. — *moveri* dicuntur, in quibus aliquid novatur, mutatur.| 702. *Immanis fluvii*, Ovid. Fast. 4, 470 „vorticibus non adeunde Gela.“ *fl. cogn. d.*, cognominis fluvio. — Ceterum corripitur a Romanis altera syllaba nominis *Gela*; nec *fluvii*, quod illa aetate *fluvi* et scribebatur et pronuntiabatur, locum habet in Virgiliano carmine.| 704. Spectat poeta ad Agrigentinorum studia

Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus,
Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optume, fessum
Deseris, heu, tantis nequiquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus adpulit oris.
Sic pater Aeneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat divom, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

AENEIDOS
LIBER QUARTUS.

(*Dido amore Aeneae capta spe coniugii amissa mortem sibi consciscit.*)

At regina gravi iamdudum saucia cura
Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram,
Cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!

equos alendi, quos ad ludos Olympiacos, Pythios, alios, certandi causa mitterent. | 706. *dura saxis caec.*, fundum scopulosum habentia. — *caecis*, latentibus 1, 108; et v. 1, 356. | 707. *inlaet.*, quia is ager arenosus erat et sterilis. | 711. quare *nequiquam?* | 716. v. vs. 181. | 717. *Fata divom*, a diis constituta, ut 4, 614; *vota deum* 11, 4. ea, quae diis vovimus. — *renarrab.*, non iterum narrabat, sed quasi repraesentabat ea, quae evenerant, narrando; cf. 7, 167. | 718. *quievit*, non cubitum ivit, sed finita narratione rediit ad habitum compositum et quietum.

Aeneid. L. IV. 1—89. *Dido, animo opera Cupidinis labefactato* (1, 720 sqq.) *primum afficitur perturbatione illa (cura), qua occipientes amare, sed dissimulantes amorem, agitantur; deinde, Annae sororis sermone confirmata, iam tota est in amore.* | 1 sq. saucii esse, vulnus habere, sive alere, quod verbum perpetuitatem quandam significat, dicuntur amantes vel amare occipientes, quippe sagittis Cupidinis fixi. — *venis*, in venis; quippe proditur illa animi affectio commotis venis sive concitatione sanguinis. — *caeco*, v. G. 3, 210. | 3. *Multa* ... *multus rec.*, i. e. multum recursat. | 4. *gentis*, cf. vs. 12. 10, 228. | 6. Aurora h. l. facere dicitur, quod fit matutino tempore; cf. vs. 607. | 9. *in-*

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes,
Quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum:
Degeneres animos timor arguit: heu, quibus ille
Iactatus fatis! quae bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum inmotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset,
Huic uni forsan potui succumbere culpae.
Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei
Coniugis et sparsos fraterna caede Penatis,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Inpulit. Adgnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum servetque sepulchro.
Sic effata sinum lacrimis inplevit obortis.
    Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua maerens carpere iuventa,
Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas

somn., „*βαρεῖς ὄνειροι,*“ quales terrent amantem Medeam apud Apoll. Rhod. 3, 636. — *susp. terr.*, terrent suspensamque reddunt, v. vs. 298.| 11. *Quem s. o. f.*, quanta est in ore eius dignitas, v. 5, 273. — *armis*, v. 3, 413; et intelliges a r m o s, humeros, ut 11, 644, non a r m a. Ceterum cf. Val. Fl. 1, 434 „humeri f o r t e s spatiumque superbi p e c t o r i s.“ Ulixes apud Hom. Il. 3, 194 „*εὐρύτερος ὤμοισιν ἰδὲ στέρνοισι ἰδέσθαι.*“ et cf. Odyss. 6, 235. Ipsa Venus pueri Aeneae pulchritudinem praedicat Hymn. in Ven. 279 sq.| 12. *nec v. f.*, nec vanum est, quod aiunt.| 13. *Deg.*, ignobiles vilesque; cf. Tac. Ann. 12, 63.| 14. *can.*, v. 9, 621.| 17. a m o r f e f e l l i t me (diuturnum scilicet coniugium sperantem), m o r t e Sychaei d e c e p t a m meaque spe deiectam.| 19. *potui*, v. G. 3, 453. A. 2, 55. — c u l p a cernitur in amore, qui fidei erga Sychaeum adversari videatur.| 21. cf. 1, 349.| 22. cf. 11, 609.| 24. Notum est illud Homericum: *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.*| 26. Alii *Erebo.*| 27. Propert. 2, 25, 25 „Aut *prius* infecto deposcit praemia cursu, Septima *quam* metam triverit *ante* rota.“ — P u d o r h. l. spectat ad reverentiam priori coniugio habitam, et laudi erat matronis apud Romanos, uno marito contentas esse.| 28 sq. *meos amores abstulit*, nihil igitur loci novo amori reliquit.| 32. *maer. carp.*, carperis maerore. — *Sola*, cf. vs. 82.| 33. *Ven. praem.*, *δῶρα Ἀφροδίτης*, *φίλια δῶρα Κυπρίας* ap. Pind. Ol. 1, 120.| 34. *Man. sep.*, Manes sepultorum, nihil iam curantium res humanas.| 35. *aegram* dolore amissi pristini coniugis. — *mariti*, v. 2, 344.| 36. *Tyro*, a Tyro, Tyrii, ut „*Curibus Clausus*“ 10, 345. adde 10, 183. Caes. B. Civ. 1, 24 „*Cn.*

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna
Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, caussasque innecte morandi,
Dum pelago desaevit hiemps et aquosus Orion,
Quassataeque rates, dum non tractabile caelum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido
Candentis vaccae media inter cornua fundit,
Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,

Matius Cremona.“| 37. *triumphis dives*, bellis inter incolas assidue agitatis infestata proptereaque dives triumphis.| 41. *infreni*, frenis ad regendos equos non utentes. — *inhospita* ob crebras Nasamonum in illa maris parte praedationes; Lucan. 9, 440 „Nasamon, quem mundi barbara damnis Syrtis alit.“| 42. *deserta*, infrequenter habitata, v. 2, 714.| 44. cf. 1, 361 sq.| 45. cf. vs. 59.| 46. Alii *Huc*, v. 6, 18.| 49. *rebus* a coniuncto utroque populo gerendis, cf. 3, 462.| 50. *veniam*, favorem, et cf. vs. 9.| 51. *Ind. hosp.*, operam da colendo demerendoque hospiti.| 53. cf. 1, 551.| 55. *Sp. d. d. m.*, cf. vs. 9. — *solv. pud.*, v. vs. 27.| 56. *pac.*, cf. 3, 370. — *per a.*, cf. vs. 58 sq. Praepositione *per* significantur arae diversis locis positae.| 57. *mact. de more bid.*, ovis sollemne in placandis diis sacrificium. Oves anniculae binos dentes gignunt ceteris eminentiores, bimae quattuor; unde intelligitur et quae causa vocabuli bidens fuerit et quae aetas ovium apta sacrificiis habita sit. Servius 6, 39 iungens *lectas de more* „De more antiquo, inquit: ne habeant caudam aculeatam, ne linguam nigram, ne aurem fissam.“| 58. *Leg. C.*, θεσμοφόρῳ· Calvus poeta: „Et leges sanctas docuit (Ceres) et cara iugavit Corpora connubiis et magnas condidit urbes.“| 63. Dido *instaurat diem donis*. Instaurare sacrificia dicitur, qui ea repetit, maxime, ut hoc loco, si non est perlitatum; *dona* sunt sacra diis oblata; instaurant diem, qui iteratis eodem die sacrificiis perlitare tandem cupiunt.| 64. v. G. 3, 189.| 65 sq. Noli iungere *mentes vatum*, sed *ignarae vatum*, quippe non videntes, quae tali cupidi-

Quid delubra iuvant? est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore volnus.
Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per moenia ducit,
Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit;
Nunc eadem labente die convivia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit suadentque cadentia sidera somnos,
Sola domo maeret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coeptae adsurgunt turres, non arma iuventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta minaeque
Murorum ingentes aequataque machina caelo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori,
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,
Una dolo divom si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit veritam te moenia nostra

tate obstricta sit, ei non esse opus vatibus atque extispicio, nihil igitur prodesse suscepta vota, nihil adita delubra; „sua cuique deus fit dira cupido“ 9, 185. — *vatum ignarus* 8, 627, sed non eodem sensu.| 75. *opes*, magnificum ornatum urbis, testem opum. — *paratam* recipiendis Troianis sede carentibus; cf. 1, 557 et 573 sq.| 80 sq. *lum. premit*, condit, dum occidit; occidente sole (vs. 77) coepta convivia, luna vicissim (nos: *ihrerseits*, Galli: *de sa part*) occidente digrediuntur.| 82 sq. stratis *relictis*, ab Aenea modo scilicet digresso.| 85. detinemus, quem, ut diutius nobiscum esse velit, delenimus blanditiis, illecebris. — fallit amorem, qui facit, ut in praesens minus sentiatur amor.| 86. *arma*, ferrum, unde fiant arma, cf. 8, 424.| 88. pendere dicuntur ea, quae intermittuntur. — *minae*, v. 1, 162.| 89. *machina*, turres per murum dispositae.|| 90—128. *Iuno, quo Aeneam avertat ab Italia, agit cum Venere, ut cum bona eius venia liceat Aeneae Didonem uxorem ducere; quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit.*| 94. cavillans puerum appellat Iuno, quem filium appellari decebat. — *magn. et m. numen*, magnum et m. divinae potentiae signum est. Alii *nomen.*| 96. *Nec me adeo f.*, nec, ut tu reris, me fugit. Per Particulas *nec adeo* (nostrum *nicht etwa*) reiicitur interdum cum quadam vi, quod

Suspectas habuisse domos Karthaginis altae.
Sed quis erit modus, aut quo nunc certamina tanta?
Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.
Olli — sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras —
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis,
Miscerive probet populos, aut foedera iungi.
Tu coniunx; tibi fas animum temptare precando.
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Iuno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru caelum omne ciebo.
Diffugient comites et nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux et Troianus eandem

putamus ab aliis cogitari. Plaut. Rud. prol. 36 „Neque is adeo propter malitiam patria caret.“ | 101. v. G. 3, 272. | 102. *paribus auspiciis*, communi aequalique imperio; petitum hoc a magistratibus Romanorum, qui cum imperio coniunctum habebant auspicium; propterea auspicium saepe i. q. ipsum imperium. Ceterum v. G. 2, 290. | 103 sq. En fastidiosam improbationem coniugii cum peregrino (et Phryge, inviso Iunoni, et exsule) initi, quale displicebat cum aliis, tum Romanis. — *liceat* Didonem *servire.* | 104. *Dot.*, quasi dotis nomine traditos. — *dextrae*, fidei ac tutelae tuae. | 106. quo fieret, ut non Karthagini Italia imperaret, sed Italiae Karthago. | 109. *fact.*, ubi id effectum fuerit, cf. vs. 99. | 110. *fatis inc. f.*, i. e. fatis fit, ut ferar incerta, sive: quae mea est scientia fatorum, incerta sum, si *cet*, cf. 1, 261 sqq. *Ferri* autem dicitur interdum, cui mens vagatur adempta verum certumque videndi potestate, ut 10, 630 „ego veri vana feror.“ | 115. *Mecum erit i. l.*, *συνέσται ἐκεῖνος ὁ πόνος ἐμοί*, i. q. *ἐγὼ συνέσομαι ἐκείνῳ πόνῳ*, i. e. meus erit; ut apud Liv. 23, 33 „tertia victoria *cum Poenis* erat.“ Terent. Phorm. 5, 8, 90 sq.: „una iniuria est *tecum*, ... altera est *tecum*, Chreme,“ i. e. tua. | 115. *quod instat*, *τὸ προκείμενον*, id quod iam peragendum est. | 117. *miserrima*, misere amans. | 121. *alae*, equites dici ait Servius; quippe, ut alarii equites in acie peditatui, sic hi Didoni atque Aeneae a latere circumfusi erant, „alae venantum“ Sil. Il. 2, 419, aperta imitatione Virgilii vestigia persecutus. — *Dum trepidant*, dum hi equites, comites venationis, toti sunt in negotio, dilapsi in omnes partes vel ad observanda retia, ut vult Donatus, vel

Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo;
Hic Hymenaeus erit. — Non adversata petenti
Adnuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
It portis iubare exorto delecta iuventus;
Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exspectant, ostroque insignis et auro
Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro; crines nodantur in aurum;
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites et laetus Iulus
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnis
Infert se socium Aeneas atque agmina iungit.
Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit ac Delum maternam invisit Apollo
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
Ipse iugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens atque inplicat auro,
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Aeneas; tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montis atque invia lustra,
Ecce ferae, saxi deiectae vertice, caprae
Decurrere iugis; alia de parte patentis
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi

ad silvam corona claudendam.| 126. v. 1, 73.| 127. *Hic H. e.*, hic aderit (mecum) Hymen.| 128. *dolis ris.*, ut *aliqua re gaudere*, *dolere*. — *repertis*, ab Iunone excogitatis.|| 129—172. *Dido et Aeneas una venatum profecti subita tempestate ab Iunone concitata oppressi veniunt incomitati in idem antrum ibique connubio iunguntur.*| 131. *rara* dicuntur filis aut virgis ita raris (non condensatis) et inter se distantibus texta, ut crebra relinquantur intervalla; cf. Ovid. Met. 12, 437. — *plagis*, quae crassiore filo et angustis erant maculis, validiores ferae capiebantur.| 132. *od. can. vis*, quorum vis inprimis in sagacitate spectatur; tractum hoc ex consuetudine Homeri, apud quem est *βίη Πριάμοιο, βίη Ἡρακληείη, μένος Ἀλκινόοιο.*| 138. in nodum collectus capillus, *κόρυμβος*, fascia vel retiolo aureo continebatur.| 139. *fibula* cinguli scilicet; cf. 1, 492. 11, 776.| 142. *agm. iung.*, adiungit suum agmen agmini Didonis; cf. 2, 267. 11, 145.| 143. Hieme Pataris in Lycia exacta verno tempore Apollo Delum ad festorum sollemnitatem venit.| 146. Undique enim confluebant homines ad sacra Apollinis Delii celebranda. — Pompon. Mela 2, 1, 10 „Agathyrsi (Sarmatae) ora artusque pingunt iisdem omnes notis, et sic, ut ablui nequeant."| 148. *fing.*, componens. — *inpl. a.*, aureo diademate cingit.| 149 sq. tam alacri gressu et tam pulcher incedebat Aeneas. *Tela s. h.*, cf. Hom. 1, 46.| 152. *deiectae*, prae-

Pulverulenta fuga glomerant montisque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo, iamque hos cursu, iam praeterit illos
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
　Interea magno misceri murmure caelum
Incipit; insequitur commixta grandine nimbus;
Et Tyrii comites passim et Troiana iuventus
Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros
Tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum; fulsere ignes et conscius aether
Connubiis, summoque ulularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit; neque enim specie famave movetur
Nec iam furtivum Dido meditatur amorem;
Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
　Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,
Fama, malum qua non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, virisque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira inritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis,
Monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.
Nocte volat caeli medio terraeque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno;
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,

cipiti saltu delatae.| 155. *fugà gl.*, glomeratim fugiunt per campos. — in soluta oratione diceres *montibus relictis*, cf. 2, 749.| 158. *dàri*, offerri sibi.| 166 sqq. *Prima T.*, antiquissima deorum, Hes. Theog. 44 sq., quae, ut prima coniugio iuncta parensque omnium, et ipsa praesidebat nuptiis. — Dato signo fiunt ea, quae continentur verbis „*fulsere* ... *Nymphae.*" — *fulsere ignes et aether*, i. e. aether fulsit ignibus. — Ignes illi caelestes sunt pro facibus, quae in nuptiis praeferebantur, laetus ululatus Nympharum pro hymenaeo. — *Connubiis*, tertius casus; Ovid. Met. 6, 588 „nox *conscia sacris.*"| 170. *specie non movetur*, oblita est decoris.|| 173—278. *Postquam ex rumore a Fama disperso rem comperit Iarbas vicinus regulus, unus e procis Didonis*, vs. 36, *Iuppiter precibus eius auditis mittit Mercurium, qui Aeneam iubeat relicta Karthagine Italiam petere.*| 174 sqq. Alii *quo*. — Iuvabit comparare Ovid. Met. 12, 39 sqq.| 176. Principio (v. E. 6, 1) parva est metu, metuens scilicet, ne redarguatur.| 177. cf. Hom. Il. 4, 442 sq.| 178. *ira inr. d.*, irata diis propter Titanos in Tartarum coniectos et oppressos Gigantas. Coeus e Titanum, Enceladus ex Gigantum numero.| 181. v. G. 2, 441.| 186. *custos*, „speculatrix, ne quid eam

Turribus aut altis, et magnas territat urbes,
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean, Troiano sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum inmemores turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis atque aggerat iras.
  Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Iovi centum latis inmania regnis,
Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divom aeternas, pecudumque cruore
Pingue solum et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi et rumore accensus amaro
Dicitur ante aras media inter numina divom
Multa Iovem manibus supplex orasse supinis:
Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Aspicis haec? an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequiquam horremus, caecique in nubibus ignes
Terrificant animos et inania murmura miscent?
Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit ac dominum Aenean in regna recepit.

praetereat“ Servius. — *tecti* ... *turribus*, hoc significat domos principum, illud domos civium; boc spectat ad res publicas, illud ad privatas.| 193. cf. 8, 86. — *hiemem fovere* breviter dictum pro: fovere se, molliter se habere per hiemem.| 194. *Regnorum*, haec Karthaginis immemor, ille Italiae, cf. vs. 267.| 200 sq. *vig. i. Exc. d. aet.*, Donatus: „hoc est, qui semper necessariis nutrimentis fotus exstingui non posset proindeque excubias diis continuas exhiberet.“ — Ex consuetudine diceres *posuerat* ... *sacraverat*; sed *posuit* scripsit poeta, usus principali Tempore, quod verbis *templa centum posuit* res primaria continetur, ad quam inprimis attendere vult legentem.| 202. *solum* et *limina* sunt Nominativi, v. 1, 639.| 203. mens ea pars animi, in qua ratio et consilium consistit; quare est apud antiquiores poetas (Lucret. 3, 615. 6, 118. Catull. 65, 4) *mens animi*, quos imitatus Virgilius *amentem animi* eum dixit, qui est animi dolore iraque perturbati; et v. G. 4, 491. 2, 441.| 204. *int. numina d.*, inter praesentium deorum simulacra; v. 2, 178.| 206. *nunc*, postquam me auctore te (Iovem Hammonem) colere instituerunt, cf. vs. 199 sq.| 207. *epulata*, quia post epulas libationes fiebant.| 209 sq. *caeci*, ut non feriant eos maxime, quos debent ferire; *inania*, ut non terreant, quos debent, improbos. — ut mare, cum turbatur, *misceri* dicitur, sic *murmura* tonitruum, quia percusso turbatoque aere excitantur.| 212. *pretio* soluto, cf. 1, 367. — *litus*, terram puta infecundam et angustam.| 213. *leges*, ius, imperium.| 214. *in regna*, in societatem regni, cf. vs. 102 sq. et

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
  Talibus orantem dictis arasque tenentem
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit
Regia et oblitos famae melioris amantis.
Tum sic Mercurium adloquitur ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros et labere pennis,
Dardaniumque ducem, Tyria Karthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbes,
Adloquere et celeris defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promisit Graiumque ideo bis vindicat armis;
Sed fore, qui gravidam inperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum
Nec super ipse sua molitur laude laborem,
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur,
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget! haec summa est; hic nostri nuntius esto.
  Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Inperio; et primum pedibus talaria nectit,
Aurea, quae sublimem alis sive aequora supra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant;
Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco

374.| 215—217. *ille P.*, molliculus et γυναιμανής. — *semiviro*, propter vestitum cultumque Phrygium, qui mulieribus potius conveniens muliebrem etiam animum prodere videbatur Romano homini, cf. 9, 614—20. 12, 99 sq. — Phryges (quo nomine saepe Troiani appellantur a poetis) et, ut Servius tradit, M a e o n e s s. Lydi utebantur m i t r a, i. e. pileo quodam incurvo, unde pendebant fasciae, quae subter mentum colligari solebant; itaque *mentum cr. m. Subn.* i. q. mitra subligatum habens mentum crinemque unguentis madentem; quidquid autem subligatam sibi habet aliquam rem, id s u b n i x u m ea re videri potest; alii *subnexus*. — *rapto*, uxore mihi praerepta.| 218. *quippe* locum habet in ironia. — *famam* originis, cf. vs. 198.| 219. precantes solebant aram manibus tangere, cf. 6, 124.| 223. *v. Zeph.*, qui te celeriter deferant, cf. 5, 607. — *pennis*, significantur talaria, calceamenta alata Mercurii.| 225. cf. 1, 258.| 228. *bis*, semel cum Diomede congressum, cf. Hom. Il. 5, 311 sqq., tum in excidio Troiae.| 229. *grav. inp.*, multos habituram populos potentes, quibuscum postea Romani de imperio certarunt, Latinos, Etruscos, Samnites, Campanos.| 231. *prod.*, propagaret. — *sub l. m. o.*, orbi victo leges imponeret, per posteros suos scilicet.| 232. si nulla est tantarum rerum gloria, quae animum accendat.| 235. v. E. 2, 53.| 236. cf. 6, 763 sqq.| 237. *hic n. n. e.*, haec nuntia meo nomine; et v. 2, 171.| 238 sqq. cf. Hom. Od. 5, 43 sqq. 24, 1 sqq.| 239. *et* ponitur interdum, ubi res aliqua universe significata *(p a r e r e p a r a b a t)* dividitur in suas partes, ut 3, 62 sqq.| 240. *alis*, v. vs. 223.| 242. *evoc. O.*, ut Protesilaum, et cf. Aesch. Pers. 632

Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos et turbida tranat
Nubila; iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit, avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta.
[Haud aliter terras inter caelumque volabat
Litus arenosum ad Libyae ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.]
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit. Atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena
Demissa ex humeris, dives quae munera Dido
Fecerat et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Karthaginis altae
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, caelum et terras qui numine torquet;
Ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum
Nec super ipse tua moliris laude laborem,
Ascanium surgentem et spes heredis Iuli
Respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus

sq. H. | 243. *Ἑρμῆς ψυχοπομπός.* | 244. *Dat somnos*, ut προστάτης ὕπνου, cf. Hom. Od. 24, 2—4, eosdemque adimit, quodque plus est, resignat lumina mortuis (*morte* ablativus temporis), i. e. aperit oculos morte clausos, s. revocat mortuos in vitam. | 245. *Illa fretus*, illius ope *agit*, impellit, ut volatum suum secundent. | 252. *par. alis*, expansis tantummodo, non commotis; quippe leni utitur volatu demittens se ad terram, prorsus ut aves sidere volentes. Iridi (9, 14) satis est ad volandum expandere tantum alas aequaliter. — *Cyllen.*, v. 8, 138 sq. | 253. *toto corp.*, omni libramento corporis. — 254. *avi*, λάρος est apud Hom. l. l. | 261. *Atque* in re non exspectata, necopinata, mirationem faciente, v. E. 7, 7. Plaut. Capt. 3, 1, 19 sqq.: „Quo imus una ad prandium? atque illi tacent... Ubi cenamus, inquam? atque illi abnuunt.“ | 264. v. 9, 489. | 265. v. G. 3, 163. | 268. *deum*, qui casus? | 269. *torquet*, versat. Cic. Acad. 2, 39 „terra circum axem se summa celeritate convertit et *torquet.*“ cf. 9, 93. | 274. cf. 1, 267. | 276.

Mortalis visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas aspectu obmutuit amens,
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga dulcisque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu inperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
Classem aptent taciti sociosque ad litora cogant,
Arma parent, et, quae rebus sit caussa novandis,
Dissimulent; sese interea, quando optuma Dido
Nesciat et tantos rumpi non speret amores,
Temptaturum aditus, et quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Inperio laeti parent ac iussa facessunt.
At regina dolos — quis fallere possit amantem? —
Praesensit, motusque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti
Detulit armari classem cursumque parari.
Saevit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur, qualis commotis excita sacris

tali ore, oratione, sic.| 277. *medio*, v. 9, 657.|| 279—392. *Aeneas parat discessum. Infelix Dido frustra primo ad preces, deinde ad iram vertitur.*| 282. *deorum*, Iovis, v. E. 3, 7.| 283. quibus verborum delenimentis circumveniat furentem.| 285. diversa quoniam divisa sunt, non coniuncta; propterea ipsum animum diversa cogitantem *dividi* ait. Homerus: *διάνδιχα μερμήριξεν*. — *celer.*, Cic. Tusc. 1, 19 „nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere.“| 387. *alternanti*, utrum iter iam decretum clam paret an palam, aperte rem enuntiet Didoni an per ambages quasdam eam aggrediatur. Ergo unum de duobus dumtaxat consiliis capiendum fuit. Cum autem, utrumcumque facturus erat Aeneas, ex variis efficiendi rationibus eligenda esset maxime idonea, propterea dicitur animum in varias partes rapuisse perque omnia versasse. Similiter 11, 550 omnia de multiplici via expediendae rei dictum. — Ceterum cf. Hom. Il. 14, 23.| 293. *aditus* h. l. via aliqua apta ad conciliandum sibi placandumve aliquem; Cic. Off. 2, 9 „Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus.“ — *molliss.*, temptaturum se, quando mollissime (cum minimo eius dolore) exponere ei possit suum de discessu consilium; iam cf. vs. 423 et Horat. Sat. 1, 9, 56 sqq.: „Difficiles aditus primos habet; ... tempora quaeram,“ *τοὺς καιροὺς τῶν προσαγορεύσεων* Lucian. Tom. I. p. 736 ed. Hemsterh.| 297. *motus futuros*, quid moturus, acturus, esset Aeneas; Liv. 1, 17 „Cum sensissent ea *moveri* (agi) Patres.“| 298. *Omn. t. t.*, timens etiam quae minime timenda erant. — *furenti* per prolepsin adiectum, nam eo nuntio fit, ut furat. 7, 626 „spicula *lucida* tergunt Arvina pingui;“ tergendo enim efficitur, ut fiant lucida; Aesch. Prom. 311 H. „*μεθάρμοσαι τρόπους νέους*“ et v. G. 2, 482.| 301—303. orgia *τριετηρικά*, tertio quoque anno a Thebanis *noctu* (cf. vs. 490. 8, 465.

Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas, tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres et Troia antiqua maneret,
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te —
Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui —
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere, infensi Tyrii; te propter eundem
Exstinctus pudor et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Iovis monitis inmota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo

G. 3, 538) in monte Cithaerone celebrata. — *commotis:* moveri sacra dicebantur, cum sollemnibus diebus aperiebantur templa Bacchi, cistae ac vasa proferebantur, cf. Horat. Od. 1, 18, 11—23; hoc erat initium caerimoniae; tum „audito Baccho" (i. e. noto illo clamore io Bacche) turba Baccharum, cincta nebridibus, thyrsos quatiens et tundens palmis tympana ferebatur persultans in Cithaeronem. | 309. *moliris* de reficienda armandaque classe h. l. intelligendum, cf. vs. 53 et 289 et 3, 6. | 315. *nihil aliud*, nisi ut lacrimis et precibus te obtester. | 316. *connubia* h. l. furtivum indicant amorem et quasi praelusionem hymenaei, i. e. iusti coniugii mox ineundi, incepti igitur, nondum initi. | 318. *meum*, ὃ ἔπαθες ὑπ' ἐμοῦ. | 320. Festus: „Numidas dicimus, quos Graeci *Νομάδας*;" et cf. Sallust. Iug. c. 18. Plin. N. H. 5, 3, 2. | 322. pudor et fama duae res non dissociabiles, Stat. Theb. 3, 273 „hoc fama pudorque relictus?" — *sid. ad.*, magna et clara habebar; cf. E. 5, 43. | 323. v. 2, 678. | 325. *Quid moror* mori; cf. vs. 323. | 327. *suscepta* in lucem, nata; Ovid. Ib. 409 „de Philopoemene natus." | 329. *tamen*, v. E. 10, 31. | 330. *capta*, cf. [illegible] | 333—335. *de me promeritam esse ea*,

Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam, nec coniugis umquam
Praetendi taedas aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis et sponte mea conponere curas,
Urbem Troianam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent,
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes;
Hic amor, haec patria est. Si te Karthaginis arces,
Phoenissam, Libycaeque aspectus detinet urbis,
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.
Me patris Anchisae, quotiens humentibus umbris
Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago;
Me puer Ascanius capitisque iniuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso —
Testor utrumque caput — celeris mandata per auras
Detulit; ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis:
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem iamdudum aversa tuetur,

quae pl. f. En. vales. — *Elissa* alterum nomen Didonis.| 336. *spiritus*, vis vitalis, per omnes partes corporis fusa, *θυμός*, Hom. Il. 12, 386 „*λίπε δ' ὀστέα θυμός,*" 22, 68 „*ῥεθέων ἐκ θυμὸν ἑλέσθαι*" Tac. Ann. 15, 70 „Ann. Lucanus, profluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et compote mentis pectore, intelligit" *cet.* ibid. 16, 34 „de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat." Ovid. Tr. 1, 5, 11 „Spiritus in tepido deseret ossa rogo." Et *ψυχὴ* apud Homerum, alias *ἀμειβομένη ἕρκος ὀδόντων* in morte, *κατ' οὐταμένην ὠτειλὴν ἔσσυτ' ἐπειγομένη* Il. 14, 518. Denique cf. 6, 726 sq.| 337. *Pro re*, pro causa mea; Sall. Iug. 102, 12 „Pauca pro delicto suo verba facit."| 338 sq. numquam coniugis taedas (taedas iugales s. faces nuptiales, quae novae nuptae praeferebantur, v. E. 8, 29), i. e. iustas nuptias prae me tuli, sive coniugio iunctus tibi videri volui. — *aut h. i. f. v.*, nec talem ego petii coniunctionem.| 340. *meis Auspiciis*, meo quasi ductu, mea voluntate; v. vs. 102.| 342 sq. *primum*, v. 3, 437. — *reliquias meorum*, i. e. reliquias eorum, quae mei tenuerunt, eversam scilicet patriam colerem (*ἐπεμελούμην ἄν*) reficiendamque curarem. — *manerent*, sc. restituta a me.| 345. *Gryn. A.*, v. E. 6, 72.| 346. *Lyciae*, v. vs. 143.| 357. *utrumque*, meum ac tuum.| 358. *man. in lum.*, *ἐναργῶς*, cf. 3, 151.| 361. *non sponte* cave putes esse id quod *invitus!*| 362—64. Responsum Aeneae sedatum, grave ac tale, quale minime exspectaverat Dido, incendit eam ira, eaque primo signis spei frustratae convenientibus se prodit.| 362. *aversa t.*, obliquis ac

Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Iam iam nec maxuma Iuno,
Nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi et regni demens in parte locavi;
Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso
Interpres divom fert horrida iussa per auras.
Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello;
I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens,
Et, cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, inprobe, poenas.
Audiam, et haec Manis veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,
Linquens multa metu cunctantem et multa parantem

torvis oculis; expressit his verbis poeta Homericum illud *ὑπόδρα ἰδών.* | 364. *L. tac.*, ipsa tacet quasi attonita fandique nondum potens. | 365 sqq. cf. Hom. Il. 16, 33 sqq. | 368. quid dissimulo, quod sentio? (quid autem sentiat, prolocuta est vs. 365—67) aut quae restat maior iniuria, quam, si haec dissimulem, cavere possim? | 369. avertit ab eo, qui sibi iam alienior factus esset, sermonem, *ingemuit* dicens, non *ingemuisti*. — *fletu*, v. E. 5, 29. — Ceterum hic versus et proximus spectant ad illud „*quid dissimulo*," causamque dissimulandi nullam esse ostendunt. | 371. *Quae q. a.*, quibus rebus tamquam durioribus quas tamquam leniores praeferam? hoc dici solet, ubi omnia et paria et magna sunt. Et referes haec *Quae quib. antef.* ad illud (vs. 368) quae me ad maiora reservo? — *Iam iam n. m. I.* cet.: eo perventum est, ut iam dii desierint „oculis mortalia iustis adspicere", ut est ap. Ovid. M. 13, 70. | 373. *Nusquam* „nec apud deum, nec apud hominem" Servius. — *litore*, in litore, uti est apud Ovid. Met. 13, 536. Caes. B. G. 5, 10, pro eo, quod vulgo dicitur *in litus*. | 375. Convenit hoc perturbato Didonis animo, sententias cognatas ita efferre, ut Verbum ad priorem pertinens, *servavi*, supprimat; similiter comparata sunt, quae vs. 376—378 leguntur. | 376. *feror* de ea, quae se totam permittit furori. | 379. v. 2, 171. | 380. *ventis ... undas*, cf. 5, 848—851. | 382. *pia*, v. 2, 536. | 384. *Sequ. atr. ign. abs.*, tamquam aliqua Furia, persequens nocentem facesque intentans, absens absentem Aeneam (imagine scilicet proditae Didonis ubique se animo eius obtrudente) excruciatura est. — *atris*, v. G. 2, 309. | 388. *med.*, v. 9, 657. — *auras*, lucem, in thalamum scilicet se receptura. | 390. *metu*, ne dolorem et iram

Dicere. Suscipiunt famulae, conlapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.
  At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit et dictis avertere curas,
Multa gemens magnoque animum labefactus amore,
Iussa tamen divom exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt et litore celsas
Deducunt toto navis. Natat uncta carina,
Frondentisque ferunt remos et robora silvis
Infabricata, fugae studio.
Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis.
Ac velut ingentem formicae farris acervum
Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris; pars agmina cogunt
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.
Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus!
Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Inprobe Amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando
Cogitur, et supplex animos submittere Amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
  Anna, vides toto properari litore? circum
Undique convenere; vocat iam carbasus auras,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri mollis aditus et tempora noras:

Didonis se purgando augeret. ‖ 393—473. *Relicta Karthagine Aeneas redit ad classem, cumque iam in eo est ut solvat ex portu, Dido, ultimam spem experiens, Annam sororem mittit, quae saltem dilationem aliquam profectionis ab Aenea petat. Frustra. Tum Dido, etiam visis monitisque horrificis exterrita, decrevit mori.* | 399. v. 1, 184 et 552. | 400. abire festinantes, *fugae studio*, petunt materiem ex silvis, cum navalia non haberent, unde sumerent praeparatam. | 402. v. 1, 148. | 405. trudunt, quae portare non possunt. | 407. *fervet*, „concelebratur“ ait Servius ad 1, 436; translatum hoc verbum ab aqua bulliente, quae omnis multo motu agitatur atque inter se miscetur, vel ad opera sedulae turbae, ut G. 4, 169 et cf. 9, 693, vel ad locum talis operis plenum, ut hic, vs. 409. 567 et 8, 677. | 411. v. 2, 487. | 414. *animos*, altos ac superbos spiritus. | 415. Ne quid inexp. relinquat frustraque, i. e. sine iusta causa, moriendi consilium ceperit. | 417. *vocat*, exspectat et quasi optat, v. 3, 61. | 418. *laeti*, v. 1, 35 et cf. G. 1, 304. | 419. v. 1, 543. | 422. v. G. 1, 200. | 423. v. vs.

I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:
Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuravi, classemve ad Pergama misi,
Nec patris Anchisae cinerem Manisve revelli:
Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam ventosque ferentis.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,
Nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat;
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam — miserere sororis —;
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte remittam.
    Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris.
Ac velut annoso validam cum robore quercum
Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, et altae
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa haeret scopulis, et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas;
Mens inmota manet; lacrimae volvuntur inanes.
    Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat; taedet caeli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat,
Vidit, turicremis cum dona inponeret aris —
Horrendum dictu — latices nigrescere sacros
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.

293.| 424. *hostem*, quia laesa est Dido ab eo; *superbum*, quia precibus eius non cesserat.| 427. proprie dicuntur sepulcra revelli, eaque re violantur Manes.| 428. *dicta*, preces.| 434. *dolere*, omisso furore (s. *victam*) ad dolorem, leniorem affectum, descendere; cf. Ovid. Heroid. 7, 177—180.| 436. *cumulatam remittam*, quod mihi gratum feceris, remunerabor ita, ut plus feras a me, quam ego a te accepero. — *morte*, cum moriar. — Nota sunt inofficiosa testamenta; igitur haud scio an haec oratio pertineat ad gratam officiosamque pietatem per testamentum probandam. Quae interpretatio si cui visa erit a nostris sensibus abhorrere, is velim meminerit non potuisse mentione talis rei animum Annae offendi, quia ex more Romano, quem sequi videtur poeta, fratres, sorores, alii propinqui, sperare et debebant et consuerant se non praeteritum iri a testatore.| 438. *Fertq. refertq.*, iterum iterumque fert; cf. vs. 447.| 441. *robore*, trunco.| 449. lacrimas fundit Aeneas, ut causae Didonis nihil profuturas, ita tamen mitem ac misericordem animum testificantes.| 450. *fatis ext.*, agnoscens fata sua perterretur| 451. Soph. Ai. 840 „ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών!“| 452. Quo magis inceptum peragat, *eo impellitur*, *quod* vidit *cet.*| 455. *obscenum*, v.

Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri et longas in fletum ducere voces;
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam et Tyrios deserta quaerere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum et duplicis se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.
Ergo ubi concepit furias evicta dolore
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, maestam dictis adgressa sororem,
Consilium voltu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, — gratare sorori —
Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maxumus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.

G. 1, 470. | 457. *templ. coni. ant.*, sacellum Manibus Sychaei dicatum. | 459. *Vell. niv.*, vittis laneis. | 462. *bubo*, cf. Ovid. Met. 10, 453. | 464. „pii vates et Phoebo digna locuti," 6, 662. | 470. cf. Eurip. Bacch. 876 sq. | 471. *scaenis*, fabulis scenicorum poetarum; tragici enim in fabulis suis Oresten agitari faciunt; fuit autem hoc multarum tragoediarum argumentum. | 473. Servius: „A Pacuvio Orestes inducitur propter vitandas Furias Pyladis admonitu ingressus Apollinis templum; unde cum vellet exire, invadebatur a Furiis; hinc ergo est: *Sedent in limine Dirae.*" || 474—583. *Dido celans sororem, quod meditabatur, exstructa in impluvio pyra sacrum magicum parat. Nocte acrius stimulatur cura, amore, ira. Denique subducta ratione revertitur ad consilium moriendi. Interea Aeneas exterritus insomniis cum classe in altum evehitur.* | 477. *spem fr. s.*, laetam spem in fronte ostendit. | 482. Axem, caelum, torquentem se et vertentem sustinet. — *aptum*, instructum; Ennius apud Cic. Off. 3, 29 „O Fides alma, *apta pennis.*" Hinc *aptare*, i. q. instruere, ut 3, 472. 8, 80. | 484. Ex vulgari consuetudine diceres: quae custos erat templi et draconi dabat epulas. Ladon is draco dictus, cf. Apoll. Rh. 4, 1396. Hes. Theog. 333. | 486. draconem hunc tantae feritatis fuisse putabimus, ut vel custodi illi terribilis esset; dabat

Haec se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, ast aliis duras inmittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque movet Manis; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Impius, exuviasque omnis, lectumque iugalem,
Quo perii, superinponant: abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iuvat monstratque sacerdos.
Haec effata silet; pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis praetexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychaei.
Ergo iussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti taedis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis et fronde coronat
Funerea; super exuvias ensemque relictum
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

igitur ei papaver, non quo sopiretur, sed quo mitigaretur.| 487. *solvere*, curis s. amore.| 489. cf. Apoll. Rhod. 3, 532 sq.| 490. *Noct.*, v. vs. 303. — *movet*, evocat. — *mugire videbis*, ut Aesch. Sept. ad Th. 100 „κτύπον δέδορκα."| 492 sq. Causam huius excusationis aperit Servius: „Cum multa sacra susciperent Romani, magica semper damnarunt."| 494. *secreta* pro Adverbio *secreto*; nempe quod ad Verbum erat referendum, refertur ad Nomen; cf. 5, 387. 7, 404. 11, 864. — *tecto interiore* (*medio tecti* 7, 59), eo loco ab ipsis aedibus circumcluso, qui impluvium dicitur Romanis.| 496. *exuvias*, cf. vs. 648 et 651 et v. E. 8, 91.| 500. et *praetexere alicui rei aliquid* dicitur et *praet. aliquid aliqua re*, multaque similiter, ut vs. 506. 5, 536. 6, 229. G. 3, 399 eodemque modo *excussa magistro navis* infra 6, 353.| 502. *aut*, v. 2, 779. — *quam* quae acciderant *morte S.*: et significatur gravissimus ille luctus Didonis, qui mortem Sychaei consecutus erat.| 504. cf. vs. 494.| 507. *Fun.*, cupressina.| 508. *Effigiem* Aeneae, quia, ut ait Servius, solent magi effigies eorum (absentium scilicet) facere, propter quos sacrum instituunt; v. E. 8, 73. Solebant eae effigies vel laneae esse vel cereae.| 510. *Ter centum*, multos, plurimos, ut 8, 716. numerus et ternarius et centenarius (v. G. 3, 18) sollemnis in re sacra; itaque apud Liv. 22, 8 „ludi magni voti aeris trecentis triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus triente." — *tonat*, magna voce invocat. — *Chaos* infinitum, quod erat antequam quicquam creatum esset, spatium; tum ingens vastusque Orcus, Ovid. Met. 10, 30. Chaos in causa ad inferos spectante invocatur ab ipso Virgilio 6, 265. E Chao natus Erebus.| 511. Diana triceps est eadem, quae Hecate; duobus igitur nominibus h. l. eadem dea significatur, sed ita, ut vires et potestates eius diversae declarentur. Servius: „Cum super terras est, creditur esse Luna,

Sparserat et latices simulatos fontis Averni,
Falcibus et messae ad lunam quaeruntur aenis
Pubentes herbae nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
Et matri praereptus amor.
Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos et conscia fati
Sidera; tum, si quod non aequo foedere amantis
Curae numen habet iustumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora; cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti(:)
[Lenibant curas et corda oblita laborum:]
At non infelix animi Phoenissa, nec umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curae, rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En, quid ago? rursusne procos inrisa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim totiens iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis atque ultima Teucrum

cum in terris, Diana, cum sub terris, Proserpina." | 512. *simulatos*, Servius „in sacris quae exhiberi non poterant, simulabantur et erant pro veris. Et per Avernum descensus est ad inferos." | 514. *Pubent.*, adultas succique plenas. — *herbae cum l. v.*, i. e. herbae venenatae. — *nigra*, ut *atra*, v. G. 1, 129. | 515 sq. significatur hippomanes, caruncula in fronte nascentis equi, quam equa mater post partum devorare credebatur. — *amor*, h. e. quod amorem conciliat, philtrum. | 517. *Ipsa*, Dido. — *mola ... Testatur*, mola (farre tosto molitoque et sale) in ignem coniecta et manibus sublatis, v. G. 4, 82. — *piis*, castis, puris, cf. 2, 719. Tibull. 1, 3, 25. | 518. *vinclis*, calceo; et v. 3, 595. Servius „In sacris nihil solet esse praeligatum, praecipue eius, quae amore vult solvi." v. 3, 370 et cf. Ovid. Met. 7, 182 sq. | 519. cf. 9, 429. | 520. *non aeq. f. a.*, quorum amori non respondet amor mutuus. | 523. *quierant*, coeperant quiescere, ut 7, 6. | 527. *s. pos.*, compositae ad somnum capiendum, v. G. 4, 432. | 529. *At non Phoenissa* quiescit. Ceterum v. G. 4, 491. | 530. *noctem*, quietem nocturnam. | 531. *ing. cur.*, v. 1, 662. | 533. Particula *adeo* vim addit vocabulis, quibus adiecta est, maxime Pronominibus, ut *tu*, *hic*, *ille*, *ipse*, tum Adverbiis temporis, ut *nunc*, *iam*, *tunc*, etiam loci (*hinc* E. 9, 59), porro Nominibus numeralibus cognatisque Adiectivis *multus* et *omnis*, denique huic ipsi particulae *sic*, licetque fere interpretari *eben*, *gerade*. Dum igitur animus Didonis iactatur cura, amore, ira, invenit denique, quibus adeo cogitationibus propositisque insistat, i. e. in quibus ipsis perseveret. | 534. *En, quid ago?* reprehendit Dido ipsa varios istos motus animi, commemoratos vs. 531 sq. cf. vs. 595. — *inrisa* ob id ipsum, quod eorum, quos spreverat praelato Aenea, iam ultro appetat matrimonium. | 537. *ultima i.*, quibus nihil potest gravius esse (ut *ultima poena*), qualibus utuntur domini in

Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, sinet, ratibusve superbis
Invisam accipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?
An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar, et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras atque obiicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more ferae, talis nec tangere curas!
Non servata fides cineri promissa Sychaeo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos rebus iam rite paratis.
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque
Et crinis flavos et membra decora iuventa:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos,
Nec, quae te circum stent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
Iam mare turbari trabibus saevasque videbis
Conlucere faces, iam fervere litora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Heia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper
Femina. Sic fatus nocti se inmiscuit atrae.
Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris,

servos, cf. vs. 326.| 541. invisus nobis esse coepit, cui provocati beneficiis malefecimus.| 542. v. G. 1, 502.| 545. *Inf.*, cf. 11, 742.| 548. *lacrimis*, cf. vs. 30. — *prima malis oneras*, tu es horum malorum causa: nam *primus* saepe refertur ad causas auctoresque rerum; cf. vs. 31 sqq. Flebile hoc inprimis, quod soror optima atque carissima causa harum rerum exstitit, quas scilicet dissuadendo avertere poterat.| 551. *more ferae*, solitariam scilicet, non socialem vitam degere. Quintil. 9, 2, 64 „Quamquam de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum.“| 552. Alii *Sychaei.* — Ceterum v. 6, 346.| 559. Alii *iuventae.*| 561. *deinde*, ex eo casu s. postquam res ita ceciderunt, v. 12, 889.| 566. *Iam*, v. 8, 42. — *trabibus*, ut 3, 191. Ovid. Ep. ex Pont. 1, 3, 76. — *turbari*, cf. 8, 689 sq.| 567. *faces*, quibus naves tuae incendantur, cf. vs. 594. — *fervere*, v. vs. 407. — Ergo et e navibus et e litore iaculabuntur ignes.| 569. v. E. 3, 80.| 571.

Corripit e somno corpus sociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus aethere missus ab alto
Festinare fugam tortosque incidere funis
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, inperioque iterum parèmus ovantes.
Adsis o placidusque iuves, et sidera caelo
Dextra feras. Dixit, vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis simul ardor habet, rapiuntque ruuntque;
Litora deseruere; latet sub classibus aequor;
Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.
    Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e speculis ut primum albescere lucem
Vidit e aequatis classem procedere velis,
Litoraque et vacuos sensit sine remige portus,
Terque quaterque manu pectus percussa decorum
Flaventisque abscissa comas, Pro Iuppiter! ibit
Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis?
Non arma expedient totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date tela, inpellite remos! —
Quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, cum sceptra dabas. — En dextra fidesque,
Quem secum patrios aiunt portare Penatis,

umbris, viso nocturno.| 572. *fatigat*, urget hortando.| 573. *Praecipites:* quid praecipiter fieri velit Aeneas, declaratur verbis subiectis *et considite transtris*. Magna hic vis in hyperbato. Similia habet Theocr. buc. 28, 6 „*ὅπως ξεῖνον ἔμὸν τέρψομ' ἴδων κἀντιφιλήσομαι Νικίαν.*“ et epigr. 19, 1 „*Ἀρχίλοχον καὶ στᾶθι καὶ εἴσιδε τὸν πάλαι ποιητάν.*“ Xenoph. Hell. 7, 3, 7 „*ὑμεῖς τοὺς περὶ Ἀρχίαν οὐ ψῆφον ἀνεμείνατε, ἀλλὰ ἐτιμωρήσασθε.*“| 575. v. G. 1, 457.| 576. *sancte deorum*, ut apud Ennium *sancta dearum*, *δῖα θεάων*.| 577. De certo nomine deorum, quorum opem implorabant, dubitantes Romani dicere solebant: Quisquis es.| 578. *sidera* regere tempestatem credebantur; fac, ut sidera sint navigantibus nobis propitia.| 581. *rapiunt*, nos: *rasch greifen sie zu;* cum rapida festinatione manus admovent ad omnia, quae pertinent ad naves solvendas promovendasque.| 583. Servius: „Ita remus agitur, ut fluctus torqueatur.“|| 584—705. *Didonis abeuntem classem prospicientis ultimus furor, dirae exsecrationes, mors.*| 584. Hom. Od. 5, 1.| 586. *e spec.*, ex edita aedium parte.| 587. *aequatis velis*, omnes naves utebantur pari velificatione, quo apparebat communiter eas abire eodemque omnes ferri.| 588. *vacuos sine rem.*, ut Hom. Il. 21, 50 „*γυμνὸν ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος.*“ — *sens.*, cf. vs. 408.| 590 sq. v. 2, 578. — *regnis nostris*, mihi reginae.| 594. *date tela*, nostrum *Waffen herbei!* cf. 9, 37. Alii *vela.*| 595. *ubi sum?* Terent. Heaut. 5, 1, 48 „Prae iracundia non sum apud me.“| 596. *facta imp.*, perfidia, qua scilicet omne genus Troianum infame fuit, cf. vs. 542.| 597. Tum, cum Aeneae fidei me meaque credebam, suspectam eam haberi oportuit. — *fides-*

Quem subiisse humeris confectum aetate parentem!
Non potui abreptum divellere corpus et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium patriisque epulandum ponere mensis? —
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset:
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Inplessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Iuno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Dirae ultrices, et di morientis Elissae,
Accipite haec, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare necesse est,
Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, conplexu avolsus Iuli,
Auxilium inploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur,
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.
Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Inprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.

que eius, Quem *cet.* v. E. 2, 71. | 600. *abreptum*, vi abductum. — cf. 3, 605 et v. E. 2, 30. | 603. *fuisset*, licebat esse ancipitem, s. nihil id curassem. | 604. *castra*, nautica, naves. | 606. *cum genere*, ut nihil ex eo genere reliquum esset. — *dedissem*, coniecissem, in flammas; nam „Quem metui moritura?“ vs. 604. | 607. Hom. Il. 3, 277. Deo Soli commendantur puniendi, qui nefarie fecerunt, Inscriptt. Orell. 4791 sq. | 608. *interpr. curar.*, Servius „media (mediatrix) et conciliatrix;“ cf. vs. 59. | 609. *Noct.*, v. vs. 303. — *ululata*, cum ululatu invocata. | 610. *di morientis*, morienti propitii, ultores mortis, cf. vs. 520 sq. | 611. *Accipite* animis (ἐνθυμεῖσθε) *haec* mala, et vim vestram (*numen*) meritam, i. e. tamquam debitam mihi iniusta patienti, vertite ad ea, ulciscenda scilicet. | 614. *fata I.*, v. 3, 717. — *hic. term.*, terminus navigationis, Italia; *haeret*, fixus est et immutabilis. | 616. *Fin. ext.:* spectant haec verba ad castra in Latio posita, ab Aenea, cum ad Euandrum auxilii petendi causa proficisceretur, relicta. | 617. *suorum*, Servius „Pallantis et ceterorum.“ | 618. *iniquae*, cf. 12, 819—828. | 619. Tres tantum annos regnasse Aeneas fertur. | 620. *med. inh. ar.:* quia corpus mortui Aeneae nusquam inventum est. | 621. *c. sangu.*, cum ipsa vita mea. | 623. cf. G. 4, 453. | 625. Ostenditur his verbis Hannibal. — *ossib.*, cinere. | 627. v. G. 1, 287. | 629. *ipsi*, qui nunc (vs. 627) sunt

Haec ait, et partis animum versabat in omnis,
Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei;
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam cara mihi nutrix huc siste sororem;
Dic corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat;
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque inponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anilem.
At trepida et coeptis inmanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus inrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile
Conspexit, paulum lacrimis et mente morata
Incubuitque toro dixitque novissima verba:
Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui; mea moenia vidi;
Ulta virum poenas inimico a fratre recepi;
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!
Dixit, et, os inpressa toro, Moriemur inultae,
Sed moriamur, ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.
Dixerat; atque illam media inter talia ferro
Conlapsam aspiciunt comites, ensemque cruore

Carthaginienses et Aeneadae. Ceterum hoc loco vi versus hypermetri indicatur impetus irae se superfundentis; similis huic versus 7, 470; et v. G. 1, 295.| 633. *cinis habebat*, i. q. redacta erat in cinerem.| 635. quia pure casteque sacra facere decet; cf. 2, 719.| 636. *monstrata* a sacerdote, cf. vs. 498.| 638. *Iovi St.*, Plutoni, cf. 6, 138. — *incepta*, vs. 504 sqq.| 640. *Dard. rog. cap.*, cf. vs. 508.| 641. *studio*, studiose, ut 6, 681. — Alii *anili.*| 645. cf. vs. 494 et 504.| 647. *quaesitum*, paratum, cf. vs. 261 sq. 495.| 651. *deus*, ut *θεὸς* et *δαίμων*, saepe omnino divina illa vis res humanas regens.| 652. *animam*, vitam, cum sanguine scilicet profundendam.| 654. *mei*, Ovid. Met. 1, 30 „Et pressa est gravitate s u i tellus."| 656. cf. 1, 360—364.| 659. *os inpr. toro*, doloris signum, nati ex comparatione pristinae felicitatis cum praesenti infelicitate.| 660. *Sic, sic i.*, adeo s. tantum iuvat.| 663. *med.*, v. 9, 657.| 664. *comites*, famulae ex

Spumantem sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis gemituque et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether.
Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Karthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu
Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses;
Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?
Exstinxti te meque, soror, populumque patresque
Sidonios urbemque tuam. Date, volnera lymphis
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, gravis oculos conata attollere, rursus
Deficit; infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit;
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesivit caelo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem
Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,

more ei comitantes, ignarae illae, quid pararet Dido; praesentes fuisse docet verbum aspiciunt, quod dicitur de iis, qui rem vident oculis subiectam seque offerentem.| 669. cf. Il. 22, 410 sq.| 671. v. 2, 312.| 675. *Hoc ill. fuit*, *hoc* agitabas, cum *illud* apparabas.| 678. *vocasses*, debebas me vocare, utinam me vocasses; 10, 854. Cic. pr. Sulla c. 8 „sileretur," i. e. debebat sileri; idem pr. Sext. c. 20 „réstitisses, réppugnasses, vitam pugnans óppetisses," tetrameter ex Ennii Telamone vel ex Teucro Pacuvii repetitus.| 680. *struxi* rogum.| 681. *Voce vocare*, i. e. *magna* voce v., et cf. 5, 161. — *sic posita*, v. 2, 644. — *crudelis*, v. 12, 873.| 682. *te meque*, non solum te, sed etiam me.| 683 sq. *Date*, *v. l. Abl.* pro vulgari oratione: *date lymphas*, *quibus voln. Abl.* Imperativus a Graecis Romanisque scriptoribus interdum sic ponitur, ut subiiciatur nudus Coniunctivus consilium indicans, ut a Terent. Heautont. 2, 3, 32 „*Mane*, hoc quod coepi, primum *enarrem*." Hom. Il. 6, 340 „*ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον, Ἀρήϊα τεύχεα δύω.*" ib. 22, 450 „*Δεῦτε, δύω μοι ἕπεσθον, ἴδωμ', ὅτιν' ἔργα τέτυκται.*" et v. infra 6, 884.| 684. propinqui extremum morientis halitum ore excipere solebant apud Romanos. — *si q. s. h. e.*, si quis halitus superest, qui oberret in ore Didonis; v. 3, 489.| 691 sq. Oculi morientum caligine obscurati diem recipere laborant, sed aegre colligunt solis radios.| 692. *ingem.* Caritas

Quae luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per caelum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat: omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

AENEIDOS

LIBER QUINTUS.

(Reversus in Siciliam Aeneas, cum anno exacto redisset dies, qui supremus fuerat Anchisae patri, ludos facit apparatissimos. — Amissis incendio quattuor navibus, omni imbelli multitudine in Sicilia apud hospitem Acestam relicta, petit Italiam.)

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
Conlucent flammis. Quae tantum accenderit ignem,
Caussa latet; duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla

vitae in ipso articulo mortis; cf. 12, 952 et v. 10, 819 sq.| 695. Lucret. 2, 949 „Vitalis animae nodos e corpore solvit.“| 703. cf. 11, 829.| 705. *in v. v. rec.*, dum exspiratur scilicet anima; *in ventos*, in aera, cf. 5, 512. 527.

Aeneid. L. V. 1—103. *Aeneas vi ventorum in Siciliam delatus et ab Acesta benigne exceptus sacrum anniversarium ludosque instituit Anchisae patri.*| 1. *medium* dici solet, quod iam rite aggressi, in quo ipso occupati sumus, G. 3, 486.| 2. *Certus*, tendens, uti decreverat, eo, quo volebat, in Italiam, etsi aquilo (illo tempore continuus, cf. 4, 310.) officiebat cursui. — *atros aquil.*, Gell. 2, 30 „Austris spirantibus mare fit glaucum et caeruleum, aquilonibus obscurius atriusque.“| 6. *pollui* dicitur res, quae sacra putatur, aliquo modo laesa, ut hospitium 3, 61. pax 7, 467. h. l. amor, qui iam coniugium appellari poterat, 4, 172. — *notumque*, i. e. idque quod notum est; nos dixerimus: *die bekannte Erfahrung*. Liv. 27, 37 „mentes turbavit rursum *nuntiatum* infantem natum esse quadrimo parem.“ Tacit. Hist. 2, 82 „Sufficere adversus Vitellium videbatur Vespasiani nomen et nihil *arduum* fatis.“| 8. *pelagus*, ea pars maris, quae vel

Occurrit tellus, maria undique et undique caelum:
Olli caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma iubet validisque incumbere remis,
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.
Mutati transversa fremunt et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos,
Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Iamdudum et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere navis,
Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten
Et patris Anchisae gremio conplectitur ossa?
Haec ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis,
Et tandem laeti notae advertuntur arenae.
At procul ex celso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates occurrit Acestes,
Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae,

maiore, ut hic, vel minore intervallo a litoribus distat; 5, 165. 9, 81. | 10. *Olli*, v. 1, 254. | 14. *S. deinde l.*, Deinde, postquam sic locutus est; cf. vs. 400, 7, 135. | 15. *arma*, vela; *colligere* „breviari, ait Donatus; exponit poeta, quid factum sit, dicendo *Obliquatque s. i. v.*“ | 16. *Obliquat sinus* velorum *in ventum*, quod nostri appellant *laviren*; quod cum fit, ventus adversus non totis velis, sed tantum ex obliquo accipitur, ne is magna vi irruens navem nimium de cursu deflectat. | 17. *auctor*, cf. G. 1, 432. | 19. *transv. fr.* Magis proprie dicuntur talia, quale est *acerba*, *dira fremere*, v. G. 3, 149., audacius hoc *transversa fr.*, i. e. in transversam partem; quod ad Nomen referendum erat (ipsi enim venti erant transversi), refertur ad Verbum sive ad actum rei. | 20. *cogitur*, densatur, cf. G. 4, 36. Cic. de Nat. Deor. 2, 39 „aer tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur.“ | 21. *tantum*, quantum opus est ad vincendam tempestatem. | 24. *fraterna*, Eryx enim, qui Erycem urbem in Sicilia condidit, filius fuit Veneris, frater ergo Aeneae. | 25. Si positum astrorum, quae a Sicilia profecti (1, 34) observavimus, recte memini nunc, cum iter (quod per illa regitur) a contraria parte (Africa) remetior. | 28. velis, puta; mutata velificatione. | 30. *Acest.*, cf. 1, 195 sq. | 31. cf. 3, 710. | 35. Alii *excelso*. | 37. *horrida* dicuntur, quae rigida sunt atque erecta, tum quae hirsuta; *horridus in iaculis*, rigidis iaculis instructus (bina autem gestabant singuli, 1, 313), *horridus in pelle*, hirsuta pelle amictus. Ceterum cf. Ovid. Trist. 4, 6, 33

Troia Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum
Gratatur reduces et gaza laetus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.
Postera cum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies, socios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom,
Annuus exactis conpletur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra maestasque sacravimus aras.
Iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum — sic di voluistis — habebo.
Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul
Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae,
Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas
Exsequerer, struerемque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidem sine mente reor, sine numine divom,
Adsumus et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem;
Poscamus ventos, atque haec me sacra quot annis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in navis; adhibete Penatis
Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax

„nitidis gladiator *in* armis.“ Aesch. Prom. 424 H. „*οξυπρώροισι βρέμων ἐν αἰχμαῖς.*“| 38. Alii *Troica.* — Crimisus fluvius Siciliae.| 40. *gaza agr.*, epulis rusticanis.| 45. ipse Dardanus filius Iovis fuerat.| 50. dies honoratus dicitur dies status, quo diis honorem (v. 3, 118) offerimus, recolentes memoriam rei gratae ingrataeve, quae eo anni die nobis obtigit. — *sic di v.*, vox doloris plena; maluisset enim vivo patri officia pietatis exhibere, quam mortuo.| 52. *deprensus*, si is dies me deprehenderet. — *et*, v. G. 1, 419.| 53. *pompas* funebres ducerem. — *ordine*, v. 1, 703.| 54. *struerem*, tamquam strue facta cumularem. — *altaria* tamquam inter superos deos recepto Anchisae.| 55. *ultro*, v. 9, 7.| 56. v. 1, 133.| 58. *honorem*, sacra in honorem Anchisae facienda.| 59. peracta hac sollemnitate poscamus ventos, v. 3, 253, et delati in Italiam eadem sacra instauremus.| 64. *si* Futuro iunctum coniungit interdum cum condicionali potestate temporalem *quando*, ut 6, 829. Horat. Epist. 1, 7, 10 „Quod si bruma nives Albanis illinet agris, Ad mare descendet vates tuus.“ — *nona:* nonus dies afferebat finem parentandi apud Romanos; eo die celebrabantur ludi epulaeque funebres.| 67 sq. Nullum infra proponitur certamen iaculandi; sed iidem, qui boni erant iaculatores, videntur boni sagittarii fuisse, cf. 10, 754.; certe ars iaculandi ab arte sagittandi magis specie differt, quam genere; utraque autem

Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere caestu,
Cuncti adsint, meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.
　Sic fatus velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum milibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum: salvete, recepti
Nequiquam cineres, animaeque umbraeque paternae.
Non licuit finis Italos fataliaque arva
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim.
Dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum lapsusque per aras,
Caeruleae cui terga notae maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille iacit varios adverso sole colores.
Obstipuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci famulumne parentis

multum requirebat virium, et cf. vs. 500.| 68 sq. *Aut ... seu*, ubi consuetudo postulat *aut ... aut;* sed *seu*, i. e. *vel si (quis)*, subiungit Aeneas, quia non satis certum erat, futurine essent, qui ad tale certamen accederent, cf. vs. 378. — *incedit* hic quandam fiduciae notionem adiunctam habet, dignitatis 1, 46, ut *ingredi* gloriae ac superbiae vs. 543, quae omnia incessu se produnt.| 69. *crudo*, qui factus e crudo corio bubulo; cf. vs. 404 sq.| 71. *Ore fav.*, *εὐφημεῖτε*.| 72. *mat.*, v. G. 1, 28.| 73. *Helymus*, Troianus, cum Acesta in Siciliam venerat. — *aevi m.*, v. G. 4, 491.| 77 sq. cf. 3, 66 sq. — iunge *mero carch. Baccho*; similia v. 3, 618.| 80 sq. „*iterum*, nam quo tempore sepeliit eum, dixit sine dubio s a l v e et v a l e", Servius. — *receptos* dicit, ad quos rediit; *nequiquam* doloris significationem habet, quod nihil ipsi Aeneae profuturus erat reditus ad eum, quem vivum vellet secum ducere in Italiam. — *animae* sc. salvete.| 82. v. 1, 2.| 83. *quic. est*, ut *quisquis es* 1, 387, de ignotis.| 84. *adytum* sanctissima quaedam ac remotissima pars templi, quo accedere praeter sacerdotes nemini licebat; ea vox ad sepulcrum translata significat eximiam quandam sanctitatem loci, quippe a deo Anchisa habitati.| 85. septem gyros in se replicatos.| 87 sq. *Caer. c. t. notae* d i s t i n g u e b a n t; hoc enim aut simile verbum repetes ex verbo *incendebat*. — m a c u l i s a u r e i s squama incendebatur, i. e. exsplendescebat; Silius 15, 678 „clipeumque *a c c e n d e r a t a u r o*."| 90. v. 2, 212.| 94. *instaurat*, repetit visa re inexspectata interruptos.| 95. Serpentes et Genii locorum esse et deorum quorundam famuli credebantur; talis erat „famulus sororum

Esse putet; caedit binas de more bidentis,
Totque sues, totidem nigrantis terga iuvencos;
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisae magni Manisque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt, onerant aras, mactantque iuvencos;
Ordine aena locant alii, fusique per herbam
Subiiciunt veribus prunas et viscera torrent.
Exspectata dies aderat nonamque serena
Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant,
Famaque finitimos et clari nomen Acestae
Excierat; laeto conplebant litora coetu,
Visuri Aeneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio, sacri tripodes viridesque coronae
Et palmae pretium victoribus, armaque et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talentum;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quattuor ex omni delectae classe carinae.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim,
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi,
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.

Naiadum" apud Silium 6, 288. Val. Fl. 3, 457 „placidi quas *(dapes)* protenus angues, Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis." | 97. *terga*, v. 1, 713. — Solos iuvencos appellat nigros, quo simul indicatur oves suesque una mactatas coloris fuisse eiusdem. | 98. *vocabat*, ut adesset sacrisque oblatis frueretur; et cf. Hom. Il. 23, 219—21; eo spectat *remissos* vs. 99; v. G. 4, 88. | 100. *quae c. e. cop.*, pro sua quisque copia s. facultate. | 101. *alii* onerant a., alii disponunt aena lavandi causa, v. 1, 213. || 104—285. *Conveniunt undique ad spectandos ludos. Proponuntur in medio praemia. Certamen navale.* | 105. *Phaethon* h. l. ipse Sol, Ἥλιος φαέθων. | 109. *circo*, novo modo universe dictum de eo loco, quo convenerant vel certaturi vel certamina spectaturi. | 110. *sacri*, quales diis pro munere offerri solebant; cf. Hom. Il. 23, 702. — *v. cor.*, eas lemniscatas fuisse docet vs. 269. | 112. Alii *talenta*, cf. vs. 248. | 113. *Et* post plura (vs. 110—112) interposita continuat orationem, ut 9, 179. — *tuba*, Romano more, quamquam ne Homero quidem incognita fuit, cf. Il. 18, 219. 21, 388. — *commissos*, v. G. 1, 206. | 114. delectae sunt *pares*, puta celeritate, non remis; cf. vs. 153. | 116. *Pristim*, unde id nomen navi? v. 10, 158. 166. | 117. Nempe ut Mnestheus a Verbo *μεμνῆσθαι* originem ducere credebatur, ita Memmius a Verbo latino *meminisse.* | 118. *ingentem ... ingenti*, Gossrau: „Duplicato adiectivo magnitudo navis extollitur." Veteres interpretes *mole* volunt esse id, quod *motu.* | 119. *Urb. opus*, urbi similis magnitudine. — *versu*, ordine; fuit scilicet triremis. | 122. *magna*, feminino genere, quia *navis* nomen est Centaurus h. l.; sic *Eunuchus (fabula) acta est;* item

Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet, inmotaque attollitur unda
Campus et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde iuventus
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque bracchia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis; ferit aethera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,
Nec sic inmissis aurigae undantia lora
Concussere iugis pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora, pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis, sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis

mea Glycerium. | 125. *olim ... ubi*, praeclare Servius: „Tunc fere, cum cori nubibus abscondunt et obruunt sidera." cf. 8, 391. G. 4, 421. 433. Lucret. 6, 148 „calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum demersimus imbrem." Et ponitur hoc *olim* in re ita fieri solita, quod Servius indicat adverbio *fere;* quare idem 8, 391 „*olim*, fere, ut solet; nam non est adverbium temporis." | 127. *Tranquillo*, ut *immota unda*, Ablativ. absolutus, *γαλήνης οὔσης*, Liv. 28, 17 „conspectae duae quinqueremes, haud cuiquam *dubio*, quin hostium essent." Tacit. Annal. 1, 6 „iuxta *periculoso*, ficta seu vera promeret." | 128. *apr.*, amantibus apricari. | 134. populus sacra Herculi, 8, 276. 286. E. 7, 61. Servius: „quia ludi funebres sunt et haec arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum canem Cerberum extraheret." | 135. v. 3, 281. | 137. v. G. 3, 105. | 139. *finibus suis*, ex sua quisque sede per sortem constituta ac definita; cf. vs. 132 et 328. | 144. *biiugo cert.*, certamine bigarum. | 145. v. G. 1, 49 et cf. Hom. Odyss. 13, 81 sqq. Il. 23, 362 sqq. | 146. *iugis*, equis iugalibus, v. 8, 708. | 147. cf. G. 3, 106 sq. | 148. *stud. fav.*, clamore favorem, quo alii alium certantem prosequebantur, declarante. | 149. *inclusa*, nemore et collibus. | 152. *Turb. int. fr.*, dum ceteri, qui Gyan elabentem vident, turbulenter

Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus, nunc una ambae iunctisque feruntur
Frontibus et longa sulcant vada salsa carina.
Iamque propinquabant scopulo metamque tenebant,
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;
Litus ama, et laevas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit; sed caeca Menoetes
Saxa timens proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum, Pete saxa, Menoete!
Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae scopulosque sonantis,
Radit iter laevum interior, subitoque priorem
Praeterit et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens,
Nec lacrimis caruere genae, segnemque Menoeten,
Oblitus decorisque sui sociumque salutis,
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est,
Iam senior madidaque fluens in veste Menoetes
Summa petit scopuli siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri et risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum scopuloque propinquat,
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior; partem rostro premit aemula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite viris,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi
Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.

et cum fremitu naves suas propellunt. | 155. *l. superare pr.*, altera nave superanda priorem locum tenere. | 161. *voce*, v. 4, 681. | 163. *L. ama*, sedulo cave litus deseras. | 164. v. 3, 706. | 165. v. vs. 8. | 170. *interior*, v. 11, 695. | 171. *tuta:* in reditu non utitur periculosa illa, qua modo usus erat, via vs. 169. | 172. v. G. 3, 272. | 178. v. G. 4, 88. | 179. *in v.*, ut 7, 167 *ignota in veste.* | 184. v. G. 4, 546. | 190. v. 1, 273. — *sorte s.*, tempore excidii. | 192. cf. 1, 111. 3, 211. | 193. Malea extremae Laconiae promontorium ex Aegaeo

Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quamquam o! — Sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;
Extremos pudeat rediisse; hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi dum proram ad saxa suburguet
Interior spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus haesit.
Concussae cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inlisaque prora pependit.
Consurgunt nautae et magno clamore morantur,
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At laetus Mnestheus successuque acrior ipso
Agmine remorum celeri ventisque vocatis
Prona petit maria et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem, mox aere lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora, sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis frustraque vocantem
Auxilia et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus iamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urguet.

mari venientibus circumnavigandum, exitiosum nautis. — *sequ. u.*, alio fluctu alium trudente.| 194. *prima*, *τὰ πρωτεῖα*.| 195. *Quamquam o* utinam vincere liceat!| 196. *hoc vinc. nefas*, in hoc cernatur victoria vestra, ut ne extremi redeamus, quod est ingentis dedecoris.| 198. *Procumb.*, proni incumbunt remis.| 199. *Subtr. s.*, sulco facto dehiscit mare, cf. vs. 142 sq.| 201. Pronomen *ipse* distinguit casum, id quod minus est, a labore atque contentione sociorum navalium, quod est maius.| 202. v. G. 4, 491.| 203. v. 11, 695.| 207. *morantur*, Servius „retro agunt;“ est igitur verbum nauticum; et quo id efficiant, trudes contosque expediunt.| 211. *agmine*, motu, ut 2, 782 „leni fluit a g m i n e Thybris,“ et 12, 687 „Fertur magno mons inprobus a c t u.“| 212. *prona m.*, ad litus tendentia, navis igitur cursum suo adiuvantia; et significatur liberum mare, diversum ab ea parte, quae circumfusa erat scopulo, in quo haesit Sergestus.| 214. *dulces*, propter pullos, v. E. 1, 3.| 218. *ultima*, metae proxima.| 220. *alto*, ex fundo maris ad eam altitudinem assurgente, ut prope superficiem maris tangat.| 224. *cedit*,

Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci;
Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.
Et fors aequatis cepissent praemia rostris,
Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset:
Di, quibus inperium pelagi est, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo,
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Inpulit: illa Noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in navis ternos optare iuvencos
Vinaque et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit,
Intextusque puer frondosa regius Ida
Velocis iaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis; quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis;
Longaevi palmas nequiquam ad sidera tendunt
Custodes, saevitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,

praeteriri se sinit. | 227. *sequ.*, Mnestheum, qui sequitur Cloanthum. | 228. v. vs. 148. | 229. *proprium*, quod iam sine controversia suum putant. | 230. cf. 9, 206. | 231. *videntur*, sibi. | 232. *aequ. rostris*, aequ. proris, aequato cursu una ad litus redeuntes. | 233. *ponto*, versus pontum; v. E. 2, 30. — *palmas utrasque*, *τὼ χεῖρε*, ut 6, 685. | 234. *in vota*, ad promissa munera, quibus fruerentur, cf. vs. 236, et est idem, quod *votis* (Dativus) *vocare deos*. | 235. v. 2, 690 et cf. G. 2, 146. | 238. v. vs. 776. — Alii *Proiiciam*. | 240. *Panopea* una ex Nereidibus, v. 9, 811. | 241. Servius „Portunus, deus marinus, qui portubus praeest; et bene impulit eum ipse iam vicinum portui.“ | 244. *cunctis*, qui certaverant, ad se vocatis. | 247. *in nav.*, in suam cuiusque navem. — *opt.*, v. 1, 425. | 248. *magnum*, quia magnum est pondus. | 249. *praecip.*, diversos sc. ab illis muneribus (vs. 247), quae sociorum communia esse voluit. | 251. purpura in modum fluvii Maeandri flexuosa. — *Meliboea*, Meliboeensis. Lucret. 2, 499 „Meliboeaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore.“ Meliboea oppidum Thessaliae. | 252—257. Duplex in ea veste fuit pictura, una Ganymedem

Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantis Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Iamque adeo donati omnes opibusque superbi
Puniceis ibant evincti tempora taeniis,
Cum saevo e scopulo multa vix arte revolsus,
Amissis remis atque ordine debilis uno,
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;
Nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars volnere clauda retentat
Nixantem nodis seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat,
Servatam ob navem laetus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervae,
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae, mediaque in valle theatri
Circus erat; quo se multis cum milibus heros
Consessu medium tulit exstructoque resedit.

venantem, altera ab aquila raptum repraesentans. | 259. v. 3, 467. | 261. v. E. 3, 79. | 262. v. vs. 521. | 264. *Mult.*, plurimis annulis consertam. | 267. *asp. s.*, anaglypha; Pindar. Isthm. 6, 58 „φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν.“ | 268. v. 4, 533. | 269. *taeniis* extremis syllabis in unam contractis, ut in *Paeoniis* 7, 769. Taeniis autem religatas puta coronas vs. 110 et 494 commemoratas. | 271. *ordine* remorum. | 273. *saepe*, v. A. 1, 148. — Aggeris instar erant viae a Romanis munitae. | 274 sq. *grav. ictu*, forti ictu usus; cuius autem generis fuerit is ictus, indicat adiectum *saxo*, quod pendet ex *seminecem*. | 276. *dat: dare* apud poetas saepe est *facere*, sed ita, ut ea res, quae fit, oculos vel alium sensum moveat, ut *dare cuneum*, *fenestram*, *motum*, *fugam*, *saltum*, *stragem*, *cantum*, *gemitum*, *plausum*, *sonum*, *vocem*, *nidorem*. | 279. *Nix. nodis*, quantumvis nodis nitatur; ut aves alis, homines quadrupedesque pedibus, ita serpentes nituntur nodis s. inflexis in se membris. Alii *Nexantem nodos*. | 280. *tarda*, v. 4, 494. | 282. *promisso*, cf. vs. 70 et 305. | 284. *datur*, *o.*, v. E. 9, 66. | 286—361. *Certatur cursu.* cf. Hom. Il. 23, 740 sqq. | 288. *theatri*, cuius quaedam species per colles ac medium inter eos campum effecta erat. | 290.

Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et praemia ponit.
Undique conveniunt Teucri mixtique Sicani,
Nisus et Euryalus primi,
Euryalus forma insignis viridique iuventa,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius simul et Patron, quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii iuvenes, Helymus Panopesque,
Adsueti silvis, comites senioris Acestae;
Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Accipite haec animis, laetasque advertite mentes:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia bina dabo levato lucida ferro
Spicula caelatamque argento ferre bipennem;
Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto,
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes, simul ultima signant.
Primus abit longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis;
Proxumus huic, longo sed proxumus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus;
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso

exstructo in modum caveae consessu. | 292. *animos* eorum, qui forte velint, v. E. 2, 71. — *pr. ponit*, locat in medio, cf. vs. 314; ut hic *pretia* et *praemia*, sic infra in eadem causa distinguuntur *honos* et *praemia* vs. 308. | 296. *pueri*, Euryali adolescentuli. | 302. Cave putes fictis nominibus poetam esse usum; sunt ea ex veterum historiarum monumentis sumpta. | 308. *unus*, idem; 9, 182. „*unus* amor,“ qui idem est in duobus. Plaut. Mostell. 3, 1, 147 „Iterum iam ad *unum* saxum me fluctus ferunt.“ | 311. *Amaz.*, quali Amazones utuntur. | 312. *Threic.*, qualibus utuntur Thraces, inprimis boni sagittarii. | 312 sq. ea pharetra pendebat e balteo aurato gemmata fibula infra nexo. | 314. cf. 2, 389. 390. 412. et putabis hanc galeam e spoliis fuisse; cf. 3, 286. | 316. v. G. 3, 203. — *limen*, cf. vs. 139. | 317. *nimbo sim.*, ut nimbus densam vim aquarum subito effundens; nec ad celeritatem hoc referendum, sed ad multitudinem una se proripientium. — *ult. s.*, oculos animumque intendunt ad metam. | 319. fulmina alata conspiciuntur in nummis. Val. Fl. 2, 97 de Vulcano: „haec templa, peracta Aegide et horrifici formatis fulminis alis, Laetus adit.“ | 323. Imitatur Virgil.

Ecce volat calcemque terit iam calce Diores,
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.
Iamque fere spatio extremo fessique sub ipsam
Finem adventabant, levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix, caesis ut forte iuvencis
Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.
Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
Concidit inmundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum;
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa iacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveae consessum ingentis et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus inplet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum lacrimaeque decorae
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adiuvat et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae, frustraque ad praemia venit
Ultima, si primi Salio reddantur honores.
Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo;
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus tergum Gaetuli inmane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te lapsorum miseret, quae munera Niso

Homerum Il. 23, 759—766 „*ἐπὶ δ' ὤρνυτο δῖος Ὀδυσσεὺς ἄγχι μάλα (sub ipso) .:. αὐτὰρ ὄπισθεν ἴχνια τύπτε πόδεσσι, πάρος κόνιν ἀμφιχυθῆναι.*"| 326. *ambig.*, qui ambiguum est sitne prior an posterior, cf. Hom. Il. 23, 382.| 327. v. G. 2, 290.| 328. *lēvi*, lubrico, et cf. vs. 333.| 329. *ut forte*, *ὡς ἔτυχε προκεχυμένος cet.*| 331 sq. *tenet vestigia*, qui incedentem se sustinet; *presso* pedibus.| 334. *amores*, hic, ut 4, 28, denotat omnem mutui amoris sensum et affectum.| 336. *arena*, at vs. 287 et 330 eum campum herbidum fuisse, non arenosum, legimus; ergo *arena* h. l. est humus, ut G. 1, 105. 4, 293, ac significatur locus sanguine concreto lutosus. *spissus* de concreto sanguine Ovid. M. 11, 367 „lupus Oblitus et spumis et spisso sanguine rictus;" noster supra 2, 277 „concretos sanguine crines."| 337. *Em.*, cf. vs. 318 sq. — *Euryalus*, v. G. 3, 189.| 338. *secundo*, favente et alacritatem currentis adiuvante, cf. vs. 491. 10, 266.| 339. iunge *nunc tertia*. — *palma*, v. G. 1, 59. E. 7, 16.| 340. *ora pr. p.*, patrum primas sedes tenentium.| 344. *veniens*, sese offerens.| 346. *sub. p.*, accessit ad palmam, tertius inter primos, cf. vs. 308.| 347. Alii *redduntur*.| 349. Ut semel constitutum est (i. e. *ordine*, cf. vs. 308), ita dabuntur palmae.| 352.

Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optumus olli,
Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artis,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.
Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens,
Adsit, et evinctis attollat bracchia palmis.
Sic ait et geminum pugnae proponit honorem,
Victori velatum auro vittisque iuvencum,
Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit;
Solus qui Paridem solitus contendere contra,
Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat Hector,
Victorem Buten inmani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Bracchia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum manibusque inducere caestus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus
Tum laeva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,

v. 1, 698.| 355. *laude*, v. 9, 252.| 356. Ni inimice acceptus essem a fortuna; *ferre*, translatum, ut videtur, a ludibrio ventorum, h. l. lusum fortunae significat; similiter Graeci *εὖ* et *κακῶς φέρεσθαι*, Aesch. S. ad Th. 821 „*πατρὸς κατ' εὐχὰς δυσπότμους φορούμενοι.*“| 357. Iunge *simul his d.*, non *simul ostentabat*, v. 10, 856.| 359. *artes*, Pluralis indicans praestantiam, ut Hes. Sc. 312 „*τρίπος, κλυτὰ ἔργα περίφρονος Ἡφαίστοιο.*“| 360. Intelligemus clipeum voti causa in foribus templi alicuius Neptuno sacri fixum, a Danais ablatum s. refixum, qui postea in potestatem Troianorum venit; cf. 3, 286—288.|| 362—484. *Pugilum certamen*. cf. Hom. Il. 23, 651 sqq.| 363. *an. praesens*, qui se non sinit perterreri instanti periculo; nam periculosum erat hoc genus certaminis.| 364. *evinctis* caestu scilicet.| 366. *vel. a. vitt.*, aurata cornua habentem vittisque ornatum.| 369. v. G. 1, 214.| 273. Amycus rex Bebrycum, populi Bithyniae, nobilis pugil, victus a Polluce; Apollon. Rh. 2, 1 sqq. Theocr. 22, 27 sqq. — *veniens se ferebat*, non simpliciter i. q. venerat, sed inest in his verbis notio dignitatis, hic quidem superbiae, in ipso incessu conspicuae, ut 1, 503. 4, 11. Ceterum v. 3, 310.| 375. *prima in proel.*, primus huius generis proelio se offerens, v. E. 9, 46.| 379. *adire* interdum dicitur in re ardua ac periculosa, unde *adire periculum;* cf. 1, 10.| 380. *exc. p.*, decedere sibi de victoria.| 382. *Tum*, v.

Quae finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae, reddique viro promissa iubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxumus ut viridante toro consederat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille magister,
Nequiquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque inprobus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas,
Haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco
Venissem, nec dona moror. Sic deinde locutus
In medium geminos inmani pondere caestus
Proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus
Ferre manum duroque intendere bracchia tergo.
Obstipuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recusat;
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum inmensa volumina versat.
Tum senior talis referebat pectore voces:
Quid, si quis caestus ipsius et Herculis arma
Vidisset tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat; —
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro; —
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,
Dum melior viris sanguis dabat, aemula necdum

2, 391. | 384. *teneri*, in exspectatione esse. | 386. *reddi* dicuntur res debitae, promissae. | 387. *gravis*, i. e. graviter, v. 4, 494. | 388. ergo otiose sedentem Ent. | 389. *frustra*, quandoquidem nunc iners desides. Aliter accipies 2, 348. | 391. ubi nunc est illa gloria, quod magistro usus es Eryce, quem olim iactabas? et v. E. 8, 6. — *deus*, cf. vs. 483. | 395. v. 1, 19. | 400. *nec moror*, nec curo. — *deinde*, v. vs. 14. | 402. *quibus*, v. 2, 409. Hom. Il. 17, 530 „ξιφέεσσ' αὐτοσχεδὸν ὁρμηθήτην.“ | 403. v. G. 3, 283. | 404. *tantorum*, nam maximorum; ut G. 1, 149 *tam multa*, nam plurima; v. E. 1, 12. — Ergo is caestus ex corio septem maximorum boum factus erat. | 406. *longe recusare* dicitur ut *longe abhorrere*. | 407 sq. Caestus ex uno loro satis longo constabat, quo, tamquam vinculo ac volumine, manus et brachia religabantur; volumina igitur haec ipsum significant caestum, quibus huc illuc versandis pondus eius explorat Aeneas. | 409. *senior*, senex Entellus. — *ref. p.*, v. G. 2, 520. | 410. *caestus et arma*, caestum, quo armatus erat Hercules. | 411. *trist. pugnam*, qua interfectus est Eryx ab Hercule. | 412. v. vs. 24. | 413. *sanguine* eorum, quos vicit Eryx. | 415. *aemula*, quae, cum subtrahit robur, quasi invidet homini; Ovid. Met. 15,

Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares haec Troius arma recusat,
Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes,
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus; et tu Troianos exue caestus.
Haec fatus duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Bracchiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Inmiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille pedum melior motu fretusque iuventa,
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequiquam inter se volnera iactant,
Multa cavo lateri ingeminant et pectore vastos
Dant sonitus, erratque auris et tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub volnere malae.
Stat gravis Entellus nisuque inmotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis adsultibus inritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elapsus corpore cessit;
Entellus viris in ventum effudit, et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

234 „Tempus edax rerum, tuque, invidiosa senectus, Omnia destruitis." | 417. *Troius*, tamquam qui se non possit comparare Siculo homini, certe in hoc genere pugnae. | 418. cf. 2, 660. — *auctor*, qui me ad hoc certamen excitavit. | 419. *terga*, cf. vs. 405. | 420. *Troian.*, i. e. tuos. | 421. *dupl. am.*, abollam, duplici vel omnino crassiore filo textam, et, ut videtur, intonsam. Convenit talis vestis seniori et caloris experti. | 422. v. G. 1, 295. | 426. „*πόδεσσιν ἐπ᾽ ἀκροτάτοισιν ἀερθείς*," Apollon. Rh. 2, 90. | 433. Hom. Il. 5, 795 „*ἕλκος ἀναψύχοντα, τό μιν βάλε Πάνδαρος ἰῷ.*" | 437. *gravis* mole corporis, cf. 10, 771., tum 10, 207. 12, 458. — *nis. i. eod.*, firmiter insistens vestigio suo. | 439 sqq. Ille modo rem vi gerit et similis est oppugnanti urbem, modo quietior occasionem captat similis circumsedenti castella montana. — *molibus*, operibus et machinis. | 440. *sub armis*, armatus, ut vs. 585. adde 7, 434. 11. 464. | 446 sq. *ultro Ipse*, nulla sua culpa, sed sua ipse mole gravatus procidit. | 447. v. G. 2, 290. |

Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor caelo, primusque accurrit Acestes,
Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit viris et conscia virtus,
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra;
Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem inposuit pugnae, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non viris alias conversaque numina sentis?
Cede deo. Dixitque et proelia voce diremit.
Ast illum fidi aequales, genua aegra trahentem,
Iactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore eiectantem mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad navis; galeamque ensemque vocati
Accipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis tauroque superbus:
Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora iuvenci,
Qui donum adstabat pugnae, durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua caestus,
Arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro.
Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor caestus artemque repono.
Protinus Aeneas celeri certare sagitta
Invitat qui forte velint, et praemia ponit,

450. ***studiis***, studium prae se ferentes, quo prosequebantur Entellum. | 451. *caelo*, v. E. 2, 30. | 455. *Tum p.*, accedit pudor, qui *cet.*, cf. 3, 141. — *incend. v.*, v. 10, 895. | 457. v. G. 2, 435. | 466. *alias*, divinas, Eryce Entellum iuvante, cf. vs. 391 sq. et 483. — *conversa*, mutata, tibi non propitia. | 471. cf. vs. 367. | 473. *sup. an.*, cui spiritus abunde est, quippe victoria elato. | 478. *reducta*, i. e. alte post caput sublata, ut 12, 307. | 480. Alii *inlisit ossa* sine *in.* | 481. Iunge *tremens bos* et *exanimis procumbit*; cf. 2, 613 sq. G. 1, 449. | 483. *meliorem:* melius est hanc, taurinam, animam persolvere, quam Daretis; contrariam in partem idem dicitur 12, 296. | 484. v. E. 7, 24. || 485—544. *Sagit-*

Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit, et volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, deiectamque aerea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, iussus confundere foedus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsedit Acestes,
Ausus et ipse manu iuvenum temptare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri et depromunt tela pharetris.
Primaque per caelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae iuvenis volucris diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto;
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus, iamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Iam vacuo laetam caelo speculatus, et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aetheriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes;
Qui tamen aerias telum contendit in auras,

tandi certamen. cf. Hom. Il. 23, 850 sqq. | 487. *ingenti manu*, magna, qualis tribuitur diis atque heroibus, *χειρὶ παχείῃ.* | 488. traiectus funis significat nodum, quo columba vincitur, cf. vs. 510 sq. | 491. v. vs. 338. — Hom. Il. 3, 316—325 „*κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον, … ὁππότερος δὴ πρόσθεν ἀφείη χάλκεον ἔγχος … Πάριος δὲ θοῶς ἐκ κλῆρος ὄρουσεν.*“ | 493. *victor*, quippe fuit unus ex numero victorum, accepit enim *τὰ δευτερεῖα*, cf. vs. 258 sqq. | 494. v. vs. 110. | 496. Hom. Il. 4, 88 sqq. — *confundere*: „*ἐπεὶ σὺν γ᾽ ὅρκι᾽ ἔχευαν*“ Hom. vs. 269. | 498. v. G. 2, 290. | 504. *Et:* Copulae interdum rem statim consecutam indicant, ut 1, 82. 6, 547. 8, 124. 9, 22. 117. 10, 495. 877. G. 3, 252. | 505. *t. ext. p.*, timorem terroremque suum pennis, s. alarum tremore, significavit. | 506. *plausu* alarum columbae, cf. vs. 516. | 511. *pedem*, v. E. 3, 106. | 512. v. 1, 544 et 4, 705. | 513. *rapidus*, *σπερχόμενος* in eadem re dixit Hom. Il. 23, 870. | 514. v. vs. 234. | 517. v. 3, 619. |

Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum obiicitur magnoque futurum
Augurio monstrum; docuit post exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumpta in ventos; caelo ceu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri; nec maxumus omen
Abnuit Aeneas; sed laetum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honorem.
Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera inpressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnis victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori,
Quamvis solus avem caelo deiecit ab alto.
Proxumus ingreditur donis, qui vincula rupit,
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque inpubis Iuli

521. *pater* ita praegresso Pronomini (*Qui*) subiicitur, ut dignitas hominis ostendatur, ut *viro* supra vs. 262, *senior* 12, 401. — *artem*, quae ipsa cernitur in sagitta fortiter et cum gravi sono arcus emittenda.| 523 sq. vates, omen illud interpretantes, aliquanto post gravi cum rerum conversione eventum habiturum canebant; et gratum Aeneae fuisse docet vs. 530—32. Monstratur eo augurio apotheosis C. Iulii Caesaris, cuius anima credebatur in stellam crinitam (cf. vs. 528) conversa. Sueton. Iul. 88 „Ludis, quos primo consecratos ei (*Caesari*) Augustus edebat, stella crinita fulsit, creditumque est animam esse Caesaris in caelum recepti.“ Compara haec cum his versibus Virgilianis: utrobique ludi divo parenti consecrati, utrobique stella crinita. Ac prope manifestum est, ludis ab Augusto editis visaeque eo tempore stellae crinitae deberi haec scite inventa a Virgilio. Nec haerendum in eo, quod Acestae obtigit illud ostentum; nam et ipse Troianus fuit, et, id quod maximum est, evenerunt haec in honore Anchisae, proavi Divi Iulii.| 525. Servius „*Nubes* pro aere posuit; nubes enim liquidae esse non possunt.“| 527. v. 4, 705 et G. 1, 365.| 534. *voluit*, ostendit *his auspiciis* se velle exsorti, i. e. extra sortem dato s. extraordinario ac praecipuo aliquo, honore te affici.| 536. cf. vs. 267 et v. 4, 500.| 537. *in m. m.*, quod esset in numero magnorum munerum habendum. — *Cisseus*, rex Thraciae, pater Hecubae.| 540. v. 3, 437.| 541. *prael. honori*, quippe ipsius honori praelatus est honor Acestae.| 543. v. vs. 68.|| 545—603. *Ludicrum Troiae.*| 545. *cert. m.*, certantium ac spectantium turba dimissa. — Describitur autem puerorum in equis concertatio, qui ludus postea *Troia* appellatus est, retentus diu, ut a Sulla (Plut. Cat. min. 3), a Iul. Caesare (Sueton. c. 39), ab

Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos iubet esse patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, quos omnis euntis
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro,
Pars levis humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent paribusque magistris.
Una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus formaque ante omnis pulcher Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidae, veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis, signum clamore paratis

Augusto (Suet. c. 43.) multisque Imperatoribus. | 547. *Epyt.*, Periphantem. | 550. *avo*, in honorem Anchisae, avi. | 553. *pariter*, pari ornatu paribusque armis. | 556. *in morem*, ex more, *tonsa*, v. G. 3, 21. Ea corona imposita erat galeae, cf. 7, 751, non ipsi comae, quae ita dicitur premi, ut omnis res subiecta alteri, etsi inter utramque aliquid (h. l. galea) intersit medium. | 559. *obtorti*, *στρεπτοῦ*. Significatur torques, dictus ab auro in annulos inter se implicatos contorto. | 562. *agmine partito* sic puta, ut singuli cuiusque agminis ordines ex binis pueris constiterint. — *magistris*, cf. vs. 548 et 669. — *paribus* inter se numero, sic ut bini cum singulis turmis fuerint. — Ceterum verbum *fulgent* mendosum videtur. | 563. v. 1, 639. | 565. *auct. It.*, qui (Priamus ille minor) futurum erat ut genus suum in Italia propagaret. Huius patrem Politorium in Latio condidisse Cato in Origg. tradidit; contra Virgilius 2, 526 sqq. Politen in excidio Troiae occisum scribit; quare haec videtur esse mens poetae: oppidum illud a filio Politae conditum esse et paterni honoris causa ita appellatum. | 569. *puero p. dil. I.:* datum hoc honori gentis Atiae, unde materna origo Augusti,

Epytides longe dedit insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis, alternosque orbibus orbis
Inpediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis;
Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et inremeabilis error;
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Inpediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant [luduntque per undas].
Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit et Priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes;
Albani docuere suos; hinc maxuma porro
Accepit Roma, et patrium servavit honorem;

Sueton. Octav. 4. | 580 sq. *Discurrunt*, omnes turmae *(pares)* pariter, ita quidem, ut suum quaeque turma agmen in duas aequales partes solvat, quarum una dextrorsum discedit, altera sinistrorsum, hi sunt *chori diducti*. Pro *Diductis* alii *Ded.* — *vocati* a pueris ductoribus. | 582—87. Postquam binae illae partes *(chori)* infestis (v. 9, 512) telis inter se concurrerunt, instituunt alios cursus, recurrunt deinde conversi inter se, i. e. *adversi sp.* Ex vs. 586 sq. intelligitur tria esse potissimum, quae faciant post primum congressum: fugiunt, denuo congrediuntur velut pugnaturi, binas partes rursus in singulas turmas confundunt. Pars autem fugiens cum, quo eluderet, ut fit, sequentem, in orbes quosdam equitaret, necesse erat etiam insectationem suos habuisse anfractus, qui secarent illos orbes et quodammodo suis orbibus implicarent; sic alternatim orbibus orbes inpediunt. Ceterum fieri non potuit, quin in eiusmodi cursu ars et peritia equitandi ab utraque parte ostenderetur. | 584. Alii *Adversis* et *alternis*. | 585. proprie ipsa pugna cieri dicitur. — *sub a.*, v. vs. 440. | 587. *pariter*, nempe in unum agmen coniuncti. | 588. de Labyrintho cf. Ovid. Met. 8, 159 sqq. | 589 sq. *P. t. caec.*, iter perplexum inter parietes, qui varios flexus eius videre prohibent. — *anc. M. v. h. dol.*, mille viis fallacibus effecisse, ut semper anceps sis, quo debeas pergere. — *qua*, v. G. 1, 90. — *signa s. Falleret*, error, qui efficeret, ut laterent sive nulla apparerent signa, quae quis sequeretur. | 591. *indepr.*, carens certis notis, quibus animadversis ex eo te expedire possis. — *irremeab.*, qui reditu, ergo exitu, destitutus est. | 593. *Imp.*, cf. vs. 585. | 595. Designatur celeritas delphinorum (cf. Cic. de Nat. Deor. 2, 35), qua modo ex Carpathio mari in Libycum, modo ex hoc in illud transeunt. | 598. *Rett.*, instauravit. — *priscos* an *Priscos?* Et Prisci Latini dicebantur illi antiquissimi Latini, quorum urbes (30) iam multo ante Romam ipsamque Albam conditam foedere inter se iunctae erant; postea principem inter has foederatas civitates locum Alba obtinuit. | 601. *patr. hon.*, ludum illum, qui fuit apud maiores suos, Troianos,

Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
    Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem consessum, et litora lustrat
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.
Urbem orant; taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Coniicit, et faciemque deae vestemque reponit;
Fit Beroe, Marii coniunx longaeva Dorycli,
Cui genus et quondam nomen natique fuissent,
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert.
O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reservat?
Septuma post Troiae excidium iam vertitur aestas,
Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa
Sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros iacere et dare civibus urbem?
O patria et rapti nequiquam ex hoste Penates,
Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam

in honore. | 602. ad *Troia* repetes ex vs. 596 *is cursus, id ludicrum.* — *dicitur*, numero Verbi ad Praedicatum applicato, ut apud Liv. 1, 1 „Gens universa Veneti appellati.“ | 603. *Hac c. tenus*, per tmesin pro *Hactenus cel.* || 604—699. *Dolo Iunonis classis Troiana incenditur a Troadibus; quattuor naves igne absumptae.* Nec hoc inventum a poeta, sed tractum ex historia, cf. Dion. Hal. 1, 52. | 604. *primum*, cum ante nihil turbarum ludis obiecisset. — *fid. nov.*, facta est infida. | 607. v. 4, 223. | 608. v. E. 3, 106. | 609. *Illa ... virgo*, v. G. 4, 457. | 613. *acta*, ἀκτῇ. — Non decebat scilicet mulieres eiusmodi ludis interesse. | 619. Deae vestibus utebantur ad imos pedes demissis, cf. 1, 404; praeterea Iridis propria est vestis versicolor. | 620. *Marii*, qui patrem habuit *Μάρον*, Marum, quod nomen est ap. Sil. 6, 74. 98. 136; *Μάρις* audit unus e principibus Troianis Hom. Il. 17, 319. — Alii *Tmarii*, *Ismarii*. | 621. *Cui*, Dorycio. — Coniunctivum posuit poeta, quo causam indicaret, cur Iris Beroes formam sibi induere voluisset. | 626. *vertitur*, inclinat se. | 628. *Sidera*, puta iter, quod fit, dum certa quaedam sidera navigantibus inimica tempestates concitant. — *emensae*, v. G. 1, 206. | 629. *fug.*, cf. 3, 496. | 630. v. vs. 24. | 631. Alii *Quid.* | 632.

Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite et mecum infaustas exurite puppis.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces: Hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis. Iam tempus agi res,
Nec tantis mora prodigiis: en quattuor arae
Neptuno; deus ipse faces animumque ministrat.
Haec memorans prima infensum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. Arrectae mentes stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quae maxuma natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,
Est Dorycli coniunx; divini signa decoris
Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui voltus, vocisque sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.
Haec effata.
At matres primo ancipites, oculisque malignis
Ambiguae spectare rates miserum inter amorem
Praesentis terrae fatisque vocantia regna:
Cum dea se paribus per caelum sustulit alis
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitae monstris actaeque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniiciunt. Furit inmissis Volcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppis.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus, et ipsi

vs. 1, 378.| 634. novam patriam, novam quasi Troiam; et v. vs. 756.| 639. *tant. prodig.*, rei per somnum tam manifesto monstratae.| 640. *an.*, audaciam.| 643. *Et iacit*, v. 12, 730.| 646. Rhoetēum promontorium Troadis, itaque *Rhoeteia* i. q. Troiana, et cf. vs. 620.| 649. v. 1, 405.| 652. *tali Munere*, sacrificio caerimoniisque inferiarum tam sollemnibus. — *inferret*, non interesset ferendis Anchisae inferiis.| 654 sqq. *ancipites:* primum omnino ac simpliciter ancipites, dubiae, appellantur, tum, quod universe pronuntiatum erat, in suas partes distributum explicatur: ambigebant, utrum in Sicilia manere mallent, an navigare in Italiam.| 655. *mis. am.*, ut apud Terentium: „eam (puellam) *misere amat;*" misere amare autem est i. q. vehementer et cum cruciatu quodam cupere id, quo nondum sis potitus.| 656. *fatis*, quod ex fato promissum erat regnum in Italia Troianis.| 657. v. 4, 252.| 658. *secuit arc.*, v. 12, 368. supra vs. 609 „Iris ... viam celerans per mille coloribus arcum."| 660. *penetr.*, qui erant in interioribus partibus domorum proximarum.| 662. v. G. 1, 295. — *inm. hab.*, ergo quasi effrenatus.| 663. *pict.*, νῆας μιλτοπαρῄους Homer. — *abiete*, Ablativus materiam significans, ex qua quid factum, ut 2, 765. 3, 286. 10, 636. 784.

Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra, nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? non hostem inimicaque castra
Argivom, vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius! — galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt, silvasque et sicubi concava furtim
Saxa petunt; piget incepti lucisque, suosque
Mutatae adgnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammae atque incendia viris
Indomitas posuere; udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis,
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos et tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, Pater, et tenuis Teucrum res eripe Leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine Morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremescunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber, aqua densisque nigerrimus austris;
Inplenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora; restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quattuor amissis, servatae a peste carinae.

669. *castra* nautica, classem. — *mag.*, v. vs. 562.| 671. *miserae*, v. 11, 175.| 673. *gal. inanem*, „vacuam," Servius, utpote exutam capiti, ut facile agnosci posset Ascanius.| 674. v. vs. 585.| 677. iunge *furtim petunt.*| 678. cf. 4, 451.| 679. *Iuno*, furor ab Iunone iniectus, cf. vs. 659; Silius 7, 496 „*Fabium exuerat mente.*"| 681. *vivit:* „ignes vivite inexstincti," Ovid. Fast. 3, 428.| 687. *ad un.*, i. e. ad unum omnes. Cic. Ep. ad Fam. 10, 16 „sunt assensi *ad unum.*" id. Lael. c. 23 „de amicitia *omnes ad unum* idem sentiunt." — Ceterum ut praegresso pronomine *Tu* omittitur verbum *es* (Tib. 4, 13, 11 sq. „Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra Lumen, et in solis tu mihi turba locis." adde Virg. Ecl. 5, 4. 34. 8, 48. 50.), ita Vocativo praecedente recte omitti poterat.| 688. *pietas ant.*, solita clementia et misericordia tua.| 691. *quod superest*, reliquam classem, cf. vs. 796.| 692. *dem. M.*, ut vs. 690 „res eripe Leto."| 693. *eff.*, v. G. 2, 352.| 694. *sine more*, immoderate.| 696. *densis*, v. G. 3, 196. — *nig.*, quo densiores sunt pluviae, eo videntur nigriores.| 697.

At pater Aeneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans, Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit multaque insignem reddidit arte —
Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira
Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo —
Isque his Aenean solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium et coniunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
Longaevosque senes ac fessas aequore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige, et his habeant terris sine moenia fessi;
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici,
Tum vero in curas animo diducitur omnis.
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc caelo facies delapsa parentis
Anchisae subito talis effundere voces:
Nate mihi vita quondam, dum vita manebat,

super, *ὕπερϑεν*, et significantur stegae navium.|| 700—761. *Nocte insequenti Anchises apparet Aeneae clade partis navium suarum perculso eumque Iovis verbis hortatur, ut Nautae consilium secutus omnem turbam imbellem in Sicilia apud Acesten relinquat, ipse cum robore iuvenum in Italiam naviget, duce Sibylla ad inferos descendat atque ex ore parentis ibi cognoscat, quae scire eum maxime intersit. Morem gerit Aeneas consiliis paternis; designatur nova urbs Acesta* (*sive Segesta*), *quam condant relicti Troiani, templum in Eryce Veneri fundatur, tumulo Anchisae additur lucus et sacerdos.*| 702. *Mutabat* sc. eas, nunc hanc nunc illam volvens animo.| 703. v. vs. 656.| 704. Nautes, a quo gens Nautia originem ducebat, Palladium secum Troia asportasse narrabatur. Ipse fuit sacerdos Minervae, idque sacerdotium apud gentem Nautiam remansit. — *unum* omnium maxime; Cic. Verr. l. 4, 1, 3 „quae tibi *una* in amore atque in deliciis fuit.“| 706. *Haec*, Pallas, non solum erudierat Nauten, sed consulta ab eo etiam *resp. dabat; respondere* est deorum consultorum.| 708. Per *Isque* reditur ad orationem duobus versibus interpositis interruptam. — *solatus*, v. G. 1, 206.| 709. *trah. retrah.*, id est: iterum iterumque trahunt.| 710. *Quidq. erit*, quidquid obvenerit.| 711. *div.*, cf. vs. 38 sq.| 712. *volentem*, v. 3, 457.| 713. *superant*, quibus recipiendis naves post quattuor amissas reliquae non sufficiunt.| 715. *Long. s.*, ut Tibull. 1, 8, 50 „*veteres* senes,“ ductum ex Homerico illo *γεραιὲ παλαιγενές*, Il. 17, 561. — *matres*, ergo non etiam iuniores feminas, cf. 11, 35.| 718. *perm. nom.* Gloriam quaerebant novarum urbium conditores ex eo, ut ex ipsorum nominibus eas appellarent; eam gloriam, quae videbatur Aeneae deberi, Acestae permitti vult Nautes.| 720. *Tum vero* indicat insignem effectum ex causa modo memorata natum. Liv. 2, 29 „Quo *repulso tum vero*“ cet. v. etiam 2, 391.| 721. *Et*, v. 2, 801.| 722.

Care magis, nate Iliacis exercite fatis,
Inperio Iovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit et caelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes
Dat senior; lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent tristesve umbrae, sed amoena piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et quae dentur moenia, disces.
Iamque vale; torquet medios Nox humida cursus,
Et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.
Dixerat, et tenuis fugit ceu fumus in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis,
Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.
Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Iovis inperium et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec iussa recusat Acestes.
Transcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentis.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis, aptant remosque rudentisque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro
Sortiturque domos; hoc Ilium et haec loca Troiam

facies quaedam in similitudinem Anchisae efficta, cf. vs. 735. | 725. *Il. ex. f.*, v. 3, 182. | 727. v. 3, 182. | 730. *asp. c.*, asperos colens mores; atque ut hoc morum est, ita illud *dura* naturae; iam cf. 9, 604—613. | 732. v. 3, 386 et 442. | 734. *tristesve u.*, significatur locus heroibus assignatus tristis ac sole carens, uti appellatur a Deiphobo 6, 534 et 545. | 736. cf. 6, 243—254. | 739. Donatus: „Non permittitur mortuis loqui, cum sol fuerit exortus. — *saevus*, quoniam invitum separat a filio.“ Ceterum v. G. 1, 250. | 741. *deinde*, post brevem hunc sermonem, antequam amplexum tuum petere potui. | 744. *p. V.*, Vestam in penetralibus positam, quo veneraturus eam accessisse putandus est; eam *canam* dicit ut unam ex diis antiquissimis. | 745. Somnia procurabantur pio farre, i. e. mola salsa (sancta ap. Tibull. 1, 5, 14) et ture; Plaut Amphitr. 2, 2, 108. Tibull. 3, 4, 9 sq. | 746. v. 3, 437. | 749. *consiliis* accipiendis. | 751. *Depon.*, ut inutile onus. — *nil* gravius negat, quam *non*. | 752. *rep.*, cum integris permutant. | 753. *aptant*, v. G. 2, 359. | 754. *b. v. v.*, i. e. tales, quibus est vivida ad bellum virtus, viri fortes ac strenui; cf. 11, 338 sq. | 755. Locum condendae urbis sulco includere solebant Romani. | 756. *Sort.*, sorte assignat. — *Ilium* urbs,

Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt aequora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Conplexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies et non tolerabile numen,
Ire volunt omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis
Et consanguineo lacrimans commendat Acestae.
Tris Eryci vitulos et Tempestatibus agnam
Caedere deinde iubet solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.
Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur, talisque effundit pectore questus:
Iunonis gravis ira nec exsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis;

Troia regio; et fluvios, qui erant in ea parte Siciliae, Scamandrum et Simoenta appellasse fertur Aeneas.| 758. *Ind. f.*, locum tempusque exercendorum iudiciorum designat. — *p. d. i. v.*, iis, quos legerat patres s. senatores, leges deliberandas proponit.|| 762—826. *Discessus Troianorum. Neptunus precibus Veneris exoratus navigantibus tutum praestat mare.*| 762. Particulis *Iam*, *Iamque* saepe subiicitur enuntiatum a coniunctione *cum* incipiens, ut 7, 104. 3, 135. 7, 160 et 166, sed omittitur eadem interdum, ut 9, 459.| 763. v. E. 2, 26.| 764. Ordinabis verba hunc in modum: *Et vocat creber* (i. e. validior nec intermissus, cf. 3, 530) *adspirans*; v. G. 1, 163.| 766. *Conpl. i. s.*, cf. Liv. 7, 42. Cic. Ep. ad Att. 6, 1 „Cicerones pueri amant inter se.“ v. G. 1, 163.| 768. *numen.* Mare inter deos numerat Hygin. fab. praefat. „Ex Aethere et Die Terra, Caelum, Mare,“ et paulo post: „Ex Ponto et Mari Oceanitides.“ Uno vocabulo Maris complectitur numina marina Virgilius 12, 197. Ac numen eius intolerabile hic dicitur iis, qui, experti eius violentiam, horrent se ei denuo committere. Intolerandus, immanis, vesanus, a Plauto dicitur Neptunus Trin. 4, 1, 7. — Alii *nomen.*| 769. cf. 1, 2.| 772. *Eryci*, v. vs. 24. — „Tempestates populi Romani ritibus consecratae sunt,“ Cic. Nat. D. 3, 20. Horat. Epod. 10, 23 et cf. 3, 120.| 773. *ex ord.*, ita, ut solvat alia navis post aliam. — *fun.*, v. G. 1, 457.| 774. v. G. 3, 21. — *olivae*, quia pacem deorum implorat.| 775. alias sacra fiunt in puppi, hic in prora, quia discedit e portu.| 776. Cic. Nat. D. 3, 20 „Nostri quidem duces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueverunt.“| 782. *in omn.* puta *etiam in humillimas*; humile est enim, supplicare etiam adversario, cf. vs. 810 sq. 2, 610. Hom. Il.

Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Nec Iovis inperio fatisque infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem:
Reliquias Troiae, cineres atque ossa peremptae
Insequitur. Causas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis
Quam molem subito excierit: maria omnia caelo
Miscuit, Aeoliis nequiquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis
Exussit foede puppis, et classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Thybrim,
Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.
Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. Merui quoque; saepe furores
Compressi et rabiem tantam caelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,
Aeneae mihi cura tui. Cum Troia Achilles
Exanimata sequens inpingeret agmina muris,
Milia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus, Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean nec dis nec viribus aequis
Nube cava rapui, cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi; pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi laeta deae permulsit pectora dictis,
Iungit equos auro Genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnis effundit habenas.
Caeruleo per summa levis volat aequora curru;
Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti

20, 34. | 783. *pietas*, cf. 3, 547. | 784. *infracta*, v. 12, 1. — Alii *fatisve.* | 789. cf. 1, 50 sqq. | 791. *nequiq.*, cf. 1, 131 sqq. | 793. *Per sc. actis*, ut δι' ὕβρεως μολοῦσαι s. ἀγόμεναι apud Tragicos Graecos. | 796. *Quod s.*, reliqua classis. | 797. *tibi*, v. G. 2, 5. | 798. *ea*, ibi, ad Tiberim, condenda; v. 6, 18. | 801. *Unde g. d.*, Hes. Theog. 168—198. | 805. Videtur poeta respexisse Homericum illud ἔλσαι κατὰ ἄστυ Il. 21, 225. | 807. cf. Hom. Il. 21, 218. | 808 sqq. cf. Hom. Il. 20, 318 sqq. | 810. v. 2, 360. | 811. v. 3, 3. — *periurae*, v. G. 1, 502. | 813. *port. Av.*, Cumas, 6, 2. | 814. *Unus*, Palinurus; cf. vs. 833 sqq. | 817. *auro*, aureo currui. | 818. *feris*, v. 2, 51. | 820 sq. v. 8, 89; sed, nisi versus excidit,

Sternitur aequor aquis, fugiuntque ex aethere nimbi.
Tum variae comitum facies, inmania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis;
Laeva tenet Thetis et Melite Panopeaque virgo,
Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia pertemptant mentem; iubet ocius omnis
Attolli malos, intendi bracchia velis.
Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua detorquentque; ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnis densum Palinurus agebat
Agmen; ad hunc alii cursum contendere iussi.
Iamque fere mediam caeli Nox humida metam
Contigerat; placida laxabant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:
Cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem;
Aequatae spirant aurae; datur hora quieti.
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi voltum fluctusque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus auris,

non *tumidum*, sed *placidum* videtur poeta scripsisse. | 823. *sen. Gl. chor.*, Glaucus cum aliis diis marinis, qui quidem omnes et aetate et facie erant senili. | 824. *exercitus*, dii marini, qui Phorco solent comitari, cf. vs. 240. || 827—871. *In eo itinere Palinurus a Somno oppressus praecipitatur in mare. Aeneas succedit vicarius eius muneri.* Ea quoque res fidem habet historicam, cf. 6, 381. | 829. *bracchia*, antennas. | 830 sq. *pedes* dicuntur duo funes, quibus a puppi religatis intenditur velum, quod illis, tamquam pedibus, innititur. Cum ventus ab ipsa puppi flat, utroque pede, cum a dextra sinistrave, uno, vel dextro vel sinistro, cum variat ventus (id quod tum accidisse apparet), modo dextro, modo sinistro navigatur. — *pariter*, una, ut 9, 182. — *sin. N. dextr. s. s.*, vela explicavere ita, ut versus ventum obliquata nunc a dextra nunc a sinistra venientem sinu suo exciperent. | 831 sq. *t. C. det.*, cornua, extremitates antennarum (ergo ipsas antennas), prouti opus erat, huc et illuc torquent. | 832. *sua*, v. G. 4, 22. | 835. v. 3, 135. | 840. *somn. tr.*, secundum Servium et Donatum: soporem exitialem. | 841. *consed.*, v. 3, 565. | 844. *Aequ.*, aequali flamine. | 845. *oculos*, cf. vs. 853. — *furare*, subtrahe furtim s. ob brevitatem temporis latenter, ut labor non videatur omissus. | 850. Alii interpungunt: „Aenean credam — quid enim? —, fallac. auris Et caeli“ *cet.*, suppleta hunc in modum oratione: „Aenean

Et caeli totiens deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus et haerens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem
Vique soporatum Stygia super utraque quassat
Tempora, cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et superincumbens cum puppis parte revolsa
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas
Praecipitem ac socios nequiquam saepe vocantem;
Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non setius aequore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,
Difficilis quondam multorumque ossibus albos,
Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:
Cum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici:
O nimium caelo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena.

credam huic monstro?“ Nimis id durum.| 851. cum praesertim toties iam deceptus sim serenitate caeli; 9, 783 „Unus homo *et* vestris undique saeptus Aggeribus.“| 853. v. G. 4, 453.| 854 sq. ros Lethaeus affert obliviosum somnum, vis Stygia exitiosum.| 856. v. 4, 496. — *solvit:* solvuntur corpora, lumina, cum remittitur illa vis, qua agitantur.| 857. *Vix* ... *Et,* v. 2, 692. — *prim.* v. G. 3, 130.| 865. *Siren.*, cf. Hom. Od. 12, 39 sqq.| 866. Servius: „*Tum rauca*, ac si diceret: antehac delectabili voce resonabant, tunc fluctibus solis,“ nimirum postquam Sirenes in ea saxa conversae sunt, quod factum est praetervecto incolumi Ulixe vel, ut est apud alios, Orpheo. — Ceterum v. G. 4, 370 et iunge *rauca sonabant*, v. 2, 53.| 868. *rexit:* qui facere id potuit revulso gubernaculo vs. 859? videtur usus esse vicario gubernaculo in talem casum praeparato.| 870 sq. Sunt haec verba Aeneae rem actam ignorantis; sic tollitur repugnantia, quae videtur intercedere inter haec et ea, quae leguntur vss. 848—851.| 871. *Nudus*, insepultus. — Fuerunt, qui primos duo versus libri sexti quinto libro adiicerent.

AENEIDOS.

LIBER SEXTUS.

(*Ad Cumas appulsa classe Aeneas adit templum Apollinis Sibyllamque vatem, qua duce, patris auctoritati obsecutus, descendit ad inferos. — Res inferorum. — Anchises docet Aeneam cum alia tum fata populi ab eo condendi.*)

Sic fatur lacrimans, classique inmittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Ancora fundabat navis, et litora curvae
Praetexunt puppes. Iuvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae
Abstrusa in venis silicis, pars densa ferarum
Tecta rapit silvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,
Antrum inmane, petit, magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates aperitque futura.
Iam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.
  Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,
Praepetibus pennis ausus se credere caelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit

Aeneid. L. VI. 1—76. *Aeneas in litus Cumanum egressus templum Apollinis antrumque Sibyllae petit; iussa ab ea sacra facit, vota nuncupat Sibyllamque orat, ut oraculum viva voce sibi edat.* | 1. *Sic fatur l.:* similia apud Homerum exordia librorum Il. 7. Od. 9. 13. — *cl. i. hab.*, v. 8, 708. | 2. Liv. 8, 22 „Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt.“ | 3—5. v. 10, 268. | 7 sq. alii ligna sarmentaque arida, quibus ignem nutriant, raptim collecta afferunt ex densa, quae ibi erat, propter eaque ferarum plena silva; cf. vs. 179; alii inventa flumina monstrant, v. 1, 701. Et igne indigere poterant ad torrendas fruges, ut 1, 179, aqua vel ad lustrationes vel ad alios usus. (Sunt, qui *rapit* referant ad silvas venandi causa percursas, quod certe a Virgiliana consuetudine abhorret.) | 9. *arces*, v. G. 2, 535. Erat templum Apollinis ad Cumas monti impositum. — *altus*, ut 10, 875. | 10. *horrendae* ipso adspectu, qualis furore correptae vatis esse solet, cf. vss. 47—51. 77—80. — Aeneas cum comitibus quibusdam (vs. 40 et 41) petit templum antrumque, procul ab eo loco sita, ubi ceteri Troiani in alio negotio occupati erant. | 11. *mentem animumque:* mens, proprie facultas intelligendi, ita cum animo coniungitur, ut comprehendatur omnis vis, quae viget in animo. *magna* autem ita adiicitur, ut indicetur motus animi ultra solitum concitatus; significatur autem ἐνθουσιασμός vatum. | 13. *aur. t.*, templum Apollinis in luco Hecatae s. Triviae. | 16. *ad*, versus. | 17. v. vs. 2. — *levis*, avium omninoque volantium et eorum, qui celeri cursu feruntur, epitheton; cf. 5, 819. 838. 11, 868. | 18. Pronomina

Remigium alarum, posuitque inmania templa.
In foribus letum Androgeo; tum pendere poenas
Cecropidae iussi — miserum! — septena quot annis
Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphae, mixtumque genus prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;
Hic labor ille domus et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro;
Bis patriae cecidere manus. Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates
Adforet atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;
Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.
Talibus adfata Aenean — nec sacra morantur
Iussa viri — Teucros vocat alta in templa sacerdos.

is, *hic*, interdum funguntur vice Adverbiorum loci; *his terr. redd.*, i. e. *ibi* redditus est terris; 1, 534 „*Hic* cursus fuit," i. e. *Huc* curs. f.; adde 4, 46 et v. 5, 798.| 19. v. 1, 310.| 20—30. Vide omnia ex ordine ipsarum rerum efficta:

Fores

vs. 20—22			vs. 23—30
	Athenae	Creta	
	letum Androgei	Pasiphae cum tauro et Minotauro	
	sortitio puerorum	Labyrinthus cum Theseo	

|20. Ἀνδρόγεως, Genit. Ἀνδρόγεω. Rem ipsam lege ap. Catull. 64, 73 sqq. — *pend. poenas* ... *corpora*, v. 2, 139.| 22. *st. d. s. urna*, ex qua ductae erant sortes, quibus destinabantur, qui Cretam mitterentur ac Minotauro obiicerentur.| 24 sq. Pasiphae erat filia Solis, qui adulterium Martis et Veneris indicavit Vulcano, quapropter haec omne genus Solis odio persequebatur. Illa autem flagrans amore tauri formosissimi a Daedalo in ligneam vaccam corio iuvencae obductam inclusa est et ita tauro illi furtim (*furto*) supposita (κρυφίοις γάμοις μιγεῖσα) peperit Minotaurum; cf. 7, 283. *Crudelis* appellatur is amor, quia a Venere (a Neptuno aiunt alii) offensas suas *crudeliter* ulciscente Pasiphaae iniectus est.| 26. v. G. 1, 295.| 27. *lab. domus*, labor, quem ipse labyrinthus creat exitum quaerentibus.| 28. *reginae*, Ariadnes, filiae regis Minois. — *sed enim*, v. 1, 19.| 29 sq. fallaciam viarum inter se implicatarum expedivit monstrato scilicet per filum, quod dubios gressus (Thesei) regeret, exitu.| 31. *sin. dol.*, v. G. 2, 519.| 33. *omnia* bisyllabum, v. 1, 2.| 34. v. 1, 644.| 36. *Deiphobe*, Sibylla Cumana, *Glauci* (fortasse dei illius marini inter deos fatidicos habiti) filia. Eurip. Iphig. Aul. 1570 „ὦ Διὸς Ἄρτεμις θηροκτόνε." v. etiam 3, 319.| 37. *ista spect.*, spectationem istarum rerum.| 38. βοῦς ἀδμήτους, cf. Hom. Od. 3, 383.| 39. v. 4, 57.| 41. *in templa* Apollinis. — Lucan. 5, 170 de Pythia: „vittasque dei Phoebeaque serta

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, cum virgo, Poscere fata
Tempus, ait; deus, ecce, deus! Cui talia fanti
Ante fores subito non voltus, non color unus,
Non comptae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri
Nec mortale sonans, adflata est numine quando
Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te penitusque repostas
Massylum gentis praetentaque Syrtibus arva,
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras;
Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
Dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates,
Praescia venturi, da, non indebita posco
Regna meis fatis, Latio considere Teucros
Errantisque deos agitataque numina Troiae.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.

Erectis discussa comis ... Ancipiti cervice rotat." | 42. *Eub.*, v. vs. 2. — Templum Apollinis ita fuit praecisae rupi applicatum, ut ea pro pariete templi postico esset. Ex eo pariete plurima *(centum)* ostia foribus clausa (vs. 47 et 52) totidem aditus (vs. 43) ad antrum Sibyllae praebebant. Ad limen eius antri (vs. 45) Teucri in templum Apollinis (vs. 41) vocati resistunt. Ante fores antri, in ipso templo, arae (vs. 124) constitutae fuerunt. Sibyllae antrum ingressae responsa ex eo ad Teucros feruntur per auras, vs. 82, quo significatur vox foras perlata. | 45. *Posc. fata*, cf. vs. 66—68. | 50. cf. 1, 328. — *adflata numine dei*, vi et vehementia spiritus divini. | 51. *C. in vota*, cessas vota facere? Et vota facit vs. 69 sqq., preces 56 sqq. | 52. *ante* sc. quam feceris vota. | 53. Sentit etiam domus praesentiam dei et quasi stupens torpensque fores retinet clausas; cf. vs. 81. | 58. Aeacides, Achilles, nepos Aeaci. | 61. v. 5, 629. | 62. Desinat iam Troiana fortuna, adversa scilicet, nos persequi. | 64. *obstitit*, invisum fuit; nam invisa sunt, quae consiliis *nostris* obstant; dii autem credebantur favere modicis rebus, v. vs. 870 sq. | 66. *dare* vaticinantes dicuntur, quae sciunt datum iri a diis; cf. vs. 84 sq. | 69 sq. Templum in Palatio ab Augusto conditum ludosque Apollinares significari Aeneamque ex posterorum persona vota facere ait Servius. Signum Apollinis in eo templo medium inter Latonam et Dianam (Triviam) stetit. | 71 sqq. Significantur libri

Hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
Dicta meae genti ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis;
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phoebi nondum patiens, inmanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis, —
Sed terrae graviora manent — in regna Lavini
Dardanidae venient; mitte hanc de pectore curam;
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint; alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea; nec Teucris addita Iuno
Usquam aberit, cum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbes!
Caussa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cymaea Sibylla
Horrendas canit ambages antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea frena furenti

Sibyllini (prius in Capitolio servati, postea in templum Apollinis Palatini translati) et Quindecimviri (primo Duumviri, post Decemviri), qui iussu senatus eos inspicerent atque interpretarentur. | 74. *Foliis t. n. c. m.*, cf. 3, 44 sqq. || 77—155. *Accepto oraculo Aeneas patrem Anchisen conventurus petit a Sibylla, ut se doceat iter ad inferos. Haec ei primum praecipit, quae sint ante peragenda, quam eo descendat.* | 77 sqq. Grave est plenumque cruciatus, Dei numen pectore recipere; itaque reluctatur Sibylla conaturque Deum se insinuantem excutere. | 78. *inmanis*, v. 4, 494. | 78. *si*, v. E. 6, 57. | 79 sq. Ab equis ferocibus haec translata, qui exercendo sive fatigando domantur; iidem dicuntur fingi (ad voluntatem equitis componi) premique (frenis coerceri). | 84. *terrae*, sc. pericula, quod vocabulum ex superiore versu repetes. — *r. Lav.*, cf. 1, 2. | 86. Sed erit etiam, cur velint non venisse; nam cet. | 89. *alius Ach.*, i. e. Latium quoque habet aliquem Achillem; non alter partus est, quia Latini nullum ante habuerunt, sed alius, Latinus quippe, non Graecus, Turnus, filius Veniliae deae. | 90. *Teucris addita*, προσιζάνουσα, Macrob. Sat. 6, 4 „*addita*, i. e. affixa et per hoc infesta. Hoc iam dixerat Lucil. l. 14 „Si mihi non praetor siet additus atque agitet me.“ | 93. *hospita*, non Troiana, v. 3, 377.; significatur Lavinia, Latini filia, primum Turno, tum Aeneae promissa. | 95 sq. ea audentior obsiste malis, quo minus res tuae te sinere videbuntur. | 97. *Graia ab u.*, Pallanteo, urbe Euandri, cf. 8, 49 sqq. | 100 sq. *ea frena conc. et eos stimulos s. p.*

Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt,
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit;
Omnia praecepi atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris medioque ex hoste recepi;
Ille meum comitatus iter maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas caelique ferebat,
Invalidus, viris ultra sortemque senectae.
Quin, ut te supplex peterem et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere; — potes namque omnia, nec te
Nequiquam lucis Hecate praefecit Avernis; —
Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibusque canoris,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam totiens. Quid Thesea magnum,
Quid memorem Alciden? et mi genus ab Iove summo.
Talibus orabat dictis arasque tenebat,
Cum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Iuppiter aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae,
Cocytosque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre

v. A., i. e. ita temperat Apollo concitatum Sibyllae pectus, ut ei non liceat simplicem rerum veritatem promere, sed ut ambagum obscuritate involvat verum.| 101. *vertit*, figit intorquens, quo altius penetrent.| 104 sq. cf. 3, 458. 5, 730 sq.| 107. palus Acherusia Cumis vicina, quam ex Acheronte exundante (*refuso*) ortam putabant.| 115 sq. cf. 5, 735 sq.| 118. *luc. Av.*, per quos aditus est ad inferos, cf. vs. 131.| 119. Iunge: *miserere* ... *Si*, v. G. 1, 7. — Res ipsa narratur G. 4, 467 sqq.| 121. cf. Hom. Odyss. 11, 300—304.| 122 sq. *Thesea* ... *Alciden*, qui non, ut Orpheus et Pollux, aliqua deorum misericordia confisi, sed suis viribus freti descenderunt ad inferos.| 123. *Et m. g. ab I. s.:* ergo mihi, spero, idem licebit. Erat autem Aeneas nepos Iovis ex Dione, matre Veneris.| 124. v. 4, 219.| 126. *Averno*, in loca infera, v. E. 2, 30.| 129 sq. *aequus*, propitius. — *quos aequ. am. I.*, Orpheus et Pollux, *aut ard. ev. ad aeth. v.*, Theseus et Hercules; et v. 3, 158.| 134. cf. Hom. Odyss. 12, 21 sq.|

Tartara et insano iuvat indulgere labori,
Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis
Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus, et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum
Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant; aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici —
Heu nescis — totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulchro.
Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis
Aspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
Aeneas maesto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum, caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant,
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum,
Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter
Aere ciere viros Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.

137. *vimine*, virga. | 138. *Iun. inf.*, cf. vs. 142 et 4, 638. — *dictus*, dicatus. — *omnis*, longe lateque circumdatus. | 141. Quod dici poterat *quam decerpseris*, id ad omnes, qui vivi ad inferos ire vellent, relatum poeta sic extulit *quam qui decerpserit.* Alii *quis.* | 145 sq. Iunge *rite carpe manu*, quippe *oportebat* eum ramum manu avelli, non cultro aut falce abscidi. | 147. *Si t. f. v.*, si fatale est tibi, inferos adire. | 150. v. 2, 539. | 151. *cons.*, consilia. | 152. v. vs. 328. | 153. *Duc*, ad aras scilicet. — *prima sunto*, ante fiant. Antequam ad inferos quis descenderet, sacro piaculari placandi erant Manes, idque sacrum ex praecepto Sibyllae factum describitur vs. 235—254. || 156—211. *Digressus Aeneas Misenum peremtum invenit in litore iacentem. In silva propinqua, unde Troiani ligna petunt ad rogum Miseno struendum, Aeneae cupienti aureus ille ramus se ostendit, quo qui potitus est, veniam nanciscitur adeundi loca infera.* | 157. *caecos*, ignotos, vs. 149 sq. significatos. | 162. *Atque*, v. E. 7, 7. | 163. *indigna*, Servius: „miserabili, non congrua eius meritis.“ | 165.

Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,
Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant,
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulchri
Congerere arboribus caeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum;
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex,
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentis montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam inmensam, et sic forte precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae
Ipsa sub ora viri caelo venere volantes
Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros
Maternas adgnoscit aves laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum, tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,
Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde ubi venere ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsae
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Aere, tuba vel lituo; et v. 5, 113.| 171. *concha*, organo proprio Tritonis, cf. 10, 209 sqq.| 173. *except.*, insidiis circumventum oppressumque; cf. 3, 332.| 177. *aram sep.*, rogum, similem arae; cf. vs. 215.| 178. *caelo*, v. E. 2, 30.| 183. v. 3, 437.| 185. *ipse s. t. c. c. v.*, id quod vulgo dicimus: tristis ipse secum volvit.| 186. Alii *voce prec.*| 187. v. G. 1, 430.| 191. *sub o.*, sub adspectum.| 192. *sed.*, v. 3, 565.| 197. *vest. pr.*, inhibuit incessum, i. e. substitit, cf. vs. 331.| 198. *quae s. f.*, cf. vs. 202 sq.| 200. *serv.*, G. 1, 335.| 203. *optatis*, quibus eas considere optaverat Aeneas. — *gemina*, Donatus: „quae frondem duplicem portabat;" *διφυής*. Ceterum v. 1, 680.| 204. *aura* hic denotat repercussum fulgorem; Priscian. Perieg. 1020 „*aura viridi* splendet iaspis;" et

Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretis circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat brattea vento.
Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem et vatis portat sub tecta Sibyllae.
    Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, et feralis ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Coniiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam conlapsi cineres et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aeno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae,
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Inponit suaque arma viro remumque tubamque
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.

φάεος ἀΰτμή Callim. H. in Dian. 117, et v. 1, 546.| 206. *quod n. s. s. a.*, natum in aliena arbore.| 211. *Cunctantem:* at cf. vs. 146; nimirum tanta est aviditas Aeneae, ut non decerpere, sed vi refringere eum ramum, tamquam cunctantem, fingatur. Ita fere Servius.|| 212—263. *Postquam iusta facta sunt Miseno, Aeneas mactatis hostiis deos, quos par est, veneratus Sibylla duce per fauces Averni descendit ad inferos.*| 212. *Nec minus* et *Nec minus interea* crebra est apud Virgilium formula transeundi ad aliam rem vel similem vel dissimilem, quae fit eodem tempore, quo res ante commemorata.| 213. *ingrato*, gratiam nec sentienti nec referenti.| 215. *atris*, nigricantibus, cupressinis aut similibus.| 217 et 221. cf. 11, 193—196.| 221. *nota*, v. 11, 195.| 225. *dapes*, victimae, cf. 11, 197 sqq. — *crateres fuso* (infuso) *olivo*, ut E. 5, 68 *crateres olivi*.| 227 sq. cf. Hom. Il. 23, 250 sqq.| 229. v. 4, 500. Est haec facto funere sollemnis lustratio.| 230. *felicis ol.*, ut arboris fructiferae propterea que etiam usum habentis in sacris, quae fiunt superis diis; contra *infelix* ea, in qua neutrum horum est.| 231. *noviss. v.*, Servius: „Ilicet;“ quo verbo dimittebantur, qui exsequias ierant.| 233. cf. Hom. Odyss. 12, 15. — *Inponit sepulcr.*, ponit in illo loco tumulum terra aggesta. — *suaq. a. viro*, i. e. et

His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit vastoque inmanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris,
Quam super haud ullae poterant inpune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
[Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.]
Quattuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit frontique invergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua saetas
Ignibus inponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Caeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Succipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida inponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus
Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum;
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se inmisit aperto;
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus inperium est animarum, Umbraeque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas.

arma, quae ille gerebat; v. 9, 273.| 236. *praec. S.*, vs. 153.| 238. *tuta*, ad quam difficilis accessus.| 244. Servius „*fundere* (4, 61) est supina manu libare, quod fit in sacris supernis; *vergere* autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit.“| 247. *Voce v.*, v. 4, 681. — *Caelo*, v. 4, 511.| 248. v. G. 3, 492.| 250. *matri E.*, Nocti et huius sorori Terrae.| 252. *nocturn.*, quia diis inferis noctu sacra fiunt.| 253. *solida visc.*, totam victimam; diis inferis fiunt holocausta.| 254. *supér ol.*, v. E. 9, 66. — *superinfundens*, Soph. Antig. 426 *ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.*| 257. *canes* infernae, comites Hecatae, ut etiam Furiarum.| 258. *Procul ... profani*, solus scilicet ex ceteris, qui aderant, Troianis Aeneas praesentiam Hecates ferre poterat propter aureum ramum ex eius luco decerptum.| 260. *vag. er. f.*, ad deterrenda monstra, quae ei obvia futura erant; cf. Hom. Odyss. 11, 48 sqq.||
264—336. *Invocatis ante diis inferis poeta coepit explicare res inferorum. Via per loca obscura. Ante vestibulum Orci sedes Luctus, Curarum similiumque deorum ac variorum monstrorum. Acheron. Cocytus. Charon. Animae ad Stygem errantes.*| 265. *Chaos*, v. 4, 510.| 266. *sit n. v.*, per vestrum

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas et inania regna:
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis, ubi caelum condidit umbra
Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae;
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia mortiferumque adverso in limine Bellum
Ferreique Eumenidum thalami et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque bracchia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum
Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes
Et centumgeminus Briareus ac belua Lernae,
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,
Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert,
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Inruat, et frustra ferro diverberet umbras.

numen sit mihi fas s. liceat. | 268. *sola*, per quam nemo obviam fit euntibus. | 270. *incert.*, v. 3, 203. | 274. In introitu Orci habitant dii quidam auctores malorum, quae vel arcessunt mortem, vel (*Sopor*) antecedunt. — *Curae*, conscientiae. | 276. *malesuada F.*, cf. Hom. Odyss. 17, 286 sqq. — *turpis Eg.*, quae reddit macilentos cultuque corporis deformes; Sil. 13, 585 „Et deforme malum ac sceleri proclivis Egestas.“ | 277. *Letum*, v. G. 4, 481. | 278. Hom. Il. 14, 231 Ὕπνος ... κασίγνητος Θανάτοιο. — *mala m. G.*, ea gaudia, quae a mala mente proficiscuntur. | 279. *adv. in l.*, in ipso limine Orci, quod est exadversum vestibulo. | 280. v. 1, 698. — Infra vs. 571 in Tartaro versatur Tisiphone, una ex Eumenidibus. Fortasse distinctas iis attribuit poeta sedes pro ratione muneris earum; cum munere plerorumque, quae vss. 274—280 commemorantur, numinum hoc commune habent Eumenides, quod salutem hominum pervertunt, praesidentes quippe diris imprecationibus ac mentem ad prava consilia consternantes. | 281. v. E. 3, 106. | 283. *volgo*, v. 3, 643. | 284. v. G. 3, 283. | 286. *in for.*, in ipso aditu Orci. — *Scyllae*, eiusmodi monstra, qualis fuit Scylla bicorpor. | 287. *cent. Br.*, cf. 10, 565 sqq. Hom. Il. 1, 402 sq. — *belua L.*, bestiarum quoque animae in Orcum descendunt, cf. Theocr. 25, 271, ubi leonis Nemeaei ψυχὴν πελώριον ἔλλαχεν ᾅδης, capella ap. Theocr. Epigr. 6, 3, passer ap. Catull. 3, 11 sq. | 289. *Gorgonĕs*, Nominativum Plural. tertiae Declinat. Graecorum nominum ex constanti more corripuerunt Latini poetae. — *forma tr. u.*, Geryon. | 290 sqq. idem facit Hercules ap. Apollod. 2, 5, 12, similiterque a Mercurio admonetur. | 293. Ut umbris mortuorum non tam loquela, quam stridor quidam tribui solet, Hom. Od. 24, 5 et 9. Il. 23, 101, sic eaedem

Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic caeno vastaque voragine gurges
Aestuat atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet, stant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris inmittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripae ulterioris amore.
Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,
Ast alios longe submotos arcet arena.
Aeneas miratus enim motusque tumultu
Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
Anchisa generate, deum certissima proles,

non tam incedunt, quam volitant, ἀΐσσουσιν, Odyss. 10, 495. — *cava*, v. 2, 360. | 296. *Turbidus vastaque voragine gurges*, v. G. 1, 142. | 297. *Cocyto*, v. E. 2, 30. | 300. *iacet* neglectum significat. — *st. l. fl.*, *stare* saepe dicuntur, quae horrent ac rigent; itaque *stat pulvere caelum* 12, 407, i. e. caelum riget pulvere s. plenum est pulvere quasi immobili nec rursus desidente; *lumina stant fl.*, rigent s. plena sunt flamma immobili, s. ipsa sunt flammea atque immota. | 301. nodo (non, ut apud cultiores, fibula) adstrictum pendet amiculum; isque nodus in laevo humero factus est. | 302. *ministrat*, operam dat, cf. 10, 218. Stat. Theb. 7, 752 „ministrat habenis.“ | 304. cf. Hom. Il. 23, 791. | 306. cf. Hom. Odyss. 11, 38—41 et supra G. 4, 473 sqq. | 310. Cic. Off. 1, 22 „Consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium *delapsa* arma ipsa *ceciderunt*.“ — *ad t. g. ab a.*, a mari versus terram. | 311. cf. Hom. Il. 3, 2 sqq. Apoll. Rh. 4, 238 sqq. | 313. *or. pr. transm. cursum*, orant, ut sibi liceat primis transire; nam *transmittere* hic i. q. *transire*, *transcurrere*; ut autem dicimus *ire viam*, *currere iter* 5, 862 (et v. 2, 690), sic licebit dicere *cursum transmittere* sive, ut loquitur Cicero, non eodem quidem sensu, Brut. 81, *cursum transcurrere*. | 317. *enim*, v. 8, 84. | 322. Servius: „*deum certiss. pr.* ex eo, quod subire inferos potuit.“ — *deum*, Veneris; sic enim totum genus interdum pro singulis ponitur, ubi minus refert, quis sit ille, i. e. quod sit eius nomen, quem significamus, quam qualis sit; divina, non humana, matre natus praedicatur Aeneas; sic 4, 282 „*imperio deorum*“ i. e. divino, Iovis;

Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitantque haec litora circum;
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus et vestigia pressit,
Multa putans, sortemque animi miseratus iniquam.
Cernit ibi maestos et mortis honore carentis
Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten,
Quos simul a Troia ventosa per aequora vectos
Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat,
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra,
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo,
Qui fore te ponto incolumem finisque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus haerebam custos cursusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tris Notus hibernas inmensa per aequora noctes
Vexit me violentus aqua; vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.

adde 2, 336. 11, 784 sq. „*superos*“, Apollinem. 7, 98. 10, 79. 12, 60.| 324. 12, 816. Hesiod. Theog. 400 et 792 sqq. Hom. Odyss. 5, 185 sq.| 325. cf. Hom. Od. 23, 71 sqq.| 328. *sedibus*, sepulcro, cf. vs. 152. 371. — *quierunt*, v. 4, 523.| 331. v. vs. 197.| 332. *animi* Casus locativus, quem appellant, ut *humi*, cf. 10, 686. Alii *animo*.| 334. cf. 1, 113.| 335. *vectos*, πορευομένους, v. G. 1, 206.|| 337—383. *Palinurus*. Poetae haec fingenti obversata sunt ea, quae de Elpenore narrantur ab Homero Od. 11, 51 sqq.| 337. *se agebat*, incedebat, ut 8, 465. 9, 696.| 338. *servat*, v. G. 1, 335.| 346. *promittere fidem*, promissis fidem obstringere, 4, 552. Ovid. Fast. 3, 366. 6, 549.| 348. *nec me d. a. m.*: ergo non senserat insidias Somni Palinurus.| 352. *pro me*, v. 12, 48.| 353. *armis*, gubernaculo. — *exc. mag.*, v. 4, 500.| 355 sq. Qui factum est, ut non mergeretur?| 356. *viol. aqua*, violentos excitans fluctus. — Classe in portum invecta putabimus ortam esse tempestatem.| 357. cf. Hom. Odyss. 5,

Paulatim adnabam terrae; iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis
Ferro invasisset, praedamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per caeli iucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit — neque enim, credo, sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem —
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit cum talia vates:
Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum aspicies, ripamve iniussus adibis?
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti caelestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent,
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.
    Ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.
Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,

393.| 358 sq. tenebam, *et obtinuissem*, *Ni* cet. v. 8, 522.| 359. *mad. cum v. gr.*, Plin. N. H. 7, 20, 19 „vehicula *cum* culleis onusta.“ Soph. Oed. R. 17 *οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς*. Nempe *cum* veste est, qui est veste indutus; Cic. pro Sest. 38, 82 „mulionicam paenulam arripuit, *cum* qua primum Romam ad comitia venerat.“| 360. *capita montis*, saxa in radicibus montis prominentia, v. G. 2, 355.| 361. *pr. ign. p.*, nesciens, quo casu in mare praecipitatus essem, putabat scilicet me naufragium fecisse et, quidquid ex opibus servare potuissem, mecum gestare.| 362. *Nunc me*, interfectum scilicet ab istis praedonibus.| 363. *Quod*, v. 2, 141.| 366. *port. Vel.*, portum a Velia (non iam condita, sed aliquanto post condenda) dictum, ubi iacebat corpus Palinuri.| 371. *in morte*, mortuus, ut vs. 444. Noli iungere *saltem in m.*| 374. *sever.*, a severitate Eumenidum hoc epitheton translatum est ad amnem.| 376. *fata deum* significant, quidquid certa et immutabili deorum voluntate constitutum est.| 378 sqq. Servius: „Lucanis pestilentia laborantibus respondit oraculum manes Palinuri esse placandos. Ob quam rem non longe a Velia et lucum et cenotaphium ei dederunt.“ — *finitimi*, qui propinqua portui Velino loca tenent; significatur omnis populus Lucanorum aut certe magna pars.| 380. cf. 3. 63—67.| 381. *locus*, Palinuri promontorium portusque.| 382. *parumper*, utpote paulo post rediturus.| 383. *cognomine* pro *cognomini*, ut Ovid. Met. 15, 743 „specie *caeleste* resumpta;“ adde eiusd. Heroid. 16, 277. Fast. 3, 654.|| 384—425. *Aeneas*

Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae;
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
Dis quamquam geniti atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis, traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsanguis terreat umbras,
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc — aperit ramum, qui veste latebat —
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam advertit puppim ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
Deturbat laxatque foros; simul accipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
    Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans inmanis in antro.
Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam

placato a Sibylla Charonte traiicit Stygem. Sopitur Cerberus. | 389. *iam istinc* sc. fare, ex eo loco, in quo modo pedem posuisti. | 392. Servius: „Quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit.“ — Iunge *euntem lacu*, i. e. vectorem. | 394. „*quamquam* (uti sciebam) *essent* Dis geniti.“ | 395. *manu in v. p.*, manu iniecta vinxit et abduxit. | 396. *a solio*, quo, viso Hercule territus, confugerat. | 397. *dom.*, Proserpinam. | 398. *Amphr.*, ab Apolline artem vaticinandi docta; *Amphrysius* enim Apollo dici poterat vel ab Amphryso flumine Thessaliae, v. G. 3, 2, vel ab Amphryso oppido Delphis vicino. | 402. Signum putabatur castitatis muliebris servare limen, i. e. intra domum se continere. | 405. v. 2, 583. | 408. Nec plura his acta inter eos. | 409. *Fat. v.*, cf. vs. 146 sq. | 411. *alias*, ut iam apud Hom. Il. 5, 517 *οὐ γὰρ ἔα πόνος ἄλλος*, i. e. *ἄλλο τι, πόνος δηλονότι.* | 414. *Sutilis*, facta ex corio; plerumque iuncea fuisse dicitur. | 415. *incolumis*, incolumes. | 416. v. 1, 544. | 420. In-

Obiicit. Illè fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atque inmania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam inremeabilis undae.
Continuo auditae voces vagitus et ingens
Infantumque animae flentes in limine primo,
Quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.
Proxuma déinde tenent maesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu lucemque perosi
Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Alligat, et noviens Styx interfusa coercet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi; sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles et myrtea circum
Silva tegit; curae non ipsa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrimque locis, maestamque Eriphylen,
Crudelis nati monstrantem volnera, cernit,
Euadnenque et Pasiphaen; his Laodamia

tellige placentam melle conditam et soporatam frugibus medicatis, papavere aliisve granis vim medicam, puta soporiferam, habentibus.| 422. *resolv.*, cf. 9, 236.| 424. *sep.*, cf. 2, 265.|| 426—476. *Prima, quo accedit traiecta Styge Aeneas, loca tenent animae infantum, sequuntur sedes falso crimine capitis damnatorum, tum eorum, qui nulla culpa admissa mortem ipsi sibi attulerunt, deinde eorum, quibus amor causa pereundi fuit; in his est Dido.*| 427. *lim. pr.* Peragratis scilicet iis locis, quae erant ante vestibulum (vs. 273) Orci, ipsum quasi vestibulum limenque ingreditur Aeneas.| 431. *sine s. d. s. iud.*, sine iudicibus sortito datis; sumtum hoc, ut etiam proxima, *Quaes. M. u. movet* (versat), a sortitione iudicum apud Romanos; sortiebatur quaesitor, i. e. is, qui exercendis quaestionibus praeerat. — Ceterum Minoi hoc muneris datur a poeta, ut suam cuique animae sedem apud inferos attribuat, impios, facto quodam praeiudicio, ad Rhadamanthum mittat, qui sontibus omnem culpam fateri coactis (vs. 567 sqq.) pro merito cuiusque poenarum genera modumque constituit.| 432 sq. *sil. Conc. v.*, animas citat ad iudicium.| 438. *Fas*, v. 2, 779.| 439. Lucan. 2, 50 „Massageten Scythicus non *adliget Ister.*"| 440. amplissimi sunt hi campi, quia tales animae amant solitudinem.| 442. Sed non solos miseros amantes ibi versari, docet qui deinde sequitur nominum index.| 444. *in m.*, v. vs. 371.| 445. *Phaedra*, uxor Thesei, Ovid. Heroid. 4. — *Procris*, Ovid. Metam. 7, 707—862 et Art. Amat. 3, 695—746. — *Eriphyle*, dono Polynicis, aureo monili, capta persuasit Amphiarao, marito suo, ut bellum inferret Eteocli, quo in bello ipse periit; illa ab Alcmaeone filio interempta.| 447. *Euadne*, Capanei uxor, immisit se in ardentem coniugis sui rogum, Propert. 1, 15, 21 sq.

It comes, et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido
Errabat silva in magna; quam Troius heros
Ut primum iuxta stetit adgnovitque per umbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,
Demisit lacrimas dulcique adfatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,
Per superos et si qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Inperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor, hoc est.
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese atque inimica refugit
In nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi
Respondet curis aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas, casu concussus iniquo,
Prosequitur lacrimans longe et miseratur euntem.

— *Laodamia*, Ovid. Heroid. 13, quae cum a diis impetrasset, ut umbra mortui coniugis sibi in conspectum veniret, ea visa exspiravit.| 448. *Caeneus*, Ovid. Met. 12, 171—209 et 470—532. Alii *Caenis*.| 451. *quam ... iuxta ... adfatus est*, nec haerebis in hyperbato, v. 4, 573.| 453. qualem *videt* lunam, qui eam primo mense (i. e. *νουμηνίας* tempore) per nubila surgere *videt*, v. G. 1, 104.| 456. *nuntius*, cf. 5, 3—7.| 459. *si q. f. t. s. i. e.*, si quid est, per quod iurantes inferi fidem verbis suis afferant; cf. 2, 142.| 462. *senta situ*, *situs* h. l. est incultae, proptereaque sentibus ac dumis obductae, telluris squalor et horror; Homerus dixit *Ἀΐδεω δόμον εὐρώεντα* Odyss. 10, 512. Liv. 22, 16 „stagna perhorrida situ.“| 465. *adspectu*, v. E. 5, 29.| 466. *Quem?* scilicet non hostem, sed amantem tui. — *extr. q. t. a.*, *h. e.*, v. 2, 690. — *fato*, Servius „quia post mortem tenebit alium circulum, viris fortibus scilicet, non amantibus datum.“| 467. *torva t.*, v. G. 3, 149.| 468. *animus ardens* h. l. significat iracundiam, quae cum per torvum adspectum declarari soleat, ausus est poeta dicere *animum torva tuentem*. — *Lenibat ... ciebat*, conabatur lenire ... lacrimas Didoni (cf. 476) ciere; Verba finita interdum solum conatum, studium, voluntatem indicant, ut 10, 801. 12, 152. 394.| 470. *incepto:* nam reliqua, quae addere voluerat Aeneas, Dido auditura non erat.| 471. *Marpesa* s. *Marpesus* mons Pari insulae. — *stet* quare *ποιητικώτερον*, quam *sit?*| 473 sq. *illi Resp. c.*, illius amori suo amore respondet; Silius de

Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant
Ultima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago;
Hic multum fleti ad superos belloque caduci
Dardanidae, quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque Medontaque Thersilochumque,
Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polyphoeten,
Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est; iuvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.
At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges
Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem ac dira tegentem
Supplicia, et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi

eodem Sychaeo 8, 148 „curas cupiens aequare priores.“ || 477—547. *Pergit Aeneas ad sedem eorum, qui bello gloriam adepti sunt. Deiphobus.* || 477. *datum*, fato concessum, cf. vs. 147. — *molitur*, rem scilicet difficilem, necdum ab eo tentatam. | 479 sq. *Tydeus*, Caledonius, pater Diomedis, *Parthenop.*, Arcas, et *Adrastus*, rex Argorum idemque socer Polynicis, ex septem illis erant ducibus, qui Thebas bello petebant. | 481. *ad*, apud. | 484. *Tr. Ant.*, cf. Hom. Il. 11, 59 sq. — *Cer. sacr.*, sacerdotem Cereris. | 485. *Id.*, cf. Hom. Il. 5, 9—11 et 24, 325. — Et v. G. 3, 189. | 486. *Circumst.*, Aenean scilicet. | 491. cf. Hom. Odyss. 11, 605 sq. | 492. *voc. Ex.*, cf. Hom. Odyss. 24, 5—9 et Ovid. F. 5, 458. | 493. conantur quasi pugnaturi clamorem tollere, sed voce destituti hiant tantum. | 494 sq. laniatio cernitur in latis alteque adactis vulneribus, laceratio, quae est exquisitioris crudelitatis, in mutilatione. — *ora*, labra ac iunctas his genas puta. Ceterum v. E. 3, 106. | 498. *pavit.*, quia prae pudore nolebat agnosci. — *tegent.*, Servius „tegere volentem; nam truncatis manibus quid poterat tegere?“ v. vs. 468. | 501. *optavit sumere*, elegit, quas sumeret; hinc *potius optare* i. q. malle, *προελέσθαι*, ut apud Terent. And. 4, 5, 2 sq. | 505. v. 3, 304. | 506. v. 2, 644. | 507. Nomen tuum inscriptum et arma tua imposita (cf. vs. 233) servant locum, inviolatum praestant ut consecratum,

Conspicere et patria decedens ponere terra.
Ad quae Priamides: Nihil o tibi amice relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo,
Illa, chorum simulans, euantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum,
Infelix habuit thalamus, pressitque iacentem
Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Amovet et fidum capiti subduxerat ensem;
Intra tecta vocat Menelaum et limina pandit,
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additur una
Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Graiis
Instaurate, pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divom? an quae te fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis

eoque memoriam tuam tuentur, cf. 7, 3. — *tĕ*, *amice*, v. E. 8, 108. | 508. Iunge: *ponere patr. terra*, humare in patria. | 510. *funeris*, mortui corporis, ut 9, 491. *Deiphobo et fun. umbris* i. q. mihi mortuo. | 511. Per particulam *Sed* remittimur ad vs. 501, v. E. 1, 19. — *Lacaena* cum opprobrio dicitur, „quasi omnes, ut ait Donatus, quae inde oriuntur, tales sint, ut decipiant maritos et fallant;“ cf. 2, 601 et v. 3, 629. | 512. *haec monum.*, cf. 5, 538. | 513. cf. 2, 248 sq. | 515. *saltu venit*, ἀνέβη, ut in eadem re Ennius „maximo saltu superavit gravidus armatis equus.“ — *super*, v. 1, 680. | 516. *grav.*, cf. 2, 238. | 517 sq. iunge *circumducebat euantis* (cum laeto clamore … εὐάν … celebrantes) *orgia*; cf. Sophocl. Antig. 148 sqq. | 519. *Dan. voc.*, face (quam tenebat ut ὀργιάζουσα, cf. 7, 397) signum ex arce dabat Danais, ut solverent a Tenedo. | 523. Occiso Paride Helena nupserat Deiphobo. | 524. Amovet arma, postquam ensem subduxerat. — *capiti subd.*, cf. 7, 460. Theocr. 24, 43 „ξίφος, ὅ οἱ ὕπερθεν κλιντῆρος κεδρίνου περὶ πασσάλῳ αἰὲν ἄωρτο.“ adde Eurip. Hec. 898. | 529. *Aeolides:* Sisyphum, Aeoli filium, patrem Ulixis fuisse quidam ferebant. | 530. *Inst.*, iterum evenire facite, sed Graecis. | 532. *actus* scilicet ad fines Oceani, ubi descensum ad inferos patere antiquissimi homines putabant; Hom. Odyss. 11, 13 „Ἡ (νηῦς) δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου Ὠκεανοῖο,“ „ἔνθ' ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης“ 10, 509. | 533. *an quae*: an alia te fatigat fortuna? et quae est ea? | 534. *turbida*, tenebricosa, *trübe*. | 535. *Hac v. serm.*, cf. Hom. Odyss. 11, 81. | 535 sq. Auroram mane ab orien-

Iam medium aetherio cursu traiecerat axem;
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit breviterque adfata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas et ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus et in verbo vestigia torsit.
　　Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro,
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis,
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa ingens solidoque adamante columnae,
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere bello
Caelicolae valeant; stat ferrea turris ad auras,
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Constitit Aeneas strepituque exterritus haesit.
Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur poenis? quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me cum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit.

tali parte profectam totum iter per caelum una cum Sole emetiri veteres statuebant; significatur igitur h. l. tempus iam ad vesperam vergens. Cum prima luce ingressus erat iter Aeneas, cf. vs. 255. | 539. *ruit*, v. 2, 250. | 540. *in ambas*, non *duas*, quia notum erat non esse plures; nam deerat tertius locus, quo tertia duceret. | 542. *via laeva* dicitur poenas malorum exercere, quod ea via malos ducit ad Tartarum, ubi poenae eorum exercentur. | 545. *numerum* animarum s. umbrarum, a quibus parumper discesserat; Sall. Cat. 32 „C. Manlius ex suo (suorum) numero legatos misit.“ — *redd. ten.* Ventum erat ad bivium vs. 541, ubi ob propinquitatem Elysii suo sole collustrati (vs. 640 sq.) iam aliqua species diei apparebat. | 547. *T. effatus et ... torsit*, cave intelligas *est*; potius Homeri exemplo sic scripsisse Virgilium putabimus, Il. 22, 247 „Ὣς φαμένη καὶ κερδοσύνῃ ἡγήσατ' Ἀθήνη,“ quo significatur factum orationem statim consecutum; v. etiam 5, 504. — *in verbo*, ἅμα εἰπών, v. 10, 856. || 548—627. *Tartarus.* | 548. *Resp.*, v. 2, 615. | 549. v. 2, 234. | 551. v. G. 3, 283. | 552. cf. Hom. Il. 8, 15 et v. G. 2, 441. | 554. *ad auras* surgere, tolli, stare dicuntur ea, quae vel minus vel magis alte sese efferunt, elata sunt, cf. vs. 554. | 558. v. 1, 639. | 560 sq. cf. vs. 626 sq. | 563. *scel.* similiter dicebatur iste, qui Romae fuit, vicus et campus sceleratus. | 565. *deum p.*, a diis constitutas. |

Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna,
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloidas geminos inmania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere caelum
Adgressi, superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas.
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi,

566. de munere Rhadamanthi diverso a munere Minois v. vs. 431.| 567. *doli* in eiusmodi quaestione sunt i. q. malo dolo commissa, quo qui usi sunt, perfidi, improbi, malitiosi appellantur a Cic. Off. 3, 14. Iam Rhadamanthus alios, dolum confessos, castigat, alios audit confitentes, alios tormentis adhibitis cogit fateri; et v. 1, 701.| 568. *furto l. i.*, frustra gavisus ea, quae commisit, latere; *furta* saepe dicuntur a poetis, quae quis furtim doloseque fecit et latere posse putat; furtum i. q. furtiva caedes 10, 735, furtivi amores G. 4, 346. — *comm. piac.*, scelera expianda s. expiationem scelerum.| 570. *Continuo*, post factum iudicium scilicet.| 571. *quatit*, ἐλαύνει, Cic. Nat. D. 2, 42 „Arctophylax prae se quatit Arctum.“| 574. Rerum ordo hic est: Aeneas (vs. 548—551) videt moenia triplici muro circumdata, Phlegethontem illa ambientem, Tisiphonen vestibulum custodientem. Rhadamanthus intus exercet iudicia; qui postquam sontes coarguit, panduntur portae illae sacrae (exsecrabiles), per quas sontibus iter est in Tartarum; ante eas portas est vestibulum (diversum ab eo, quod vs. 556 commemoratur); ibi sedet Megaera, ut auctor est Servius; hoc quoque vestibulum licebat Aeneae ex eo loco, quo constitutus erat, cernere; intus, post has portas, sedem habet Hydra, monstrum Lernaeae simile ipsaque Megaera saevius; ingressis denique eas portas ipse se aperit Tartarus.| 577 sqq. cf. Hom. Ill. 8, 16. Hesiod. Theog. 720 sqq.| 579. *caeli susp.*, prospectus per aera a terra ad *Olympum* i. e. caelum.| 580 sqq. *genus* ... *deiecti* ... *volvuntur*, Synesis generis ac numeri, ut *pars caesi*, *pars capti sunt*, cf. vs. 660. 11, 887 sqq.| 582. *Alōidas*, Otum et Ephialten, cf. Hom. Odyss. 11, 305—320. G. 1, 280 sqq.| 585. *Salmoneus*, Aeoli regis Thessaliae filius, frater Sisyphi, rex Elidis, qua erat superbia, deum se haberi voluit.| 585 sq. *dum* interdum significat id, ex quo quid (h. l. punitio) consecutum est, ut Cic. Tusc. 1, 42 „Dic, hospes, Spartae, nos te hic vidisse iacentes, Dum sanctis patriae legibus obsequimur.“| 586. Nervosior hic verborum ordo, quam vulgaris ille: Hic, dum imitatur *cet.* Ovid. M. 7, 131—33 „Quos ubi viderunt hastas torquere.., Demisere metu voltumque animumque Pelasgi.“ — Ceteri editores post poenas comma, post *Olympi* punctum ponunt; sunt etiam, qui versum 586 eiectum velint.|

Quattuor hic invectus equis et lampada quassans
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, divomque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces nec fumea taedis
Lumina, praecipitemque inmani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota novem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque inmanis voltur obunco
Inmortale iecur tondens fecundaque poenis
Viscera rimaturque epulis habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex iam iam lapsura cadentique
Imminet adsimilis; lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu; Furiarum maxuma iuxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti,
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quae maxuma turba est,
Quique ob adulterium caesi, quique arma secuti

587. *Quatt. equis*, tamquam deus. | 588. Sive Salmonen ab ipso Salmoneo conditam, sive Olympiam, quod facit Servius (idque verius), intelligis, utraque in media Elide sita erat. | 591. *aere*, aereo curru, quo, ut auctor est Manil. 5, 92, per pontes item aereos vehebatur; idque ipsum poeta significat verbis subiectis *pulsu equorum.* | 593. *ille*, v. G. 2, 435. — *fum. taedis*, s. eo, quod proficiscebantur a taedis; *atrum lumen* 7, 457, *piceum* 9, 75, appellatur, quale est taedae vel picis atrum fumum edentis, et v. G. 2, 309. | 594. *adegit*, sc. in profunditatem Tartari. | 595. Alii *omnipotentis al.* — *Tityos*, *Γαιήϊος υἱός* Hom. Od. 7, 324, vim adferre Latonae conatus, cf. Hom. Odyss. 11, 576—581. *alumn.*, vel quod a parente Terra in tantam proceritatem est educatus, vel quod, ut quidam tradunt, Iovis et Elarae fuit filius, quam Iuppiter irae Iunonis subtrahens gravidam sub terra occuluit. | 598. *fec. p. Visc.*, cf. vs. 600. | 599. *epulis*, v. 2, 315. | 601. *Ixion*, pater Pirithoi, rex Lapitharum, Iunonem tentare ausus. — *Pirith.*, v. vs. 397. | 602. Simili igitur poena hi affecti sunt secundum Virgilium ac Tantalus; vulgarem famam sequitur poeta G. 3, 38. 4, 484. — Ceterum v. G. 1, 295. | 603 sq. genialis lectus h. l. is, in quo accumbimus, cum diem festum inter epulas hilariter agere, Genio indulgere, decrevimus. — *toris*, tertius an sextus casus? | 605. *Fur. max.*, ut videtur, Allecto. | 608. *quibus inv. fratr.*, ut Atreus et Thyestes, Eteocles et Polynices. | 609. sive proprie pulsatus (quo spectat lex XII Tabularum: „Qui patrem pulsaverit, manus ei praecidatur“), sive omnino scelere aliquo laesus. — In iisdem Tabulis scriptum erat „Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.“ | 610. cf. G. 2, 507. — *soli*, tamquam soli habitantes cum divitiis suis. | 612 sq. *ob adult. caesi*; videtur poeta ad certos quosdam homines ac notos spectavisse, quos in adulterio deprehensos a

Impia nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam, aut quae forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet et magna testatur voce per umbras:
„Discite iustitiam moniti, et non temnere divos.“
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Inposuit; fixit leges pretio atque refixit;
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos;
Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
    Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed iam age, carpe viam et susceptum perfice munus;
Adceleremus, ait; Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio atque adverso fornice portas,
Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.
Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
    His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos et amoena virecta

maritis adulterarum verberibus caesos constaret, ut Sallustium a Milone. — *quique ... dextras*, spectant haec ad bellum servile annis 681—83 gestum. — *dom. dextras*, fidem dominis debitam. | 614 sq. *exspectant* pertinet ad totum genus eorum, qui tales vel similes *sunt*, quales modo dicti; *mersit* spectat ad eos, qui tales *fuerunt*, quique iam luunt poenas. — *quae forma v. fortunave m.*, quae suppliciorum species, quae miseriae eos obruerint; pauca ex his exempli causa proximis versibus 616—620 proponit Sibylla; vs. autem 621 redit eo, unde fuerat digressa, i. e. ad varia scelerum genera. | 616. Alii *radiisve*, v. 1, 701. | 617 sqq. Theseus et Pirithous (cf. vs. 397) ad rupem alligati sedebant apud inferos; „*ἔνιοι τῶν μυθογράφων φασὶν ἀμφοτέρους μὴ τυχεῖν τοῦ νόστου*“ ait Diod. Sic. 4, 63. — Phlegyas, pater Ixionis, templum Apollinis, quod erat Delphis, incenderat. Valer. Fl. 2, 193 sq. „Accubat attonitum Phlegyan ... iuxta Tisiphone saevasque dapes et pocula libat ... et nigris amplectitur hydris.“ | 619. *m. testatur v.*, clamat testimonio suae miseriae comprobans illud, quod iam sequitur, monitum. | 620. *moniti* meo exemplo. | 621 sq. Probabile est Virgilium, haec cum scriberet, de M. Antonio cogitasse, qui et tribunatum suum Caesari et in consulatu multis decreta falsa vendidit. — Tabulae legum aereae figebantur in parietibus Capitolii. | 623. Significatur fortasse Thyestes. | 625. cf. Hom. Il. 2, 488—490. || 628—702. *Ramus aureus Proserpinae consecratus ab Aenea. Elysium. Congressus cum Anchise.* | 629. quod munus? cf. vs. 632 et 636 sq. | 630. *cam.*, ferro in Cyclopum fabricis (*caminis*) cuso. | 632. *praecepta* deae, cf. vs. 142 sq. | 635 sq. *corp. r. Sp. a.*: sumtum hoc ab aqua lustrali ramisque lustralibus, qui erant in aditu templorum. | 637

Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris,
Contendunt ludo et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixae hastae, passimque soluti
Per campum pascuntur equi. Quae gratia currum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentis laetumque choro Paeana canentis
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo;
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla,

sqq. de Elysio cf. Hom. Od. 4, 563 sqq.| 640. *Largior*, patentior nullisque nubibus obductus. — Ceterum v. G. 2, 290.| 641. *Purp.*, quod est singulari candore; Horat. Od. 4, 1, 10 „olores purpurei,“ Pedo in obit. Maec. 62 „Brachia purpurea candidiora nive.“ — *solem*, v. G. 1, 290.| 644. *plaudunt ch.*, ducunt choreas cum plausu pedum; „*πέπληγον δὲ χόρον θεῖον ποσίν*“ Hom. Od. 8, 264.| 645. *sacerdos* Orpheus dicitur propter orgia et mysteria instituta. — *longa c. v.*, qualis erat citharoedorum et vatum.| 646. Ad numeros modosque saltantium illorum et canentium accommodat (*obloquitur*, *ἀντιφωνεῖ*) cantum lyrae *ἑπταχόρδου*.| 647. *pectine*, quo chordae impelluntur fortius.| 649. *nati m. a.*, cf. Catull. 61, 22.| 651. *inanes*, non enim sunt veri solidique, sed tantum species quaedam et quasi *εἴδωλα* curruum, ut pleraque apud inferos; miratur autem ista non quia inania sunt, sed quod ibi videt eundem apparatum, quo vivi in terris gavisi fuerant.| 653. *gratia*, delectatio et studium. — *currum* pro *curruum*, ut *manum* 7, 490. Martial. 2, 5, 3 „duo millia passum.“| 658. *superne*, Servius „ad superos.“| 659. *Plur.*, v. G. 3, 28. — *per silv.*, populifer Padus, Ovid. Am. 2, 17, 32. — Ceterum cf. G. 4, 366—373.| 660. v. vs. 580.| 661. Sacerdotibus, in summam contemtionem apud Romanos adductis, Augustus pristinum splendorem restituere summopere studebat; velificatur ei studio Virgilius, post eos, qui pro patria occubuerunt, sacerdotibus primis assignans locum in Elysio.| 662. cf. E. 7, 22 sq.| 665. „*Omnibus his* cet. per quod eos ostendit meruisse divinos honores,“ Servius; praeter vates et sacerdotes dii quoque vittati

Musaeum ante omnis; medium nam plurima turba
Hunc habet atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animae, tuque, optume vates,
Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus et magnos Erebi tranavimus amnis.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus; lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentis
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum carosque nepotes,
Fataque fortunasque virum moresque manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit,
Effusaeque genis lacrimae, et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per aequora vectum
Accipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit;
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,

erant. | 667. Musaeus, aequalis Orpheo, vates apud Athenienses, populares suos, in summo honore habitus, religiones ac teletas instituisse et oracula scripta reliquisse fertur. | 669. *optime* in blanda compellatione ponitur, ὦ λῷστε. | 674. *rip. tori* sunt ripae in tori speciem surgentes, supinae. | 676. *facili*, facile iter praebente. | 681. Lustrabat *oculis*, recolens *mente*, considerans (id quod et saepe, *rec...*, et studiose, *studio*, faciebat) scilicet, quis qualisque esset quisque eorum futurus apud superos. Idque faciebat, quia spe iam praecipiebat instantem adventum Aeneae, cf. vs. 690 sq., cui ostenturus erat has animas; ergo *forte* non est casu, sed i. q. hoc ipso tempore, quo accedebat Aeneas, nostrum *eben*, *gerade*, Gallicum *justement.* | 683. *Fata*, quibus summa totius vitae regitur; *fortunas*, casus intervenientes vel secundos vel adversos. — *manus*, virtutem per facta comprobandam. | 685. *p. utr.*, v. 5, 233. | 686. Servius „*genis*, palpebris; Ennius de dormiente „Imprimitque genae genam.“ | 687. *exspectata* pietas dicitur, quae id effecit, quod dudum optaverat Anchises, cf. 5, 731 sqq. | 688. *vicit* dixit, quod audaciae est, suscipere tale iter, multi laboris, conficere. | 691. *cura*, spes cum nonnulla sollicitudine coniuncta. | 692. v. 1, 544. | 694. nempe metuerat, ne Dido spesque regni Libyci animum Aeneae ab

Da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare bracchia circum,
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.
    Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus et virgulta sonantia silvis,
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac velut in pratis ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis et candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito caussasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto conplerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum,
Quo magis Italia mecum laetere reperta.
O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est
Sublimis animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
    Principio caelum ac terras camposque liquentis
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Italia aversura esset.| 698. v. E. 5, 29.| 700 sqq. cf. 2, 792 sqq. Hom. Odyss. 11, 204 sqq.| 702. *somno*, imagini per quietem oblatae, et cf. Hom. Od. 11, 207.|| 703—751. *Lethe. Purgatio animarum. Reditus earum in nova corpora.*| 703. *v. red.*, in anfractu vallis, 8, 609.| 704. puta *silvis* significari densitatem istorum virgultorum, cf. 3, 22—25; sonant autem *silvis*, i. e. sua densitate, qua fit, ut vento mota crebrius vehementiusque inter se collidantur; similiter „virgulta sonantia lauro“ 12, 522.| 706. cf. vs. 748—750.| 707. *Ac velut*, v. 1, 148.| 709. *murmure* apum, non animarum.| 711. *porro*, procul, *in der Ferne*, Plin. Ep. 5, 6, 18 „campi deinde *porro.*“| 716 sq. *Iampridem (cupio)* emphasin habet ab ipso, quem tenet in versu, loco, et, ut *cupio*, bis intelligendum est, sed ita, ut alteri enuntiato plus conciliet ponderis; similiter iteranda sunt similiter posita *Semper* G. 1, 248. Tibull. 3, 6, 2, et *Sola* infra 11, 504.| 719. *ad cael.*, ad superas auras.| 720. *Subl.*, in altum tendentes, et iunge *ire sublimes*, cf. 1, 415.| 721. *lucis*, vitae in terris scilicet agendae, et v. vs. 888.| 724. *Principio*, i. e. ut ab hoc ordiar s. sumam principium; Cic. de Fin. 1, 6 „Principio in physicis Epicurus totus est alienus.“ — *camp. liqu.*, similiter πόντιον ἄλσος Aesch. Pers. 115. *Neptunia prata* Cic. Arat. 373.| 725. Sol et Luna erant Titanes; *Luna Titaniaque astra*, quasi diceres: luna, ac non sola luna, sed utrumque astrum Titanium.| 726 sq. Spiritus quidam, s. anima mundi, *alit* haec, i. e. vivere et vigere facit, Servius „vegetat.“ *Spiritus* et *Mens* „πνεῦμα

Mens agitat molem et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et caelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.
Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur Manis; exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus,
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque relinquit
Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.

νοερὸν καὶ πυρῶδες," ut Posidonio, „*νοῦς κόσμου πυρινός,*" ut Zenoni videbatur. — *inf. p. artus*, ut etiam per artus hominum, v. 4, 336.| 727. misceri dicitur res et rei et re, cf. 12, 838.| 728. *Inde* vitae omnium animantium.| 729. *marm.*, cf. Hom. Il. 14, 273.| 730. *Ign.*, quia ipsa illa anima mundi igneae s. aetheriae est naturae, v. vs. 726.| 731. *Sem.*, animantibus ex anima mundi vitam trahentibus.| 733 sqq. Hi sunt illi *πρὸ τῆς ψυχῆς τῆς αὐτῶν ὀφθαλμοὺς καὶ ὦτα καὶ ὅλον τὸ σῶμα προκεκαλυμμένοι* apud Plat. Gorg. s. 79. Ex contagione corporis nascitur omnis perturbatio animi, omnisque error mentis. — *auras*, lucem, v. 1, 546. — *clausae*, repete *animae* ex vs. 720; similiter 8, 270 revocabis Subiectum e vs. 256, et vs. 558 e vs. 515, 9, 580 e vs. 578, vs. 733 e vs. 728 et vs. 749 e vs. 740, 7, 243 e vs. 221.| 740. Pro ratione peccatorum aliis lenius, aliis acrius adhibetur genus purgationis. — *inanes*, v. G. 4, 196.| 742. *Inf. sc.* labes sceleris, Cic. ad Att. 1, 13 „hoc, quod infectum est," i. e. labes adspersa reipublicae.| 743. „*Manes* supplicia apud Manes," Servius; „Poenas infernales" scholiastes Statii Theb. 8, 84. Differunt inter se, etsi saepe non distinguuntur, vocabula *manes* et *umbrae*, id quod cum aliunde cognoscitur, tum ex Ovid. Trist. 5, 14, 12 „Nil feret ad manes divitis umbra suos." Quod in vivo homine corpus est, id in mortuo umbra, quod animus, manes; poenas sentit umbra; quidquid autem delinquimus, animus est causa; itaque *manes suos pati*, quandoquidem agitur de suppliciis, interpretabimur: poenas libidinum atque omnis pravitatis suae pati. — *per* de loco amplo ad peragrandum.| 744. *pauci*, quia plerique ita sunt vitiis infecti, nulla ut eos purgatio liberare ab illis possit. Aliter Servius „*pauci*, qui enim minus purgantur, statim redeunt ad corpora;" et paulo post; „quae (animae) male vixerunt, statim redeunt, quae melius, tardius;" cuius doctrinae nullum est vestigium apud Virgilium.| 745. *perf. temp. orbe*, mille annis vs. 748. — Ergo nondum finita est omnis purgatio, cum animae intrant Elysium; ipsa, quae ibi est, cf. vs. 640, purior aura poterat, quidquid supererat labis, paulatim abstergere.| 747. *aur. s. i.*, cf. Cic. Tusc. 1, 18 „calidior est vel potius ardentior animus,

Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,
Scilicet inmemores supera ut convexa revisant
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios turbamque sonantem,
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine posset
Adversos legere, et venientum discere voltus.
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inlustris animas nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta,
Proxuma sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aetherias Italo commixtus sanguine surget,
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles,
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx
Educet silvis regem regumque parentem,
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proxumus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam acceperit Albam.
Qui iuvenes! quantas ostentant, aspice, viris!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu:
Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas inponent montibus arces,
[Laude pudicitiae celebris, addentque superbos]
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque.

quam est hic aer crassus atque concretus." | 748. *u. m. rot. volv. p. a.*, ubi per mille annos exegerunt tempus in orbem rediens; similiter Cic. Somn. Scip. 2 „cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit." | 751. non incipiunt reverti, sed incipiunt velle reverti, quia non iam in eo est, ut revertantur, sed incipiunt velle, quod suo anima quaeque tempore factura est. || 752—902. *Ex tumulo ad eam rem capto Anchises ostendit filio nobilissimas animas in corporibus posterorum eius olim habitaturas; postremo, quae bella eum in Latio exceptura sint, docet. His actis Aeneas ab inferis revertitur relictisque Cumis Caietam petit.* | 753. *sonant.*, cf. vs. 709. | 755. *legere*, oculis cernere. | 757. *qui man. It. de g. nep.*, qui tibi futuri sint ex Lavinia nepotes. | 758. *nostr. i. n. it.*, nominis nostri heredes. | 759 *te tua f. d.*, cf. 891 sqq. | 760. *pura*, non praefixa ferro, praemium fortitudinis bello spectatae, Suet. Claud. 28. | 761. *Prox. s. t. l. l.*, proximus est, qui in lucem prodeat sive vitam adipiscatur; et v. vs. 888. | 763. *Alb. n.*, v. 12, 515. | 765. Silvius et natus et educatus in silvis ferebatur. | 766. *dom. Alba*, mortuo Ascanio, qui (cf. 1, 271) Albam condidit, sed caruit liberis, successit Silvius. | 767—69. Hi quoque reges Albae Longae. | 770. *si umqu.* cet. Servius „Recepit autem a tutore, qui eius invasit imperium, quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit." | 772 sqq. Atque

Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden, ut geminae stant vertice cristae,
Et pater ipse suo superum iam signat honore?
En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma
Inperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta deum partu, centum conplexa nepotes,
Omnis caelicolas, omnis supera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentem
Romanosque tuos. Hic Caesar et omnis Iuli
Progenies, magnum caeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus, aurea condet
Saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam, super et Garamantas et Indos
Proferet inperium; iacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom et Maeotia tellus,

iidem civicas gerunt coronas, *nam* deducent cives in colonias. | 778. Quin etiam ista, ceteris insignior, anima, Romuli futura in terris, prodibit in vitam, avum Numitorem prosecutura. | 779. Assaracus avus Anchisae. *Assaracus sanguis*, ut *Pompilius sanguis* apud Horat. A. P. 292. | 780. *gem. cr.*, galea, perpetuum insigne Romuli, cum duplici crista. | 781. Iunge: *pat. ipse sup.*, Iuppiter. — *suo s. hon.*, conspicuum facit ea dignitate oris, quae in ipso, Iove, exsplendescit, cf. G. 2, 392. | 782. *hui. auspiciis ... aequabit*, ab huius auspiciis proficiscetur illa magnitudo imperii Romani et magnanimitas ipsorum Romanorum. Nempe condebantur urbes auspicato, et nota sunt auspicia Romuli. | 783. imperio suo amplectetur orbem terrarum, virtute par erit diis. | 784. non *una* praeter ceteras; sed ita solet *unus* adiici vocabulis multitudinem aliquam significantibus, quo magis appareat vis et notio eius multitudinis. — *arces*, v. G. 2, 535. | 785. *Ber. m.*, Cybele sive Rhea, mater deorum. — *Berecyntus* mons Phrygiae. | 789. *nunc*, quoniam ab Albanis rebus transit ad Romanas. | 793. *Divi*, in numerum deorum recepti, Caesaris per adoptionem filius. | 793 sqq. Laus Augusti propter pacem Romanis restitutam 793 sq., propter prolatos fines imperii victoriasque ex remotissimis gentibus reportatas, priscis vaticiniis promissas, 795—801, denique propter longinqua itinera maxime ad constituendas provincias suscepta 802—806. | 794 sq. cf. 8, 319 sqq. | 795 sqq. Augustus imperium proferet ultra terminos illos orbis terrarum, quos norunt Romani. — *Gar.*, v. E. 8, 44. | 796 sq. fervore quodam poetico abreptus neglexit poeta usitatam sententiarum iuncturam, quam talem esse oportebat: ac super illas terras (proferet imperium), quae iacent extra sidera, i. e. quae sunt ultra zodiacum cyclumque tropicum (australem), ergo etiam extra eas vias, quas sol obliquo decursu peragrans anni regit vicissitudines. | 798. v. 4, 482. | 799. *Hui. in adv.*, animis in exspectationem adventus

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit,
Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu;
Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis,
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
„Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens?“ Nosco crinis incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in inperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae residesque movebit
Tullus in arma viros et iam desueta triumphis
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis inperium hic primus saevasque secures
Accipiet, natosque pater nova bella moventis
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit,
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriae laudumque inmensa cupido.
Quin Decios Drusosque procul saevumque securi

Augusti intentis. — *Caspia regna, Maeotia tellus, Nilus*, omnino Oriens. | 801. *turbant*, v. G. 1, 163. | 803 sq. „At, inquies, haec omnia intra solam Peloponnesum acta.“ Secutus est h. l. poeta Pindarum, nisi forte potius Heracleam Pisandri Camirensis. Pindarus Herculem, dum sequitur cervam Cerynitidem, ad Hyperboreos venisse tradit. Horum terra immane quantum distare credebatur a Peloponneso. In Peloponneso, ut quidam tradunt, natus erat Hercules, certe plurimum in ea versabatur, ibique et cepit aprum Erymanthium et Lernaeam hydram interfecit; ex eadem profectus ad Hyperboreos venit, idque spatium, quod interest inter Peloponnesum et Hyperboreos, significatur a Virgilio. | 805. Bacchus domitor Indiae. — *pamp.*, pampino involutis. — *iuga*, puta biiuges tigres; Valer. Max. 4, 4, 5 „Quaeque manus modo arantium boum *iugum rexerant*, triumphalis currus habenas retinuerunt.“ | 806. *Nysa* urbs et mons Indiae, ubi puer Bacchus a nymphis educatus fertur. | 807. *dubitamus* pro *dubitas*, et admiscet Anchises suam personam, quo leniatur obiurgatio, quae inest in his verbis; cf. G. 2, 433. — *virtutem*, virtutis scilicet famam, ut 10, 468 „famam extendere factis.“ | 809. v. G. 3, 21. | 811. *Regis*, Numae. — *primam fundat legibus*, primum constituit firmatque legibus, v. E. 6, 1. | 816 sq. Pomponius Sabinus „Ancus Marcius vivente Tullo aegre ferebat, cum e stirpe regia se *iactaret* (erat autem nepos Numae), praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat, *favore populari*, Tullum regem cum tota familia occidere.“ | 818. *superbam*, magnam et excelsam. | 819. *receptos*, translatos ad se omninoque ad Consules. | 823 sq. in quamcumque partem hoc interpretabuntur posteri, plus apud Brutum valebit amor patriae et studiose appetita laus recte facti, quam caritas liberorum. | 825. *Decios*, v. G. 2, 169. — *Drusos* Liviae, uxoris Augusti, ex ea gente ortae

Aspice Torquatum et referentem signa Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc et dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella,
Neu patriae validas in viscera vertite viris;
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
Proiice tela manu, sanguis meus! —
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caesis insignis Achivis.
Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maxumus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus,

causa laudat; ex his M. Livius Salinator caeso ad Senam Hasdrubale clarus, Liv. 27, 48. | 826. *Torquat.*, cf. Liv. 8, 7. — *signa* Romanorum, quae amissa in pugna Alliensi Camillus victis Gallis recepit, Liv. 5, 49. | 827. *paribus:* imparia erant utrimque arma in bellis non civilibus. — *fulgĕre*, v. G. 1, 456. — Significantur autem Caesar (socer) et Pompeius (gener). | 828. *nocte*, v. vs. 888. | 829. *si*, v. 5, 64. | 831. *Agger.*, quod Alpes sunt tamquam propugnacula Italiae. — *arx Monoeci* promontorium Liguriae cum templo et portu Herculis Monoeci; is portus hodie *Monaco* vocatur. — Ceterum v. 1, 2. | 832. *Eois*, legionibus et auxiliis ex Oriente contractis. | 833. *Ne, p.*, cf. Hom. Il. 7, 832. — Liv. 21, 33 „invia ac devia adsueti.“ | 835 sq. cf. 1, 286 sqq. | 836. v. 1, 664. | 837. *Ille*, L. Mummius. | 839. *ille*, L. Aemilius Paulus victor Persei, ab Achille (Aeacida) genus suum repetentis, eversorque regni Macedonici. Per Argos ac Mycenas omnis Graecia significatur. Sed effusius poeta favet Paulo, cuius quidem opera etiam ad res Graecorum aliquo modo pertinebat, Liv. 45, 31, sed minime talis fuit, qualis a Virgilio praedicatur. Videntur haec (ut alia) a poeta inter emendanda relicta esse. | 841. *templ. tem. M.*, v. 1, 41. | 842. *Cato* ille Censorius. — *Cosse*, v. Liv. 4, 19 sq. Propert. 4, 10, 23 sqq. — *Gracchi genus*, respicitur maxime Ti. Sempronius Gracchus bello Punico secundo clarus. | 844. *Scip.*, puta Scipionem Africanum et maiorem et minorem. — *p. potentem*, in parva re domestica *divitem;* Plaut. Epid. 1, 2, 50 „Est Euboicus miles locuples, multo auro *potens*.“ | 845. *Fabricium* illum, qui legatus ad Pyrrhum missus est. — C. Attilium *Serranum* (a serendo, ut tradunt, dictum), qui eum a senatu missi ad imperium populi Romani suscipiendum arcessebant, semina spargentem invenerunt. | 847. Nobilis versus Ennii. Cic. Off. 1, 24. Liv. 30, 26. | 848. *alii*, qui? — *spir.*, v. G. 3, 34. — *mollia* signa dicuntur ita artificiose ad similitudinem verorum corporum facta, ut mollia, s. ad tactum cedentia, et flexibilia

Orabunt caussas melius, caelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere inperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque inponere morem,
Parcere subiectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
Funera, cum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello

videantur, non dura et rigida, cf. Cic. Brut. c. 18.| 851. v. E. 3, 41.| 853. *pacis morem* „*des Friedens Sitte*“ *impon.*, victos adsuefacere vitae pacatae.| 856. Liv. Epit. 20. Propert. 4, 10, 39 sqq.| 859. *eques.* Servius „hic Gallos et Poenos equestri certamine superavit.“ Clarissima fuit M. Claudii Marcelli victoria prope tota equestris, quam ex Gallis caeso duce Virdomaro lectisque spoliis opimis reportavit, Plut. Marc. p. 300 Ed. Fr. Ad Nolam quoque cum primus Romanorum vinceret Hannibalem, egregiam praestitit equitatus operam, Plut. p. 303. Liv. 23, 16. Ab Hannibale gladius (*spada d' Italia*) appellatus est Marcellus.| 860. Primus Romulus Iovi opima spolia consecravit, Liv. 1, 10; altera Marti Cossus, de quo v. vs. 842.| 862. Significatur Marcellus, Octaviae sororis Augusti filius, ab Augusto adoptatus ipsique et populo propter miram iucunditatem morum inprimis gratus.| 866. *qu. instar*, quanta species et dignitas oris.| 868. *ingressus*, cf. 4, 107.| 872. *propr.*, v. E. 7, 31.| 873. sepultus est Marcellus in Campo Martio.| 874. *Camp. a.*, scilicet agent, qui tum erunt in Campo.| 875. *tum rec.*, Mausoleum Augusti in Campo Martio ad ripam Tiberis, quod Augustus ipse anno u. 726 exstruxerat; in hoc illatus est Marcellus.| 877. *In t. s. t. a.*, tantam spem avorum de se excitabit.| 879. *Heu pietas* cet.; ita loquitur, qui cum summo desiderio cogitat, quantum amissum sit in adolescente

Dextera! non illi se quisquam inpune tulisset
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas!
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem adcumulem donis, et fungar inani
Munere. — Sic tota passim regione vagantur
Aeris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famae venientis amore,
Exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos urbemque Latini,
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus Umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna,
Ille viam secat ad navis sociosque revisit;
Tum se ad Caietae recto fert litore portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

tantae pietatis, fidei, fortitudinis.| 880. v. 2, 136.| 883. *si q. f. a. r.*, utinam tibi liceat aliqua ratione effugere hanc duritiem fati!| 884 sqq. *Tu* (nunc anima) *Marcellus eris* (apud superos). Vide artem poetae, qui splendidissime ornatis virtutibus Marcelli et summa concitata exspectatione nunc demum nomen eius ponit, quo omnes istas laudes adolescentis desideratissimi tamquam in unum collectas amplectatur. — date lilia purpurea, ut ea spargam, ut accumulem *cet.*, v. 4, 683. — Et quorsum flores? cf. 5, 79. — Plin. N. H. 21, 5 „Est et *rubens* lilium, quod Graeci κρίνον vocant; alii florem eius cynorrhodon. Sunt et *purpurea* lilia.“| 888. *Aer. in c.*, in campis caliginosis; et ἀήρ atque ἠερόεις saepe de nubibus et tenebris apud Homerum. Et cum loca infera ex more a veteribus tenebricosa dicantur, non dubitavit et hic (etsi Elysium suo sole collustratur vs. 640) et vs. 827 more semel usitato loqui poeta; similiterque ii, qui sunt in Elysio, aetheris et lucis vocabulis utuntur ad supera loca significanda, cf. vs. 436. 721. 761 sq. 828.| 894 sqq. cf. Hom. Odyss. 19, 562—567. etiam Ovid. Met. 11, 623—628. — In soluta oratione diceres: His dictis tum prosecutus Aeneam ex altera Somni porta — nam geminae sunt... — emittit; cf. 1, 530—34. 3, 163—67. 7, 563—71.| 895. *Umbris* vita functorum, quales dormientium animis obversantur.| 897. cf. Tibull. 2, 6, 37.| 899. v. 12, 368.| 901. *recto litore*, recta secundum litus via, v. 8, 57. Alii *limite*.

AENEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

(Tandem pervenit Aeneas, quo intenderat, in Latium. — Status rerum antiqui Latii. — Latinus rex promittit Aeneae Laviniam, unicam filiam, in matrimonium. Sed Iunonis consiliis turbantur omnia. Populus Latinus cum Turno, rege Rutulorum, praereptam sibi ab Aenea Laviniam indigne ferente, bellum apparat. — Recensus populorum Italiae castra Turni sequentium.)

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si quà est ea gloria, signant.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere conposito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus
Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxuma Circaeae raduntur litora terrae,
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum
Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
Saetigerique sues atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum,
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.

Aeneid. L. VII. 1—36. *Caieta. Insula Circes. Appellunt Troiani ad ripam Tiberis.* | 1. *Tu quoque*, ut Misenus ac Palinurus 6, 234 et 381. | 3 sq. v. 6, 507. — *honos tuus*, qui tibi debetur habeturque. — *ossa nomen signant*, ossa tua imponunt et quasi imprimunt ei loco nomen, tamquam signum aliquod, quo ille noscatur. — A Caieta nomen habet et urbs et promontorium. | 4. *si q. e. e. gl.*, quae scilicet est amplissima, cf. Ovid. F. 6, 27 „Est aliquid nupsisse Iovi.“ — Alii *signat.* | 6. v. 4, 523. turbidum interea fuisse mare discimus ex 6, 355 sq. | 7. *velis*, velificatione. | 10. *Circeii*, promontorium Latii, tum Circes insula, postea (uti tradunt Theophrastus, Varro, alii) coniuncta cum terra continenti. | 11 sqq. cf. Hom. Odyss. 10, 135 sqq. — *inaccess.*, quo accedere periculosum est. | 13. cf. Hom. Odyss. 5, 59 sqq. — *noct. in l.*, ut noctem collustret. | 14. cf. G. 1, 293 sq. | 17. *praesep.*, stabulis, ut vs. 275. | 18. *Saev.*, saevas voces edere. — Vocabulum *forma* interdum designat portentosam magnitudinem bestiarum ut Ovid. Met. 2, 78, etiam deorum, ut Ov. Met. 1, 73. |

Quae ne monstra pii paterentur talia Troes
Delati in portus, neu litora dira subirent,
Neptunus ventis inplevit vela secundis
Atque fugam dedit et praeter vada fervida vexit.
Iamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cum venti posuere omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno
Verticibus rapidis, et multa flavus arena
In mare prorumpit. Variae circumque supraque
Adsuetae ripis volucres et fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu lucoque volabant.
Flectere iter sociis terraeque advertere proras
Inperat, et laetus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus adpulit oris,
Expediam, et primae revocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella,
Dicam acies actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo,
Maius opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus; Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic fato divom prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuventa est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus, avis atavisque potens, quem regia coniunx

21. *ne monstra pat. tal.*, ne talem in monstra conversionem subirent. | 26. *lutea*, *κροκόπεπλος* Hom. Il. 8, 1. | 27. *posuere*, sc. se, cf. 10, 103. | 28. *marm.*, Hom. Il. 14, 273. | 29. *Atque*, v. E. 7, 7. || 37—106. *Status antiqui Latii. Latinus rex. Oraculum Fauni vetat filiam Latini, Laviniam, homini Latino in matrimonium dari.* | 37. *q. temp. r.*, quae rerum condicio. | 40. cf. vs. 542. | 42. *a. in fun. r.*: perierunt eo bello Mezentius ac Turnus. | 43. *tot. s. a. c. H.*, *ὑπερβολή*, nam non ultra Latium Etruriamque serpsit id bellum. | 44. v. E. 9, 46. | 50. *fat. div.*, v. 6, 367. | 51. et quae esse coepit, ea erepta est ei. | 52. Sola supererat Latino filia (Lavinia) domus regnique heres. | 56. *av. at. pot.*, cui genus antiquissimum est multique iique nobilissimi maiores, Daunus (pater), Pilumnus (avus), tum ex Venilia nympha matre aviaque Danae Acrisius, Inachus,

Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos,
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densae — mirabile dictu —
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem, et pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis
Et iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa, nefas, longis conprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quae maxuma sacro
Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos
Cum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti

Oceanus, et v. 6, 844. — *reg. c.*, Amata coniux Latini.| 57. *proper.*, valde studebat, ut vs. 264.| 59. *tecti med.*, v. 4, 494 et cf. Tibull. 3, 3, 15. — *penetr. altis*, quae altis parietibus inclusa sunt.| 60. *Sacra c.*, ergo intactis frondibus.| 61. *pr. c. c. a.*, cum primum arcem (Laurentum) conderet, v. G. 3, 130.| 63. *Laurentis* Accusat. Plur., v. G. 1, 137. — *et ab ea*, et a qua; Cic. Orat. 3 „species pulchritudinis eximia quaedam, *quam* intuens *in eaque* defixus" *cet.*| 67. *subitum*, id quod, maxime in re mira, repente ac praeter exspectationem accidit. — Uva ab apibus facta dirum ostentum existimatur, Plin. N. H. 11, 18, 55, similiterque examen apum in foro visum hostium adventum portendit ap. Liv. 24, 10.| 69. *part. easdem*, urbem ac regiam Latini.| 70. *Part. ex isd.*, a partibus maris inferi.| 71. *cast. taed.* Plin. N. H. 16, 19, 44 „taeda, flammis ac lumini sacrorum grata." — *adolet* genitor, Latinus.| 74. *ornatum* capitis; et v. 1, 713.| 75. v. E. 4, 6.| 77. *tectis*, v. 2, 512.| 78. v. G. 2, 441.| 83 sq. *Albunea* silva cum fonte aquae sulfureae hodie *Acqua solforata d' Altieri* dicto; huic silvae in montibus sitae, *altae*, subiacebat lucus iste Fauno sacer; cf. 8, 599. — *opaca*, quae opacat, ut 6, 673 „lucis habitamus opacis;" nec praeter rationem adiectum esse hoc epitheton docet Servius „mephitis ... de aquis nascitur

Pellibus incubuit stratis somnosque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi venient generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos non ipse suo premit ore Latinus,
Sed circum late volitans iam Fama per urbes
Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.
Aeneas primique duces et pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris altae,
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis, — sic Iuppiter ille monebat —
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi
Et violare manu malisque audacibus orbem

sulphuratis et est in nemoribus gravior e x d e n s i t a t e s i l v a r u m." | 88. *incubuit*, unde incubatio, *ἐγκοίμησις*, dicta est haec ratio petendi oracula. | 91. *Acher.*, deos inferos et Manes. — *Avernis*, v. 6, 126. | 95. v. 3, 40. | 97. *paratis*, cf. vs. 56 sq. | 98. *generi*, aliquis gener futurus, v. 6, 322. — Alii *veniunt.* | 99. *quor. ab st. n.*, et qui ab horum stirpe nascentur nepotes. | 100. *sub ped.*, sumtum hoc ab illa imagine, quae victores cervicibus victi pedem imponentes repraesentat, cf. G. 2, 492. Ovid. Trist. 3, 12, 48. — *recurrens* ad quotidianum iter faciendum, ergo et oriens et occidens. | 101. *verti*, Cic. Act. Verr. 1, 7 „Omnia in unius potestate ac moderatione *v e r t e n t u r*." Ceterum cf. vs. 258. | 103 sq. *non* — *Sed*: adversative elocutus est poeta, quod copulative dici solet: n e c Latinus premit, e t Fama iam tulerat. || 107—147. *Comesarum mensarum ostentum docet Troianos venisse ad sedem sibi destinatam.* | 110. *ille*, hoc Pronomine admonemur rei praeteritae: pertinebat ista res ad illud, quod Iuppiter o l i m, ut meminimus, monebat sive futurum esse praedixerat per Harpyiam 3, 255—257. Terent. Phorm. 2, 1, 32 „Lenem patrem *i l l u m* factum me esse acerrimum." Atque in iis comparationibus, quae referuntur ad quandam rerum praeteritarum memoriam, ut adverbio *olim* utitur poeta, 8, 391. G. 4, 433, ita, sed cum quadam vi monstrandi, pronomine *ille* 10, 707. 11, 809. | 111. *aug.*, cumulant, tamquam mensas. | 114. Totum hoc habet comicum quiddam, id quod ipse poeta indicat per verbum *alludens* vs. 117, et, tamquam sacrilegium commissum esset, gravibus utitur et in ea re propriis verbis *violare* et *audax* (Tibull. 3, 5, 8); mensae autem sacrae habitae a veteribus; Donatus fere sic

Fatalis crusti patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam mensas consumimus! inquit Iulus;
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates:
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia namque,
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite et primo laeti cum lumine solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Inplicat, et Geniumque loci primamque deorum
Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
Flumina, tum Noctem Noctisque orientia Signa
Idaeumque Iovem Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat, et duplicis Caeloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,

„Julus ingemuit famem illo usque perductam, ut hanc sacrilegio extinguere laborarent et, quod venerari soliti essent, irreverenter absumerent."| 115. *Fat.*, cf. 3, 255—257.| 117. *N. pl. adl.*, nec plura locutus est iocans et in nomine rei ludens.| 118. *primam*, ut primum exiit ex eius ore, statim.| 119. *Eripuit ... pressit*, celeriter excepit et ad animum admissam paulisper tacitus (cf. vs. 103) mente volutavit. — *stup. numine*, stupefactus vi divina, quae oraculum illud horrendum tam facili via expedivit.| 121. *fidi*, servantes fidem promissorum, cf. 3, 148 sqq.| 122 sqq. Portentum illud mensarum comedendarum Anchises ipse deprecatur 3, 265. Itaque putabimus Anchisen, qui post mortem insignem prodit rerum futurarum scientiam, ea, quae h. l. legimus, tum aperuisse, cum apud inferos versabatur Aeneas, cf. 6, 891—893. — *reliquit* non ante primum discessum, i. e. ante mortem, sed ante illum alterum.| 127. *mol. aggere t.*, urbem aedificare, quod fit ducto vallo.| 129. *Exitiis*, gravissimis malis damnisque (10, 850) ex eorum scilicet genere, quae adhuc perpessi sumus; nam „terrae graviora manent" 6, 84.| 134. v. G. 4, 378.| 135. v. 5, 14.| 136. *primam*, v. 4, 166.| 138. *Noctem*, „quoniam, die consumpto, ipsa iam fuerat ventura" Donatus.| 139. *ex ordine*, deinceps. — *Matrem* deorum, Cybelen.| 140. Venerem atque Anchisen; et v. vs. 226.| 141 sq. Laetum plerumque hoc

Advenisse diem, quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.
 Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et finis et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnis,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora, festinant iussi rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Cum praevectus equo longaevi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Inperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,

augurium; Hom. Od. 20, 103 sq. — *clarus*, serenus, i. e. caelo sereno. | 145. *debita*, cf. v. 120. | 146. *instaurare epulas* est rursus epulari rei sacrae causa, v. 4, 63. — *omine*, cf. vs. 141. | 147. *v. cor.*, v. G. 2, 528. || 148—194. *Explorantur vicina. Mittuntur centum legati ad regem Latinum. Regia Pici.* | 148. v. G. 3, 130. | 149. *urbem*, Laurentum. | 150. *div.*, cf. vs. 132. — Numicius rivulus ex stagno profluens. | 151. *habitare* sc. resciscunt, v. vs. 256. 558. | 152. *ord. ab o.* Servius „ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur.“ | 154. *ramis velatos*, ramos vittatos manibus gerentes, cf. vs. 237. 8, 116. 128. 11, 101. 332. — *Pall.*, cf. G. 1, 18. | 157. *fossa*, proprie sulco, v. 1, 425 et 5, 755. | 158. *Mol. loc.*, aedificia in eo exstruit, cf. vs. 290. — *primas:* primum quidem, quod condidit Aeneas, oppidum Troia appellatum; deinde Lavinium est ab eodem conditum; cf. Liv. 1, 1. | 160. *Iamque ... Cum*, v. 5, 762. — Alii *Latini*. | 164. *lenta*, ex lenta (id est h. l. difficili ad flectendum, dura firmaque) materie facta, qualis est corni, myrti, cf. 9, 698. G. 2, 447 sq. | 165. *que ... que*, v. 1, 701. — *lacess.*, ad certandum provocant. — *ictu*, iaculatione. | 167. *in v.*, v. 5, 179. — *rep.*, v. 3, 717. | 169. *medius*, sive i. q. *aulai medio* 3, 354. sive medius inter adstantes assidentesve amicos, ut 11, 237. | 171. *Urbe summa*, *ἐν τῇ ἀκροπόλει*. | 173. *fasces* praeferendos novo regi. | 174.

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor; quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
    Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentis
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,

omen e., fausti principii loco erat. — *erát: h.*, v. E. 1, 39. | 175. *ar. c.*, facto sacrificio. | 176. *Perpet.*, recta linea continuatis. — *consid.:* Antiquitus Romani sedentes epulabantur. | 178. *cedro* ; *It.*, v. E. 10, 13. | 179. cum falce vinitoria in basi eius simulcari. | 181. *Vestibulum*, v. 2, 469. — *adstab.*, v. 1, 152. — Verbis *ab origine* videntur reges Aboriginum significari, v. 11, 603 et infra vs. 203. | 182. Alii *Martia qui.* | 183. v. 2, 504. — *sacris*, cf. vs. 172—175. 192. | 184. s e c u r i s agrestium Italorum telum, ab Homero inter belli instrumenta semel commemoratum ἐν τῇ περὶ ναυσὶ μάχῃ, cf. Il. 13, 612. 15, 711. | 186. *Spiculaqué*, v. E. 4, 51. | 187. *Ipse*, v. 2, 394. — *Quir. lituo*, Ablativus habitum significans, ut 11, 711 „*E n s e* pedes *n u d o*;“ i. e. instructus lituo, ense. — l i t u u s, qui erat augurum, insigne Romuli in deos relati seu Quirini; t r a b e a communis veterum regum ornatus. | 189. *coniunx*, i. q. amans, v. E. 8, 18. | 190. *Aurea*, v. 1, 698. | 191. Picus in avem picum mutatus, Ovid. Met. 14, 320—396. || 195—285. *Placida oratio Latini. Ad eam respondet Ilioneus; exponit, quid petentes veniant, traditque munera. Promittit Latinus benigne, quod petitur, ultroque Aeneae offert Laviniam in matrimonium. Peracta legatione Troiani muneribus ornati redeunt.* | 196. *auditi*, fama noti. | 203. *h. vinclo n. leg. ae.*, nulla legum aut alia necessitate iustitiam colentem, v. G. 1, 173. — Hi sunt Aborigines illi, de quibus Sall. Cat. c. 6 „genus hominum

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat; et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiemps vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit;
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis tantique abolescet gratia facti,
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis:

agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.“| 204. *se tenent.*, vitam suam moderantem, *vet. dei more*, more a Saturno instituto, cf. Ovid. Met. 1, 89 sqq.| 206. Auruncis imperasse Latinum intelligitur ex 11, 316—19.| 209. v. E. 1, 54. — Corythus, Cortona Etruriae, cf. 3, 170. — *Hinc ab sede Tyrrh.*, v. E. 1, 54.| 211. numerum altaribus deorum addit, quia et ipsi altaria instituuntur, ut deo. — Alii *altar. auget.*| 215. nullus error nec in observandis sideribus admissus, nec ex ignoratione litorum terrarumque ortus nos alio, quam quo tendebamus, abduxit; v. 2, 737.| 218. *Extr. Ol.*, ab orientali parte caeli.| 219. Stemma: Iuppiter, Dardanus, Laomedon, Priamus.| 220. v. 10, 350.| 225. *refuso*, *ἀψοῤῥόῳ*, terras ambiente et in se ipsum redeunte.| 226. *Oceano* est Ablativus loci: si quem litora Oceani habitantem *cet.*; similiter vs. 140 „duplices Caeloque Ereboque parentes,“ qui sunt in Caelo, Erebo; vs. 269. *monstra caelo*, i. e. ostenta de caelo s. a diis missa; *aurum collo* vs. 351, adde 450. *Epiro*, *Hesperia* 3, 503. 8, 419. *flumine*, ad flumen, 8, 610. — Ceterum v. E. 10, 13.| 227. Iunge: *in medio quattuor plagarum*, et cf. G. 1, 233 sqq.| 230. *Innoc.*, quod sine molestia et periculo aliorum teneamus.| 234 sq. Cic. Ep. ad Div. 7, 5, 11

Multi nos populi, multae — ne temne, quod ultro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia —
Et petiere sibi et voluere adiungere gentes;
Sed nos fata deum vestras exquirere terras
Inperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus;
Huc repetit iussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi praeterea fortunae parva prioris
Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras;
Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
More daret populis, sceptrumque sacerque tiaras
Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque inmobilis haeret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur;
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem:
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quae viribus occupet orbem.
Tandem laetus ait: Di nostra incepta secundent
Auguriumque suum! Dabitur, Troiane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat sociusque vocari,
Adveniat, voltus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

„manum tuam (Caesaris) et victoria et fide praestantem.“ | 237. v. vs. 154. — *ac verba*, cum verbis, cf. vs. 431. 8, 93. — *precantĭa*, ut Ovid. Met. 15, 718 *Antĭum*, v. 1, 2. | 238. Quam Troiani nunc sibi per legatos petunt a Latino amicitiam, eam alii populi sibi petierant (per legatos puta) a Troianis; in petendo vel maxime vertitur munus legatorum. | 239. v. 6, 376. | 241. *Huc ... ad Thybrim*, v. E. 1, 54. — *rep.*, Cic. pro Dom. c. 57. „Vos, qui maxime me repetistis atque revocastis.“ | 243. *Dat*, sc. Aeneas, v. 6, 734. | 246. *gestamen* quod fuerit, ipsa poeta dicit subiecta interpretatione *sceptrum*, *tiaras*, *vestes*. — *iura daret*, iudicia exerceret. | 247. *sacer*, quia regium atque augustum id ornamentum. | 248. *vestes*, v. vs. 251. | 249. v. E. 6, 78. — *Talib. dictis*, v. 1, 141. | 250. *Obt.* Sil. It. 17, 184 „torvo obtutu defixus.“ | 251. *purp. picta*, vestes purpureae acu pictae vel auro intextae. | 254. cf. vs. 96 sqq. | 255. *Hunc ill.*, hunc esse illum, quem fata portendant generum; cf. 4, 675 et v. 3, 558. | 256. *Portendi* sc. videt, sibi persuadet; v. vs. 151. — *paribus Auspiciis*, tamquam regni socium, cf. 11, 322 et v. 4, 102. | 264. v. vs. 57. | 266. *pacis*, foederis, haec pars erit; foedera iungebantur non solum dextris datis, sed etiam condicionibus utrimque latis acceptisque maximeque diis auctoribus per sacra

Advenisse diem, quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.
Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et finis et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnis,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora, festinant iussi rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant:
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Cum praevectus equo longaevi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Inperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,

augurium; Hom. Od. 20, 103 sq. — *clarus*, serenus, i. e. caelo sereno. | 145. *debita*, cf. v. 120. | 146. *instaurare epulas* est rursus epulari rei sacrae causa, v. 4, 63. — *omine*, cf. vs. 141. | 147. *v. cor.*, v. G. 2, 528. || 148—194. *Explorantur vicina. Mittuntur centum legati ad regem Latinum. Regia Pici.* | 148. v. G. 3, 130. | 149. *urbem*, Laurentum. | 150. *div.*, cf. vs. 132. — Numicius rivulus ex stagno profluens. | 151. *habitare* sc. resciscunt, v. vs. 256. 5[illegible]8. | 15[illegible]. *ord. ab o.* Servius „ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur.“ | 154. *ramis velatos*, ramos vittatos manibus gerentes, cf. vs. 237. 8, 116. 128. 11, 101. 332. — *Pall.*, cf. G. 1, 18. | 157. *fossa*, proprie sulco, v. 1, 425 et 5, 755. | 158. *Mol. loc.*, aedificia in eo exstruit, cf. vs. 290. — *primas:* primum quidem, quod condidit Aeneas, oppidum Troia appellatum; deinde Lavinium est ab eodem conditum; cf. Liv. 1, 1. | 160. *Iamque* ... *Cum*, v. 5, 762. — Alii *Latini.* | 164. *lenta*, ex lenta (id est h. l. difficili ad flectendum, dura firmaque) materie facta, qualis est corni, myrti, cf. 9, 698. G. 2, 447 sq. | 165. *que* ... *que*, v. 1, 701. — *lacess.*, ad certandum provocant. — *ictu*, iaculatione. | 167. *in v.*, v. 5, 179. — *rep.*, v. 3, 717. | 169. *medius*, sive i. q. *aulai medio* 3, 354. sive medius inter adstantes assidentesve amicos, ut 11, 237. | 171. *Urbe summa*, ἐν τῇ ἀκροπόλει. | 173. *fasces* praeferendos novo regi. | 174.

Troia viros? medias acies mediosque per ignis
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —.
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptae in Teucros vires caelique marisque.
Quid syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Inmanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem inplorare quod usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lavinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coeant mercede suorum.
Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignis enixa iugalis;
Quin idem Veneri partus suus et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.
    Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;

maxime pertinentia. | 296. v. 1, 544. | 297. Pluralis *numina* ubi non ad plures deos, sed ad unum pertinet, significat aut variis rebus comprobatam, aut, ut hic et vs. 310, imprimis magnam et insignem eius dei potentiam. | 299. Non est ita, sed ausa sum etiam *cet.* | 302. *syrtes*, cf. 1, 111. | 304. Servius „Pirithous Lapitharum rex cum uxorem deduceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, et deos omnes excepto Marte ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri et Lapithae in bella venerunt.“ | 305. v. 2, 242. — *conc. in iras*, conc. ulciscendam. | 306. cf. Hom. Il. 9, 529 sqq. Ovid. Met. 8, 270 sqq. — *antiquam*, Plin. Ep. 8, 24 „reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra est.“ | 307. *scelus merere*, scelus in se admittere; Terent. 5, 8, 25 „esse in hac re culpam meritam non nego.“ | 309. *potui*, sustinui, v. G. 3, 453. — *me in omnia verti*, omnes quasi personas nocendique partes suscepi ad istos perdendos. | 314. *inm. man. fat. L. coni.*, immutabili fato decreta Aeneae est coniux Lav.; proprie ipsa fata dicuntur immota, ut 1, 257. | 317. *coeant*, foedere et matrimonio Aeneae et Laviniae coniungantur. | 319. cf. 4, 166. — *face praegnans*, cf. Ovid. Heroid. 16, 43—49. Cic. de Divin. 1, 21. | 320 sqq. *Cisseis*, v. 5, 537. — Non sola Hecuba enixa est ignes iugales, i. e. peperit in matrimonio filium, qui incendium Asiae erat futurus (Ovid. l. l. vs. 49), sed etiam Veneri filius suus similis (*idem*) erit ignis alterque Paris, fax funesta renascenti patriae, cf.

Luctificam Allecto dirarum ab sede dearum
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella
Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco, neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae possint, Italosve obsidere finis.
Tu potes unanimos armare in proelia fratres
Atque odiis versare domos, tu verbera tectis
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Dissice conpositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit poscatque simul rapiatque iuventus.
    Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae,
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem

4, 344.| 324. Alii *sororum.*| 327. v. E. 4, 6.| 328. cf. vs. 415 sq.| 331. *proprium*, cuius fructu ipsa sola gaudeam. Non petit Iuno aliis, sed sibi soli; quod autem ita petimus, id et instantius petimus, et, si datur, gratissimum esse solet. — *laborem* ... *operam*, laborem positum in opera (gratia) mihi praestanda.| 332. *infr.*, v. 12, 1. — *cedere loco* proprie dicitur gladiator vel miles, qui pugna inferior est; „ne honos ac fama mea non tueatur locum suum, s. ne se non sustineat.“| 333. *connub. amb. Lat.*, ut apud Tac. Germ. 18 „pauci, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.“| 334. *Aeneadae*, quod non soli Aeneae coniux petitur, sed ius connubii omnibus Troianis.| 336. *versare*, exagitare, perturbare. — *verbera* oriuntur e rixis discordiisque domesticis, e verberibus caedes et funera.| 337. pro varia potestate, qua quisque erat deus, variis appellabatur nominibus, πολυώνυμος. Ac multa singulorum deorum nomina coacervata deprehendes in Hymnis Orphicis, ut in LXIX. sq., qui scripti sunt in ipsas Eumenidas. Pomponius Sab. „quot sunt mala, tot sunt illius nomina.“| 338. *fec. conc. p.*, excita animum ad invenienda consilia fecundum.| 339. *Dissicere* antique pro *dissecare* dixerunt; sic multi libri mss. 12, 308 „securi frontem mentumque dissicit.“ Plaut. Curc. 3, 53 „elephantum machaera dissicit.“ Lactantius quoque Inst. 2, 7, 8 „Cape igitur hanc cotem eamque novacula dissice.“ (cf. Liv. 1, 36.)| 340. uno eodemque tempore et cupiat arma et poscat et rapiat.|| 341—405. *Primum Allecto furiis inficit Amatam, uxorem Latini regis.*| 341. *Gorg. inf. ven.*, caput eius, ut Gorgonis Medusae, serpentibus veneno infectis cinctum erat.| 343. *tacitum*, quo sola secesserat Amata curis intenta.| 345. *cura* et *ira* fervere, fervida esse, proptereaque hominem coquere (animum eius incendere) dicitur; Ennius „Quae (*cura*) nunc te coquit et versat sub pectore fixa.“ Silius It. 14, 103 „quos ira metusque coquebat.“| 346. *Huic*, v. E. 2, 30. — *caeruleis:* constant crines eius anguibus caeruleis, atris.|

Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos,
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densae — mirabile dictu —
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem, et pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis
Et iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa, nefas, longis conprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quae maxuma sacro
Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos
Cum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti

Oceanus, et v. 6, 844. — *reg. c.*, Amata coniux Latini.| 57. *proper.*, valde studebat, ut vs. 264.| 59. *tecti med.*, v. 4, 494 et cf. Tibull. 3, 3, 15. — *penetr. altis*, quae altis parietibus inclusa sunt.| 60. *Sacra c.*, ergo intactis frondibus.| 61. *pr. c. c. a.*, cum primum arcem (Laurentum) conderet, v. G. 3, 130.| 63. *Laurentis* Accusat. Plur., v. G. 1, 137. — *et ab ea*, et a qua; Cic. Orat. 3 „species pulchritudinis eximia quaedam, *quam* intuens *in eaque* defixus“ *cet.*| 67. *subitum*, id quod, maxime in re mira, repente ac praeter exspectationem accidit. — Uva ab apibus facta dirum ostentum existimatur, Plin. N. H. 11, 18, 55, similiterque examen apum in foro visum hostium adventum portendit ap. Liv. 24, 10.| 69. *part. easdem*, urbem ac regiam Latini.| 70. *Part. ex isd.*, a partibus maris inferi.| 71. *cast. taed.* Plin. N. H. 16, 19, 44 „taeda, flammis ac lumini sacrorum grata.“ — *adolet* genitor, Latinus.| 74. *ornatum* capitis; et v. 1, 713.| 75. v. E. 4, 6.| 77. *tectis*, v. 2, 512.| 78. v. G. 2, 441.| 83 sq. *Albunea* silva cum fonte aquae sulfureae hodie *Acqua solforata d' Altieri* dicto; huic silvae in montibus sitae, *altae*, subiacebat lucus iste Fauno sacer; cf. 8, 599. — *opaca*, quae opacat, ut 6, 673 „lucis habitamus opacis;“ nec praeter rationem adiectum esse hoc epitheton docet Servius „mephitis ... de aquis nascitur

Pellibus incubuit stratis somnosque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi venient generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos non ipse suo premit ore Latinus,
Sed circum late volitans iam Fama per urbes
Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.
    Aeneas primique duces et pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris altae,
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis, — sic Iuppiter ille monebat —
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi
Et violare manu malisque audacibus orbem

sulphuratis et est in nemoribus gravior ex densitate silvarum.“| 88. *incubuit*, unde incubatio, ἐγκοίμησις, dicta est haec ratio petendi oracula.| 91. *Acher.*, deos inferos et Manes. — *Avernis*, v. 6, 126.| 95. v. 3, 40.| 97. *paratis*, cf. vs. 56 sq.| 98. *generi*, aliquis gener futurus, v. 6, 322. — Alii *veniunt.*| 99. *quor. ab st. n.*, et qui ab horum stirpe nascentur nepotes.| 100. *sub ped.*, sumtum hoc ab illa imagine, quae victores cervicibus victi pedem imponentes repraesentat, cf. G. 2, 492. Ovid. Trist. 3, 12, 48. — *recurrens* ad quotidianum iter faciendum, ergo et oriens et occidens.| 101. *verti*, Cic. Act. Verr. 1, 7 „Omnia in unius potestate ac moderatione *vertentur*.“ Ceterum cf. vs. 258.| 103 sq. *non* — *Sed*: adversative elocutus est poeta, quod copulative dici solet: nec Latinus premit, et Fama iam tulerat.|| 107—147. *Comesarum mensarum ostentum docet Troianos venisse ad sedem sibi destinatam.*| 110. *ille*, hoc Pronomine admonemur rei praeteritae: pertinebat ista res ad illud, quod Iuppiter olim, ut meminimus, monebat sive futurum esse praedixerat per Harpyiam 3, 255—257. Terent. Phorm. 2, 1, 32 „Lenem patrem *illum* factum me esse acerrimum.“ Atque in iis comparationibus, quae referuntur ad quandam rerum praeteritarum memoriam, ut adverbio *olim* utitur poeta, 8, 391. G. 4, 433, ita, sed cum quadam vi monstrandi, pronomine *ille* 10, 707. 11, 809.| 111. *aug.*, cumulant, tamquam mensas.| 114. Totum hoc habet comicum quiddam, id quod ipse poeta indicat per verbum *alludens* vs. 117, et, tamquam sacrilegium commissum esset, gravibus utitur et in ea re propriis verbis *violare* et *audax* (Tibull. 3, 5, 8); mensae autem sacrae habitae a veteribus; Donatus fere sic

Fatalis crusti patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam mensas consumimus! inquit Iulus;
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates:
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia namque,
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite et primo laeti cum lumine solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Inplicat, et Geniumque loci primamque deorum
Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
Flumina, tum Noctem Noctisque orientia Signa
Idaeumque Iovem Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat, et duplicis Caeloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,

„Iulus ingemuit famem illo usque perductam, ut hanc sacrilegio extinguere laborarent et, quod venerari soliti essent, irreverenter absumerent.“| 115. *Fat.*, cf. 3, 255—257.| 117. *N. pl. adl.*, nec plura locutus est iocans et in nomine rei ludens.| 118. *primam*, ut primum exiit ex eius ore, statim.| 119. *Eripuit ... pressit*, celeriter excepit et ad animum admissam paulisper tacitus (cf. vs. 103) mente volutavit. — *stup. numine*, stupefactus vi divina, quae oraculum illud horrendum tam facili via expedivit.| 121. *fidi*, servantes fidem promissorum, cf. 3, 148 sqq.| 122 sqq. Portentum illud mensarum comedendarum Anchises ipse deprecatur 3, 265. Itaque putabimus Anchisen, qui post mortem insignem prodit rerum futurarum scientiam, ea, quae h. l. legimus, tum aperuisse, cum apud inferos versabatur Aeneas, cf. 6, 891—893. — *reliquit* non ante primum discessum, i. e. ante mortem, sed ante illum alterum.| 127. *mol. aggere t.*, urbem aedificare, quod fit ducto vallo.| 129. *Exitiis*, gravissimis malis damnisque (10, 850) ex eorum scilicet genere, quae adhuc perpessi sumus; nam „terrae graviora manent“ 6, 84.| 134. v. G. 4, 378.| 135. v. 5, 14.| 136. *primam*, v. 4, 166.| 138. *Noctem*, „quoniam, die consumpto, ipsa iam fuerat ventura“ Donatus.| 139. *ex ordine*, deinceps. — *Matrem* deorum, Cybelen.| 140. Venerem atque Anchisen; et v. vs. 226.| 141 sq. Laetum plerumque hoc

Advenisse diem; quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.
Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et finis et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnis,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora, festinant iussi rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Cum praevectus equo longaevi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Inperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,

augurium; Hom. Od. 20, 103 sq. — *clarus*, serenus, i. e. caelo sereno. | 145. *debita*, cf. v. 120. | 146. *instaurare epulas* est rursus epulari rei sacrae causa, v. 4, 63. — *omine*, cf. vs. 141. | 147. *v. cor.*, v. G. 2, 528. || 148—194. *Explorantur vicina. Mittuntur centum legati ad regem Latinum. Regia Pici.* | 148. v. G. 3, 130. | 149. *urbem*, Laurentum. | 150. *div.*, cf. vs. 132. — Numicius rivulus ex stagno profluens. | 151. *habitare* sc. resciscunt, v. vs. 256. 5[illegible]8. | 15[illegible] *ord. ab o.* Servius „ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur.“ | 154. *ramis velatos*, ramos vittatos manibus gerentes, cf. vs. 237. 8, 116. 128. 11, 101. 332. — *Pall.*, cf. G. 1, 18. | 157. *fossa*, proprie sulco, v. 1, 425 et 5, 755. | 158. *Mol. loc.*, aedificia in eo exstruit, cf. vs. 290. — *primas:* primum quidem, quod condidit Aeneas, oppidum Troia appellatum; deinde Lavinium est ab eodem conditum; cf. Liv. 1, 1. | 160. *Iamque ... Cum*, v. 5, 762. — Alii *Latini*. | 164. *lenta*, ex lenta (id est h. l. difficili ad flectendum, dura firmaque) materie facta, qualis est corni, myrti, cf. 9, 698. G. 2, 447 sq. | 165. *que ... que*, v. 1, 701. — *lacess.*, ad certandum provocant. — *ictu*, iaculatione. | 167. *in v.*, v. 5, 179. — *rep.*, v. 3, 717. | 169. *medius*, sive i. q. *aulai medio* 3, 354. sive medius inter adstantes assidentesve amicos, ut 11, 237. | 171. *Urbe summa*, ἐν τῇ ἀκροπόλει. | 173. *fasces* praeferendos novo regi. | 174.

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor; quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentis
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,

omen e., fausti principii loco erat. — *erát: h.*, v. E. 1, 39. | 175. *ar. c.*, facto sacrificio. | 176. *Perpet.*, recta linea continuatis. — *consid.:* Antiquitus Romani sedentes epulabantur. | 178. *cedro* ; *It.*, v. E. 10, 13. | 179. cum falce vinitoria in basi eius simulcari. | 181. *Vestibulum*, v. 2, 469. — *adstab.*, v. 1, 152. — Verbis *ab origine* videntur reges Aboriginum significari, v. 11, 603 et infra vs. 203. | 182. Alii *Martia qui.* | 183. v. 2, 504. — *sacris*, cf. vs. 172—174. 192. | 184. securis agrestium Italorum telum, ab Homero inter belli instrumenta semel commemoratum ἐν τῇ περὶ ναυσὶ μάχῃ, cf. Il. 13, 612. 15, 711. | 186. *Spiculaqué*, v. E. 4, 51. | 187. *Ipse*, v. 2, 394. — *Quir. lituo*, Ablativus habitum significans, ut 11, 711 „*Ense* pedes *nudo*;“ i. e. instructus lituo, ense. — lituus, qui erat augurum, insigne Romuli in deos relati seu Quirini; trabea communis veterum regum ornatus. | 189. *coniunx*, i. q. amans, v. E. 8, 18. | 190. *Aurea*, v. 1, 698. | 191. Picus in avem picum mutatus, Ovid. Met. 14, 320—396. || 195—285. *Placida oratio Latini. Ad eam respondet Ilioneus; exponit, quid petentes veniant, traditque munera. Promittit Latinus benigne, quod petitur, ultroque Aeneae offert Laviniam in matrimonium. Peracta legatione Troiani muneribus ornati redeunt.* | 196. *auditi*, fama noti. | 203. *h. vinclo n. leg. ae.*, nulla legum aut alia necessitate iustitiam colentem, v. G. 1, 173. — Hi sunt Aborigines illi, de quibus Sall. Cat. c. 6 „genus hominum

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat; et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiemps vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit;
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis tantique abolescet gratia facti,
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis:

agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.“| 204. *se tenent.*; vitam suam moderantem, *vet. dei more*, more a Saturno instituto, cf. Ovid. Met. 1, 89 sqq.| 206. Auruncis imperasse Latinum intelligitur ex 11, 316—19.| 209. v. E. 1, 54. — Corythus, Cortona Etruriae, cf. 3, 170. — *Hinc ab sede Tyrrh.*, v. E. 1, 54.| 211. numerum altaribus deorum addit, quia et ipsi altaria instituuntur, ut deo. — Alii *altar. auget.*| 215. nullus error nec in observandis sideribus admissus, nec ex ignoratione litorum terrarumque ortus nos alio, quam quo tendebamus, abduxit; v. 2, 737.| 218. *Extr. Ol.*, ab orientali parte caeli.| 219. Stemma: Iuppiter, Dardanus, Laomedon, Priamus.| 220. v .10, 350.| 225. *refuso*, ἀψορρόῳ, terras ambiente et in se ipsum redeunte.| 226. *Oceano* est Ablativus loci: si quem litora Oceani habitantem *cet.*; similiter vs. 140 „duplices Caeloque Ereboque parentes,“ qui sunt in Caelo, Erebo; vs. 269. *monstra caelo*, i. e. ostenta de caelo s. a diis missa; *aurum collo* vs. 351, adde 450. *Epiro*, *Hesperia* 3, 503. 8, 419. *flumine*, ad flumen, 8, 610. — Ceterum v. E. 10, 13.| 227. Iunge: *in medio quattuor plagarum*, et cf. G. 1, 233 sqq.| 230. *Innoc.*, quod sine molestia et periculo aliorum teneamus.| 234 sq. Cic. Ep. ad Div. 7, 5, 11

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor; quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentis
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,

omen e., fausti principii loco erat. — *erát: h.*, v. E. 1, 39.| 175. *ar. c.*, facto sacrificio.| 176. *Perpet.*, recta linea continuatis. — *consid.:* Antiquitus Romani sedentes epulabantur.| 178. *cedro* ; *It.*, v. E. 10, 13.| 179. cum falce vinitoria in basi eius simulcari.| 181. *Vestibulum*, v. 2, 469. — *adstab.*, v. 1, 152. — Verbis *ab origine* videntur reges Aboriginum significari, v. 11, 603 et infra vs. 203.| 182. Alii *Martia qui*.| 183. v. 2, 504. — *sacris*, cf. vs. 172—174. 192.| 184. s e c u r i s agrestium Italorum telum, ab Homero inter belli instrumenta semel commemoratum *ἐν τῇ περὶ ναυσὶ μάχῃ*, cf. Il. 13, 612. 15, 711.| 186. *Spiculaqué*, v. E. 4, 51.| 187. *Ipse*, v. 2, 394. — *Quir. lituo*, Ablativus habitum significans, ut 11, 711 „*E n s e* pedes *n u d o* ;" i. e. instructus lituo, ense. — l i t u u s, qui erat augurum, insigne Romuli in deos relati seu Quirini; t r a b e a communis veterum regum ornatus.| 189. *coniunx*, i. q. amans, v. E. 8, 18.| 190. *Aurea*, v. 1, 698.| 191. Picus in avem picum mutatus, Ovid. Met. 14, 320—396.|| 195—285. *Placida oratio Latini. Ad eam respondet Ilioneus; exponit, quid petentes veniant, traditque munera. Promittit Latinus benigne, quod petitur, ultroque Aeneae offert Laviniam in matrimonium. Peracta legatione Troiani muneribus ornati redeunt.*| 196. *auditi*, fama noti.| 203. *h. vinclo n. leg. ae.*, nulla legum aut alia necessitate iustitiam colentem, v. G. 1, 173. — Hi sunt Aborigines illi, de quibus Sall. Cat. c. 6 „genus hominum

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat; et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiemps vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit;
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis tantique abolescet gratia facti,
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis:

agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.“| 204. *se tenent.*, vitam suam moderantem, *vet. dei more*, more a Saturno instituto, cf. Ovid. Met. 1, 89 sqq.| 206. Auruncis imperasse Latinum intelligitur ex 11, 316—19.| 209. v. E. 1, 54. — Corythus, Cortona Etruriae, cf. 3, 170. — *Hinc ab sede Tyrrh.*, v. E. 1, 54.| 211. numerum altaribus deorum addit, quia et ipsi altaria instituuntur, ut deo. — Alii *altar. auget.*| 215. nullus error nec in observandis sideribus admissus, nec ex ignoratione litorum terrarumque ortus nos alio, quam quo tendebamus, abduxit; v. 2, 737.| 218. *Extr. Ol.*, ab orientali parte caeli.| 219. Stemma: Iuppiter, Dardanus, Laomedon, Priamus.| 220. v .10, 350.| 225. *refuso*, *ἀψορρόῳ*, terras ambiente et in se ipsum redeunte.| 226. *Oceano* est Ablativus loci: si quem litora Oceani habitantem *cet.*; similiter vs. 140 „duplices Caeloque Ereboque parentes,“ qui sunt in Caelo, Erebo; vs. 269. *monstra caelo*, i. e. ostenta de caelo s. a diis missa; *aurum collo* vs. 351, adde 450. *Epiro*, *Hesperia* 3, 503. 8, 419. *flumine*, ad flumen, 8, 610. — Ceterum v. E. 10, 13.| 227. Iunge: *in medio quattuor plagarum*, et cf. G. 1, 233 sqq.| 230. *Innoc.*, quod sine molestia et periculo aliorum teneamus.| 234 sq. Cic. Ep. ad Div. 7, 5, 11

Troia viros? medias acies mediosque per ignis
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —,
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptae in Teucros vires caelique marisque.
Quid syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Inmanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem inplorare quod usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lavinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coeant mercede suorum.
Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignis enixa iugalis;
Quin idem Veneri partus suus et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.
    Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;

maxime pertinentia. | 296. v. 1, 544. | 297. Pluralis *numina* ubi non ad plures deos, sed ad unum pertinet, significat aut variis rebus comprobatam, aut, ut hic et vs. 310, imprimis magnam et insignem eius dei potentiam. | 299. Non est ita, sed ausa sum etiam *cet.* | 302. *syrtes*, cf. 1, 111. | 304. Servius „Pirithous Lapitharum rex cum uxorem deduceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, et deos omnes excepto Marte ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri et Lapithae in bella venerunt.“ | 305. v. 2, 242. — *conc. in iras*, conc. ulciscendam. | 306. cf. Hom. Il. 9, 529 sqq. Ovid. Met. 8, 270 sqq. — *antiquam*, Plin. Ep. 8, 24 „reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra est.“ | 307. *scelus merere*, scelus in se admittere; Terent. 5, 8, 25 „esse in hac re culpam meritam non nego.“ | 309. *potui*, sustinui, v. G. 3, 453. — *me in omnia verti*, omnes quasi personas nocendique partes suscepi ad istos perdendos. | 314. *inm. man. fat. L. coni.*, immutabili fato decreta Aeneae est coniux Lav.; proprie ipsa fata dicuntur immota, ut 1, 257. | 317. *coeant*, foedere et matrimonio Aeneae et Laviniae coniungantur. | 319. cf. 4, 166. — *face praegnans*, cf. Ovid. Heroid. 16, 43—49. Cic. de Divin. 1, 21. | 320 sqq. *Cisseis*, v. 5, 537. — Non sola Hecuba enixa est ignes iugales, i. e. peperit in matrimonio filium, qui incendium Asiae erat futurus (Ovid. l. l. vs. 49), sed etiam Veneri filius suus similis *(idem)* erit ignis alterque Paris, fax funesta renascenti patriae, cf.

Luctificam Allecto dirarum ab sede dearum
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella
Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco, neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae possint, Italosve obsidere finis.
Tu potes unanimos armare in proelia fratres
Atque odiis versare domos, tu verbera tectis
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Dissice conpositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit poscatque simul rapiatque iuventus.
Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae,
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem

4, 344.| 324. Alii *sororum.*| 327. v. E. 4, 6.| 328. cf. vs. 415 sq.| 331. *proprium*, cuius fructu ipsa sola gaudeam. Non petit Iuno aliis, sed sibi soli; quod autem ita petimus, id et instantius petimus, et, si datur, gratissimum esse solet. — *laborem ... operam*, laborem positum in opera (gratia) mihi praestanda.| 332. *infr.*, v. 12, 1. — *cedere loco* proprie dicitur gladiator vel miles, qui pugna inferior est; „ne honos ac fama mea non tueatur locum suum, s. ne se non sustineat.“| 333. *connub. amb. Lat.*, ut apud Tac. Germ. 18 „pauci, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.“| 334. *Aeneadae*, quod non soli Aeneae coniux petitur, sed ius connubii omnibus Troianis.| 336. *versare*, exagitare, perturbare. — *verbera* oriuntur e rixis discordiisque domesticis, e verberibus caedes et funera.| 337. pro varia potestate, qua quisque erat deus, variis appellabatur nominibus, πολυώνυμος. Ac multa singulorum deorum nomina coacervata deprehendes in Hymnis Orphicis, ut in LXIX. sq., qui scripti sunt in ipsas Eumenidas. Pomponius Sab. „quot sunt mala, tot sunt illius nomina.“| 338. *fec. conc. p.*, excita animum ad invenienda consilia fecundum.| 339. *Dissicere* antique pro *dissecare* dixerunt; sic multi libri mss. 12, 308 „securi frontem mentumque dissicit.“ Plaut. Curc. 3, 53 „elephantum machaera dissicit.“ Lactantius quoque Inst. 2, 7, 8 „Cape igitur hanc cotem eamque novacula dissice.“ (cf. Liv. 1, 36.)| 340. uno eodemque tempore et cupiat arma et poscat et rapiat.|| 341—405. *Primum Allecto furiis inficit Amatam, uxorem Latini regis.*| 341. *Gorg. inf. ven.*, caput eius, ut Gorgonis Medusae, serpentibus veneno infectis cinctum erat.| 343. *tacitum*, quo sola secesserat Amata curis intenta.| 345. *cura* et *ira* fervere, fervida esse, propetereaque hominem coquere (animum eius incendere) dicitur; Ennius „Quae (*cura*) nunc te coquit et versat sub pectore fixa.“ Silius It. 14, 103 „quos ira metusque coquebat.“| 346. *Huic*, v. E. 2, 30. — *caeruleis:* constant crines eius anguibus caeruleis, atris.|

Coniicit inque sinum praecordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestes et levia pectora lapsus,
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem
Vipeream inspirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertemptat sensus atque ossibus inplicat ignem
Necdum animus toto percepit pectore flammam,
Mollius, et solito matrum de more, locuta est,
Multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret gnataeque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine praedo?
An non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes?
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum
Et consanguineo totiens data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te iussa parentis,
Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.
His ubi nequiquam dictis experta Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat,

347. *in sinum*, cui respondet, quod vs. 349 legitur, *inter vestes et pectora;* et ita labitur ad praecordia, „loca cordi vicina, ut ait Servius, quibus percipitur sensus.“ | 350 sq. *fall. f. Vip. insp. an.*, i. e. clam inspirat furenti animam vip., *ἔλαθεν αὐτὴν πνεῦμα ὀφιόνεον εἰσπνέων*, Eurip. Heracl. 339 „*μὴ λάθῃ με προσπεσών*.“ Horat. Ep. 1, 17, 10 „Nec vixit male, qui *natus moriensque fefellit*.“ | 351. vs. 753 „graviter spirantibus hydris.“ — *collo*, v. vs. 226. | 352. „*taenia* est vittarum extremitas“ Servius. — *vittae*, v. vs. 403. | 354. *prima ... veneno*, pestis primo furtim se in corpus insinuans udo veneno, i. e. udo halitu venenatae viperae. | 355. v. 1, 660. | 359. v. E. 3, 7. | 361. *primo*, ubi primum flare aquilo (ventus ab Italia solventibus secundus) coeperit. | 363. Alii *At non sic:* quasi non simili modo Spartam venerit Paris; et *at* particula apta est ironiae, sarcasmo et irrisioni. — Per Praesens, *penetrat*, res praeterita ita in memoriam revocatur, ut quasi nunc geri fierique videatur. | 365. *Quid tua fides?* nulla iam est. | 366. *consangu.*, est enim filius Veniliae, sororis Amatae. | 367. *Latinis*, ut 11, 472 „generumque adsciverit *urbi*,“ nempe ut consortem imperii, et cf. supra vs. 255—57. | 368. *premunt*, urgent. | 372. cf. vs. 409—411 et v. vs. 56. Argivi reges, ex quibus unus erat Acrisius, pater Danaes, genus ducebant ab Inacho. — *mediae M.*, ergo ex media (cui nihil cum Italia commune) Argolide repetit Turnus originem; Mycenae et

Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Inmensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque ferocis.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Maius adorta nefas maioremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur,
Euoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum
Vociferans: etenim mollis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quaerere tecta;
Deseruere domos, ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera conplent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas;
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem, torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae:
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet,

Argi saepe a poetis confunduntur, utraque urbs Argolidis.| 376. *monstra* h. l. sunt terrores et phantasmata animo Amatae obiecta.| 377. *Immensam*, modestius *totam* dixit 4, 300; fingit scilicet immensam Romaeque, qualis ipsius aetate fuit, similiorem facit, quo latius pateat spatium huic furori Amatae. — *sine more*, *ἀκόσμως*.| 378. *sub v.*, Callim. Ep. 1, 9 sq.: „*ὑπὸ πληγῆσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες ἔστρεφον.*“ Herod. 7, 56 „*Ξέρξης ἐθηεῖτο τὸν στρατὸν ὑπὸ μαστίγων διαβαίνοντα.*“| 379. *circ. atria*, per atria huc et illuc.| 381. *inscia*, quid sit, quod ita in gyrum turbo vertatur. — *supra*, designantur pueri turbini intenti seque supra eum inclinantes.| 383. *dant* turbini *animos*, motum concitatiorem.| 385 sqq. simulat se Bacchi vi ac potentia correptam id agere, ut filiam orgiis initiet.| 388. *taedas* iugales, v. E. 8, 29.| 390. *Vociferatur* filiam *tibi*, in tuum honorem, *molles*, pampinis vestitos, *s. th.* v. vs. 396.| 391. *Te lustr. ch.*, choros circum te, tamquam praesentem, ducere. — pascit crinem, qui eum non resecat; in sacris Bacchicis coma promissa et soluta habebatur.| 393. *nova tecta*, puta silvas.| 394. *vent. d. c. c.*, Maenadum modo, cf. vs. 403.| 395. Dum aliae tr. ul. aeth. complent, Ipsa (vs. 397) Amata pinum sustinet.| 396. *Pamp. hastas*, v. E. 5, 31. — *pell.*, nebride.| 397. *pinum*, facem pineam.| 398. *canit h.*, v. E. 1, 39. Ceterum aut verum consilium nunc aperit Amata, diversum ab eo, quod ante (vs. 389) simulavit, aut expressa sunt his verbis, ut statuit Servius, signa mentis alienatae; et fictum principio (vs. 385) furorem Bacchicum deinde conversum esse in verum probat vs. 405.| 399. cf. cf. 4, 643. — *torv.*, torva voce, ut „torvo tonitru“ apud Attium.| 402. *si iur. mat. c. rem.:* admonet eas, quid ipsis communicato cum Troianis connubio spe-

Fatalis crusti patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam mensas consumimus! inquit Iulus;
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates:
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia namque,
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite et primo laeti cum lumine solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Inplicat, et Geniumque loci primamque deorum
Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
Flumina, tum Noctem Noctisque orientia Signa
Idaeumque Iovem Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat, et duplicis Caeloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,

„Iulus ingemuit famem illo usque perductam, ut hanc sacrilegio extinguere laborarent et, quod venerari soliti essent, irreverenter absumerent.“| 115. *Fat.*, cf. 3, 255—257.| 117. *N. pl. adl.*, nec plura locutus est iocans et in nomine rei ludens.| 118. *primam*, ut primum exiit ex eius ore, statim.| 119. *Eripuit ... pressit*, celeriter excepit et ad animum admissam paulisper tacitus (cf. vs. 103) mente volutavit. — *stup. numine*, stupefactus vi divina, quae oraculum illud horrendum tam facili via expedivit.| 121. *fidi*, servantes fidem promissorum, cf. 3, 148 sqq.| 122 sqq. Portentum illud mensarum comedendarum Anchises ipse deprecatur 3, 265. Itaque putabimus Anchisen, qui post mortem insignem prodit rerum futurarum scientiam, ea, quae h. l. legimus, tum aperuisse, cum apud inferos versabatur Aeneas, cf. 6, 891—893. — *reliquit* non ante primum discessum, i. e. ante mortem, sed ante illum alterum.| 127. *mol. aggere t.*, urbem aedificare, quod fit ducto vallo.| 129. *Exitiis*, gravissimis malis damnisque (10, 850) ex eorum scilicet genere, quae adhuc perpessi sumus; nam „terrae graviora manent“ 6, 84.| 134. v. G. 4, 378.| 135. v. 5, 14.| 136. *primam*, v. 4, 166.| 138. *Noctem*, „quoniam, die consumpto, ipsa iam fuerat ventura“ Donatus.| 139. *ex ordine*, deinceps. — *Matrem* deorum, Cybelen.| 140. Venerem atque Anchisen; et v. vs. 226.| 141 sq. Laetum plerumque hoc

Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Inmensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque ferocis.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Maius adorta nefas maioremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur,
Euoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum
Vociferans: etenim mollis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quaerere tecta;
Deseruere domos, ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera conplent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas;
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem, torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae:
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet,

Argi saepe a poetis confunduntur, utraque urbs Argolidis. | 376. *monstra* h. l. sunt terrores et phantasmata animo Amatae obiecta. | 377. *Immensam*, modestius *totam* dixit 4, 300; fingit scilicet immensam Romaeque, qualis ipsius aetate fuit, similiorem facit, quo latius pateat spatium huic furori Amatae. — *sine more*, ἀκόσμως. | 378. *sub v.*, Callim. Ep. 1, 9 sq.: „ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες ἔστρεφον.“ Herod. 7, 56 „Ξέρξης ἐθηεῖτο τὸν στρατὸν ὑπὸ μαστίγων διαβαίνοντα.“ | 379. *circ. atria*, per atria huc et illuc. | 381. *inscia*, quid sit, quod ita in gyrum turbo vertatur. — *supra*, designantur pueri turbini intenti seque supra eum inclinantes. | 383. *dant* turbini *animos*, motum concitatiorem. | 385 sqq. simulat se Bacchi vi ac potentia correptam id agere, ut filiam orgiis initiet. | 388. *taedas* iugales, v. E. 8, 29. | 390. *Vociferatur* filiam *tibi*, in tuum honorem, *molles*, pampinis vestitos, *s. th.* v. vs. 396. | 391. *Te lustr. ch.*, choros circum te, tamquam praesentem, ducere. — *pascit crinem*, qui eum non resecat; in sacris Bacchicis coma promissa et soluta habebatur. | 393. *nova tecta*, puta silvas. | 394. *vent. d. c. c.*, Maenadum modo, cf. vs. 403. | 395. Dum *aliae* tr. ul. aeth. complent, *Ipsa* (vs. 397) Amata pinum sustinet. | 396. *Pamp. hastas*, v. E. 5, 31. — *pell.*, nebride. | 397. *pinum*, facem pineam. | 398. *canit h.*, v. E. 1, 39. Ceterum aut verum consilium nunc aperit Amata, diversum ab eo, quod ante (vs. 389) simulavit, aut expressa sunt his verbis, ut statuit Servius, signa mentis alienatae; et fictum principio (vs. 385) furorem Bacchicum deinde conversum esse in verum probat vs. 405. | 399. cf. cf. 4, 643. — *torv.*, torva voce, ut „torvo tonitru“ apud Attium. | 402. *si iur. mat. c. rem.:* admonet eas, quid ipsis communicato cum Troianis connubio spe-

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor; quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
    Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentis
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,

omen e., fausti principii loco erat. — *erát: h.*, v. E. 1, 39. | 175. *ar. c.*, facto sacrificio. | 176. *Perpet.*, recta linea continuatis. — *consid.:* Antiquitus Romani sedentes epulabantur. | 178. *cedro* ¦ *It.*, v. E. 10, 13. | 179. cum falce vinitoria in basi eius simulcari. | 181. *Vestibulum*, v. 2, 469. — *adstab.*, v. 1, 152. — Verbis *ab origine* videntur reges Aboriginum significari, v. 11, 603 et infra vs. 203. | 182. Alii *Martia qui.* | 183. v. 2, 504. — *sacris*, cf. vs. 172—175. 192. | 184. securis agrestium Italorum telum, ab Homero inter belli instrumenta semel commemoratum ἐν τῇ περὶ ναυσὶ μάχῃ, cf. Il. 13, 612. 15, 711. | 186. *Spiculaqué*, v. E. 4, 51. | 187. *Ipse*, v. 2, 394. — *Quir. lituo*, Ablativus habitum significans, ut 11, 711 „*Ense* pedes *nudo*;“ i. e. instructus lituo, ense. — lituus, qui erat augurum, insigne Romuli in deos relati seu Quirini; trabea communis veterum regum ornatus. | 189. *coniunx*, i. q. amans, v. E. 8, 18. | 190. *Aurea*, v. 1, 698. | 191. Picus in avem picum mutatus, Ovid. Met. 14, 320—396. || 195—285. *Placida oratio Latini. Ad eam respondet Ilioneus; exponit, quid petentes veniant, traditque munera. Promittit Latinus benigne, quod petitur, ultroque Aeneae offert Laviniam in matrimonium. Peracta legatione Troiani muneribus ornati redeunt.* | 196. *auditi*, fama noti. | 203. *h. vinclo n. leg. ae.*, nulla legum aut alia necessitate iustitiam colentem, v. G. 1, 173. — Hi sunt Aborigines illi, de quibus Sall. Cat. c. 6 „genus hominum

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit et numerum divorum altaribus addit.
  Dixerat; et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiemps vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit;
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis tantique abolescet gratia facti,
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis:

agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum."| 204. *se tenent.*, vitam suam moderantem, *vet. dei more*, more a Saturno instituto, cf. Ovid. Met. 1, 89 sqq.| 206. Auruncis imperasse Latinum intelligitur ex 11, 316—19.| 209. v. E. 1, 54. — Corythus, Cortona Etruriae, cf. 3, 170. — *Hinc ab sede Tyrrh.*, v. E. 1, 54.| 211. numerum altaribus deorum addit, quia et ipsi altaria instituuntur, ut deo. — Alii *altar. auget.*| 215. nullus error nec in observandis sideribus admissus, nec ex ignoratione litorum terrarumque ortus nos alio, quam quo tendebamus, abduxit; v. 2, 737.| 218. *Extr. Ol.*, ab orientali parte caeli.| 219. Stemma: Iuppiter, Dardanus, Laomedon, Priamus.| 220. v .10, 350.| 225. *refuso*, *ἀψορρόῳ*, terras ambiente et in se ipsum redeunte.| 226. *Oceano* est Ablativus loci: si quem litora Oceani habitantem *cet.*; similiter vs. 140 „duplices Caeloque Ereboque parentes," qui sunt in Caelo, Erebo; vs. 269. *monstra caelo*, i. e. ostenta de caelo s. a diis missa; *aurum collo* vs. 351, adde 450. *Epiro*, *Hesperia* 3, 503. 8, 419. *flumine*, ad flumen, 8, 610. — Ceterum v. E. 10, 13.| 227. Iunge: *in medio quattuor plagarum*, et cf. G. 1, 233 sqq.| 230. *Innoc.*, quod sine molestia et periculo aliorum teneamus.| 234 sq. - Cic. Ep. ad Div. 7, 5, 11

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor; quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
  Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentis
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,

omen e., fausti principii loco erat. — *erát: h.*, v. E. 1, 39.| 175. *ar. c.*, facto sacrificio.| 176. *Perpet.*, recta linea continuatis. — *consid.:* Antiquitus Romani sedentes epulabantur.| 178. *cedro* ; *It.*, v. E. 10, 13.| 179. cum falce vinitoria in basi eius simulcari.| 181. *Vestibulum*, v. 2, 469. — *adstab.*, v. 1, 152. — Verbis *ab origine* videntur reges Aboriginum significari, v. 11, 603 et infra vs. 203.| 182. Alii *Martia qui.*| 183. v. 2, 504. — *sacris*, cf. vs. 172—174. 192.| 184. s e c u r i s agrestium Italorum telum, ab Homero inter belli instrumenta semel commemoratum ἐν τῇ περὶ ναυσὶ μάχῃ, cf. Il. 13, 612. 15, 711.| 186. *Spiculaqué*, v. E. 4, 51.| 187. *Ipse*, v. 2, 394. — *Quir. lituo*, Ablativus habitum significans, ut 11, 711 „*E n s e* pedes *n u d o;*“ i. e. instructus lituo, ense. — l i t u u s, qui erat augurum, insigne Romuli in deos relati seu Quirini; t r a b e a communis veterum regum ornatus.| 189. *coniunx*, i. q. amans, v. E. 8, 18.| 190. *Aurea*, v. 1, 698.| 191. Picus in avem picum mutatus, Ovid. Met. 14, 320—396.|| 195—285. *Placida oratio Latini. Ad eam respondet Ilioneus; exponit, quid petentes veniant, traditque munera. Promittit Latinus benigne, quod petitur, ultroque Aeneae offert Laviniam in matrimonium. Peracta legatione Troiani muneribus ornati redeunt.*| 196. *auditi*, fama noti.| 203. *h. vinclo n. leg. ae.*, nulla legum aut alia necessitate iustitiam colentem, v. G. 1, 173. — Hi sunt Aborigines illi, de quibus Sall. Cat. c. 6 „genus hominum

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat; et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiemps vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit;
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis tantique abolescet gratia facti,
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis:

agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.“ | 204. *se tenent.*, vitam suam moderantem, *vet. dei more*, more a Saturno instituto, cf. Ovid. Met. 1, 89 sqq. | 206. Auruncis imperasse Latinum intelligitur ex 11, 316—19. | 209. v. E. 1, 54. — Corythus, Cortona Etruriae, cf. 3, 170. — *Hinc ab sede Tyrrh.*, v. E. 1, 54. | 211. numerum altaribus deorum addit, quia et ipsi altaria instituuntur, ut deo. — Alii *altar. auget.* | 215. nullus error nec in observandis sideribus admissus, nec ex ignoratione litorum terrarumque ortus nos alio, quam quo tendebamus, abduxit; v. 2, 737. | 218. *Extr. Ol.*, ab orientali parte caeli. | 219. Stemma: Iuppiter, Dardanus, Laomedon, Priamus. | 220. v. 10, 350. | 225. *refuso*, *ἀψορρόῳ*, terras ambiente et in se ipsum redeunte. | 226. *Oceano* est Ablativus loci: si quem litora Oceani habitantem *cet.*; similiter vs. 140 „duplices Caeloque Ereboque parentes,“ qui sunt in Caelo, Erebo; vs. 269. *monstra caelo*, i. e. ostenta de caelo s. a diis missa; *aurum collo* vs. 351, adde 450. *Epiro*, *Hesperia* 3, 503. 8, 419. *flumine*, ad flumen, 8, 610. — Ceterum v. E. 10, 13. | 227. Iunge: *in medio quattuor plagarum*, et cf. G. 1, 233 sqq. | 230. *Innoc.*, quod sine molestia et periculo aliorum teneamus. | 234 sq. Cic. Ep. ad Div. 7, 5, 11

Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos,
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densae — mirabile dictu —
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem, et pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis
Et iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa, nefas, longis conprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quae maxuma sacro
Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos
Cum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti

Oceanus, et v. 6, 844. — *reg. c.*, Amata coniux Latini.| 57. *proper.*, valde studebat, ut vs. 264.| 59. *tecti med.*, v. 4, 494 et cf. Tibull. 3, 3, 15. — *penetr. altis*, quae altis parietibus inclusa sunt.| 60. *Sacra c.*, ergo intactis frondibus.| 61. *pr. c. c. a.*, cum primum arcem (Laurentum) conderet, v. G. 3, 130.| 63. *Laurentis* Accusat. Plur., v. G. 1, 137. — *et ab ea*, et a qua; Cic. Orat. 3 „species pulchritudinis eximia quaedam, *quam* intuens *in eaque* defixus“ *cet.*| 67. *subitum*, id quod, maxime in re mira, repente ac praeter exspectationem accidit. — Uva ab apibus facta dirum ostentum existimatur, Plin. N. H. 11, 18, 55, similiterque examen apum in foro visum hostium adventum portendit ap. Liv. 24, 10.| 69. *part. easdem*, urbem ac regiam Latini.| 70. *Part. ex isd.*, a partibus maris inferi.| 71. *cast. taed.* Plin. N. H. 16, 19, 44 „taeda, flammis ac lumini sacrorum grata.“ — *adolet* genitor, Latinus.| 74. *ornatum* capitis; et v. 1, 713.| 75. v. E. 4, 6.| 77. *tectis*, v. 2, 512.| 78. v. G. 2, 441.| 83 sq. *Albunea* silva cum fonte aquae sulfureae hodie *Acqua solforata d' Altieri* dicto; huic silvae in montibus sitae, *altae*, subiacebat lucus iste Fauno sacer; cf. 8, 599. — *opaca*, quae opacat, ut 6, 673 „lucis habitamus opacis;“ nec praeter rationem adiectum esse hoc epitheton docet Servius „mephitis ... de aquis nascitur

Pellibus incubuit stratis somnosque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi venient generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos non ipse suo premit ore Latinus,
Sed circum late volitans iam Fama per urbes
Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.
    Aeneas primique duces et pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris altae,
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis, — sic Iuppiter ille monebat —
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi
Et violare manu malisque audacibus orbem

sulphuratis et est in nemoribus gravior ex densitate silvarum.“| 88. *incubuit*, unde incubatio, *ἐγκοίμησις*, dicta est haec ratio petendi oracula.| 91. *Acher.*, deos inferos et Manes. — *Avernis*, v. 6, 126.| 95. v. 3, 40.| 97. *paratis*, cf. vs. 56 sq.| 98. *generi*, aliquis gener futurus, v. 6, 322. — Alii *veniunt.*| 99. *quor. ab st. n.*, et qui ab horum stirpe nascentur nepotes.| 100. *sub ped.*, sumtum hoc ab illa imagine, quae victores cervicibus victi pedem imponentes repraesentat, cf. G. 2, 492. Ovid. Trist. 3, 12, 48. — *recurrens* ad quotidianum iter faciendum, ergo et oriens et occidens.| 101. *verti*, Cic. Act. Verr. 1, 7 „Omnia in unius potestate ac moderatione *vertentur*.“ Ceterum cf. vs. 258.| 103 sq. *non* — *Sed*: adversative elocutus est poeta, quod copulative dici solet: nec Latinus premit, et Fama iam tulerat.|| 107—147. *Comesarum mensarum ostentum docet Troianos venisse ad sedem sibi destinatam.*| 110. *ille*, hoc Pronomine admonemur rei praeteritae: pertinebat ista res ad illud, quod Iuppiter olim, ut meminimus, monebat sive futurum esse praedixerat per Harpyiam 3, 255—257. Terent. Phorm. 2, 1, 32 „Lenem patrem *illum* factum me esse acerrimum.“ Atque in iis comparationibus, quae referuntur ad quandam rerum praeteritarum memoriam, ut adverbio *olim* utitur poeta, 8, 391. G. 4, 433, ita, sed cum quadam vi monstrandi, pronomine *ille* 10, 707. 11, 809.| 111. *aug.*, cumulant, tamquam mensas.| 114. Totum hoc habet comicum quiddam, id quod ipse poeta indicat per verbum *alludens* vs. 117, et, tamquam sacrilegium commissum esset, gravibus utitur et in ea re propriis verbis *violare* et *audax* (Tibull. 3, 5, 8); mensae autem sacrae habitae a veteribus; Donatus fere sic

Troia viros? medias acies mediosque per ignis
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptae in Teucros vires caelique marisque.
Quid syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Inmanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem inplorare quod usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lavinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coeant mercede suorum.
Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignis enixa iugalis;
Quin idem Veneri partus suus et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.
    Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;

maxime pertinentia. | 296. v. 1, 544. | 297. Pluralis *numina* ubi non ad plures deos, sed ad unum pertinet, significat aut variis rebus comprobatam, aut, ut hic et vs. 310, imprimis magnam et insignem eius dei potentiam. | 299. Non est ita, sed ausa sum etiam *cet.* | 302. *syrtes*, cf. 1, 111. | 304. Servius „Pirithous Lapitharum rex cum uxorem deduceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, et deos omnes excepto Marte ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri et Lapithae in bella venerunt.“ | 305. v. 2, 242. — *conc. in iras*, conc. ulciscendam. | 306. cf. Hom. Il. 9, 529 sqq. Ovid. Met. 8, 270 sqq. — *antiquam*, Plin. Ep. 8, 24 „reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra est.“ | 307. *scelus merere*, scelus in se admittere; Terent. 5, 8, 25 „esse in hac re culpam meritam non nego.“ | 309. *potui*, sustinui, v. G. 3, 453. — *me in omnia verti*, omnes quasi personas nocendique partes suscepi ad istos perdendos. | 314. *inm. man. fat. L. coni.*, immutabili fato decreta Aeneae est coniux Lav.; proprie ipsa fata dicuntur immota, ut 1, 257. | 317. *coeant*, foedere et matrimonio Aeneae et Laviniae coniungantur. | 319. cf. 4, 166. — *face praegnans*, cf. Ovid. Heroid. 16, 43—49. Cic. de Divin. 1, 21. | 320 sqq. *Cisseis*, v. 5, 537. — Non sola Hecuba enixa est ignes iugales, i. e. peperit in matrimonio filium, qui incendium Asiae erat futurus (Ovid. l. l. vs. 49), sed etiam Veneri filius suus similis *(idem)* erit ignis alterque Paris, fax funesta renascenti patriae, cf.

Advenisse diem, quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.
    Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et finis et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnis,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora, festinant iussi rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Cum praevectus equo longaevi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Inperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,

augurium; Hom. Od. 20, 103 sq. — *clarus*, serenus, i. e. caelo sereno.| 145. *debita*, cf. v. 120.| 146. *instaurare epulas* est rursus epulari rei sacrae causa, v. 4, 63. — *omine*, cf. vs. 141.| 147. *v. cor.*, v. G. 2, 528.|| 148—194. *Explorantur vicina. Mittuntur centum legati ad regem Latinum. Regia Pici.*| 148. v. G. 3, 130.| 149. *urbem*, Laurentum.| 150. *div.*, cf. vs. 132. — Numicius rivulus ex stagno profluens.| 151. *habitare* sc. resciscunt, v. vs. 256. 5[illegible]8.| 15[illegible]. *ord. ab o.* Servius „ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur."| 154. *ramis velatos*, ramos vittatos manibus gerentes, cf. vs. 237. 8, 116. 128. 11, 101. 332. — *Pall.*, cf. G. 1, 18.| 157. *fossa*, proprie sulco, v. 1, 425 et 5, 755.| 158. *Mol. loc.*, aedificia in eo exstruit, cf. vs. 290. — *primas:* primum quidem, quod condidit Aeneas, oppidum Troia appellatum; deinde Lavinium est ab eodem conditum; cf. Liv. 1, 1.| 160. *Iamque ... Cum*, v. 5, 762. — Alii *Latini.*| 164. *lenta,* ex lenta (id est h. l. difficili ad flectendum, dura firmaque) materie facta, qualis est corni, myrti, cf. 9, 698. G. 2, 447 sq.| 165. *que ... que*, v. 1, 701. — *lacess.*, ad certandum provocant. — *ictu*, iaculatione.| 167. *in v.*, v. 5, 179. — *rep.*, v. 3, 717.| 169. *medius*, sive i. q. *aulai medio* 3, 354. sive medius inter adstantes assidentesve amicos, ut 11, 237.| 171. *Urbe summa, ἐν τῇ ἀκροπόλει.*| 173. *fasces* praeferendos novo regi.| 174.

Coniicit inque sinum praecordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestes et levia pectora lapsus,
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem
Vipeream inspirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertemptat sensus atque ossibus inplicat ignem
Necdum animus toto percepit pectore flammam,
Mollius, et solito matrum de more, locuta est,
Multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret gnataeque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine praedo?
An non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes?
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum
Et consanguineo totiens data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te iussa parentis,
Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.
His ubi nequiquam dictis experta Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat,

347. *in sinum*, cui respondet, quod vs. 349 legitur, *inter vestes et pectora;* et ita labitur ad praecordia, „loca cordi vicina, ut ait Servius, quibus percipitur sensus.“ | 350 sq. *fall. f. Vip. insp. an.*, i. e. clam inspirat furenti animam vip., *ἔλαθεν αὐτὴν πνεῦμα ὀφιόνεον εἰαπνέων*, Eurip. Heracl. 339 „*μὴ λάθῃ με προσπεσών*.“ Horat. Ep. 1, 17, 10 „Nec vixit male, qui *natus moriensque fefellit*.“ | 351. vs. 753 „graviter spirantibus hydris.“ — *collo*, v. vs. 226. | 352. „*taenia* est vittarum extremitas“ Servius. — *vittae*, v. vs. 403. | 354. *prima ... veneno*, pestis primo furtim se in corpus insinuans udo veneno, i. e. udo halitu venenatae viperae. | 355. v. 1, 660. | 359. v. E. 3, 7. | 361. *primo*, ubi primum flare aquilo (ventus ab Italia solventibus secundus) coeperit. | 363. Alii *At non sic:* quasi non simili modo Spartam venerit Paris; et *at* particula apta est ironiae, sarcasmo et irrisioni. — Per Praesens, *penetrat*, res praeterita ita in memoriam revocatur, ut quasi nunc geri fierique videatur. | 365. *Quid tua fides?* nulla iam est. | 366. *consangu.*, est enim filius Veniliae, sororis Amatae. | 367. *Latinis*, ut 11, 472 „generumque adsciverit *urbi*,“ nempe ut consortem imperii, et cf. supra vs. 255—57. | 368. *premunt*, urgent. | 372. cf. vs. 409—411 et v. vs. 56. Argivi reges, ex quibus unus erat Acrisius, pater Danaes, genus ducebant ab Inacho. — *mediae M.*, ergo ex media (cui nihil cum Italia commune) Argolide repetit Turnus originem; Mycenae et

Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Inmensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque ferocis.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Maius adorta nefas maioremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur,
Euoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum
Vociferans: etenim mollis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quaerere tecta;
Deseruere domos, ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera conplent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas;
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem, torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae:
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet,

Argi saepe a poetis confunduntur, utraque urbs Argolidis.| 376. *monstra* h. l. sunt terrores et phantasmata animo Amatae obiecta.| 377. *Immensam*, modestius *totam* dixit 4, 300; fingit scilicet immensam Romaeque, qualis ipsius aetate fuit, similiorem facit, quo latius pateat spatium huic furori Amatae. — *sine more*, *ἀκόσμως*.| 378. *sub v.*, Callim. Ep. 1, 9 sq.: „*ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες ἔστρεφον.*“ Herod. 7, 56 „*Ξέρξης ἐθηεῖτο τὸν στρατὸν ὑπὸ μαστίγων διαβαίνοντα.*“| 379. *circ. atria*, per atria huc et illuc.| 381. *inscia*, quid sit, quod ita in gyrum turbo vertatur. — *supra*, designantur pueri turbini intenti seque supra eum inclinantes.| 383. *dant* turbini *animos*, motum concitatiorem.| 385 sqq. simulat se Bacchi vi ac potentia correptam id agere, ut filiam orgiis initiet.| 388. *taedas* iugales, v. E. 8, 29.| 390. *Vociferatur* filiam *tibi*, in tuum honorem, *molles*, pampinis vestitos, *s. th.* v. vs. 396.| 391. *Te lustr. ch.*, choros circum te, tamquam praesentem, ducere. — *pascit crinem*, qui eum non resecat; in sacris Bacchicis coma promissa et soluta habebatur.| 393. *nova tecta*, puta silvas.| 394. *vent. d. c. c.*, Maenadum modo, cf. vs. 403.| 395. Dum *aliae tr. ul. aeth.* complent, *Ipsa* (vs. 397) Amata pinum sustinet.| 396. *Pamp. hastas*, v. E. 5, 31. — *pell.*, nebride.| 397. *pinum*, facem pineam.| 398. *canit h.*, v. E. 1, 39. Ceterum aut verum consilium nunc aperit Amata, diversum ab eo, quod ante (vs. 389) simulavit, aut expressa sunt his verbis, ut statuit Servius, signa mentis alienatae; et fictum principio (vs. 385) furorem Bacchicum deinde conversum esse in verum probat vs. 405.| 399. cf. cf. 4, 643. — *torv.*, torva voce, ut „torvo tonitru“ apud Attium.| 402. *si iur. mat. c. rem.*: admonet eas, quid ipsis communicato cum Troianis connubio spe-

Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.
Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini,
Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundasse colonis,
Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis; et nunc magnum tenet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra
Exuit; in voltus sese transformat anilis
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos
Cum vitta crinis; tum ramum innectit olivae;
Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos;
Et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.
I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida cum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare age et armari pubem portisque moveri
Laetus in arma iube, et Phrygios, qui flumine pulchro
Consedere, duces pictasque exure carinas.
Caelestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium et dicto parere fatetur,
Sentiat et tandem Turnum experiatur in armis.

randum sit; v. vs. 334.| 403. Vitta ornamentum matronale et insigne muliebris pudoris.| 404. *Talem*, v. 4, 494.| 405. *undique* explicant „ex alio loco in alium;“ nescio an verius interpreteris „ab omni parte animi ab ea obsessi,“ quo ducit illud *totamque pererrat* vs. 375; planius dixeris: stimulis ad omnem partem animi admotis.|| 406—474. *Ardeam delata Allecto Turni animum perturbat et ad bellum inflammat.*| 406. *primos* respondet voci *principio* vs. 342 et simplex sententia horum verborum haec est: Contenta hoc principio se confert Ardeam.| 410. v. vs. 372.| 412. *tenet*, alii *manet*.| 413. *fuit*, cf. 2, 325. Ardea olim florens opibus (Liv. 1, 57) Virgilii aetate solo aequata erat.| 418. *ram. inn. ol.*, tamquam sacerdos, v. G. 3, 21.| 419. *anus sacerd.*, ut *cerva anus* Ovid. A. A. 1, 766; *anus testa* apud Martial. 1, 106, 4. — *Iunonis templique*, v. 2, 319.| 423. *sanguine*, ergo bella gesserat pro Latino, quod comprobant vss. 425 sq. — *dotes*, cf. 11, 369.| 425. *ingratis*, quorum nulla est gratia sive merces.| 427. *H. adeo*, v. 4, 533.| 430. *L. in arma*, in pugnam.| 431. exure naves cum vectoribus, v. vs. 237. — *pict.*, v. 5, 663.| 432. *Cael. vis m.*, magnum aliquod numen, Iuno.| 433. *dicto par. fat.*, promissis satisfacere se velle profitetur, cf. vs. 366.| 434. Valer. Fl. 4, 745 „Nos quoque, nos

Hic iuvenis, vatem inridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classis invectas Thybridis undam
Non, ut rere, meas effugit nuntius auris;
Ne tantos mihi finge metus; nec regia Iuno
Inmemor est nostri;
Sed te victa situ verique effeta senectus,
O mater, curis nequiquam exercet et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divom effigies et templa tueri,
Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda.
Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At iuveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi: tot Erinys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit; tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Reppulit, et geminos erexit crinibus anguis,
Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem iuveni coniecit et atro
Lumine fumantis fixit sub pectore taedas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit;
Saevit amor ferri et scelerata insania belli,
Ira super: magno veluti cum flamma sonore

Amycum ... *Sensimus.*" — *in arm.*, v. 5, 440. | 435 sq. *orsa* verba, oratio; *sic orsa refert*, tali oratione respondet. | 436. Alii *Thybr. alveo*, cf. 8, 714 sq. | 436—440. Hoc dicit Turnus „Novi, quod narras de classe Tiberim ingressa; non est ea res tam terribilis, quam tu fingis. Illud etiam scio, me Iunoni, cuius te nuntiam esse iactas, curae esse; sed" *cet.* | 440. *situs* proprie significat squalorem ex diuturno neglectu contractum; inde transfertur ad vitia animi sive desidia sive diuturnitáte vitae obtusi, in quibus est vana quaedam sollicitudo. — *effeta est* proprie, quae peperit, tum quae vires pariendo amisit; quare maxime vetulae dicuntur effetae; *veri effeta*, quae senectutis vitio vim veri videndi amisit; et cf. 10, 630. | 441. Iunge *inter arma regum;* ergo in rebus, quae regibus curandae sunt, non tibi. | 444. v. 1, 426. Sallust. Iug. 46 „*pacem* an *bellum gerens* perniciosior esset." — Alii *gerent.* — Ceterum cf. Hom. Il. 5, 428—30. 6, 490—93. | 446. *oranti*, loquenti. | 447. *tot*, v. E. 1, 12. | 450. *crinibus*, in fronte, v. vs. 226. — Furiae in multis antiquae artis operibus ita effictae visuntur, ut capillum anguineum serpentibus, tamquam vitta, in fronte in nodum collectis habeant redimitum; ex eo nodo prominent bini vel plures serpentes; tales sunt, quos hic erigit Allecto; cf. Lucan. 9, 634. | 451. *V. inson.*, fecit flagellum resonare, increpuit flagello; cf. 6, 570. | 454. *Resp.*, v. 2, 615. | 456. *facem*, cf. 6, 607; existimanda igitur Allecto una manu flagellum, altera facem gessisse. — *iuveni*, v. vs. 346. — *atro*, v. 6, 593. | 459. v. G. 3, 272. | 460. *toro*, cf. 6, 524. | 461. *ins.*, insana cupiditas. | 462. *super*, sive Praepositio est, sive Adver-

Virgea suggeritur costis undantis aeni
Exsultantque aestu latices; furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
Nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis iuvenum et iubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem;
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae movet atque iuventae,
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet,
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis.
Arte nova speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus,
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit et noto naris contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent; quae prima laborum
Caussa fuit belloque animos accendit agrestis.
Cervus erat forma praestanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta et late custodia credita campi.
Adsuetum inperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens mensaeque adsuetus herili

bium, interdum refertur ad insignem aliquam accessionem, ut infra vs. 803. 1, 29. 8, 303. 9, 283. 11, 226. Ad insanum istum belli amorem Turno iniectum accedebat etiam maius irritamentum, summa ira ex amissione sperati coniugii nata. — Cum comparatione, quae sequitur, cf. Hom. Il. 21, 362 sqq.| 463. *Virgea flamma*, *stuppea* 8, 694, *pineus ardor* 11, 786, ut *lux aena* 2, 470, *viridis* et *saxea umbra* E. 9, 20 et G. 3, 145. *ater odor* 12, 591.| 465. *amnis*, ut 12, 417.| 467. v. 5, 6.| 470. Se satis valere unum adversus utrosque, cf. 8, 447 sq. Silius It. 7, 63 „Quod *(quantum)* tibi sit Libyaeque satis, certaverit unus.“ et v. 4, 629.| 471. v. 5, 234.| 472 sqq. Rutuli se acuunt ad bellum, alii pulchritudine Turni, alii nobilitate eius aut virtutis fama ducti.|| 475—571. *Inde Troianos petit Allecto obiicitque Ascanio venanti cervum mansuetum, delicias Tyrrhi, regii armentarii, eiusque liberorum. Quo confixo concurrunt agrestes undique impetumque in Troianos faciunt. Ita conflato bello, caesis in pugna Almone, filio Tyrrhi natu maximo, ac sene Galaeso, homine divitiis iustitiaque inter populares suos florente, redit Allecto iubente Iunone eo, unde excita erat.*| 477. *Arte nova speculata est locum ... et rabiem canibus obiicit.* Itaque explicatius hoc sic dices: Utitur illa alia fraude; speculatur enim locum *cet.* et rabiem canibus obiicit.| 478. *Insidiis*, cf. G. 3, 371 sq.| 481 sq. Hom. Il. 22, 116 „ἥτ' ἔπλετο νείκεος ἀρχή.“| 482. *agr.*, cf. vs. 504.| 484. *Tyrrhidae*, v. 2, 82.| 485. *c. r. parent A.*, pastori armentorum reg., v. E. 8, 45.| 490. *manum*, i. e. manuum, v. 6, 653.|

Errabat silvis rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Commovere canes, fluvio cum forte secundo
Deflueret ripaque aestus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu;
Nec dextrae erranti deus afuit, actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque inploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat et duros conclamat agrestis.
Olli, pestis enim tacitis latet aspera silvis,
Inprovisi adsunt, hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis; quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans inmane securi.
At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream incendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus et silvae insonuere profundae;
Audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua fontesque Velini,
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua bucina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolae; nec non et Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis,
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late

492. *Ipse*, v. E. 4, 21. | 495. Cervus dum defluit, aestum levabat ut ipsius aquae frigore, ita umbrâ, qua ripa viridans fluvium obumbrabat. | 496. *Ipse etiam:* Non solum canes eum cervum excitarunt, sed *ipse etiam* Ascanius sagittâ petiit. | 498. *erranti*, i. e. inconstantem fugientis cervi cursum sequenti. — *deus*, Allecto, ait Servius; potius θεία τις τύχη. θεός, deus, *la divinité*, vis quaedam divina regens ea, quae non ad certum aliquem deum referuntur, cf. 11, 118. | 503. *prima*, cf. vs. 508 et 513. | 505. *pestis*, Allecto, quae istos stimulat. | 506 sq. cf. vs. 524. — *Inprovisi*, Troianis, multi contra paucos. | 508. cf. 1, 150. | 509. *coactis*, adactis. | 512. *ārduum stabulum* h. l. est tugurium pastoris ex more in altum apicem fastigatum. | 513. *cornu r.*, cf. vs. 519. | 516. *Triv. l.*, lacus Aricinus cum nemore et templo Dianae, nunc *lago di Nemi*. — Ceterum v. E. 4, 6. | 517. *albus*, quippe sulfure infectus. — *f. Vel.*, fluvius Velinus cum lacu cognomini. | 519. *ad. v.*, simulatque audita vox est, ut 3, 669. | 525. *ferro*

Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent
Sole lacessita et lucem sub nubila iactant:
Fluctus uti primo coepit cum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.
Hic iuvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maxumus, Almo,
Sternitur; haesit enim sub gutture volnus et udae
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert, iustissimus unus
Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit et primae commisit funera pugnae,
Deserit Hesperiam, et caeli conversa per auras
Iunonem victrix adfatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coeant et foedera iungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Iuno: Terrorum et fraudis abunde est:
Stant belli caussae; pugnatur comminus armis;
Quae fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia coniugia et talis celebrent hymenaeos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super aetherias errare licentius auras
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,

anc., bipennibus, ut ait Servius. — *ātră*, v. G. 1, 129.| 526. cf. Hom. Il. 13, 339.| 528. cf. Hom. Il. 4, 422 sqq. — *primo*, primum surgente, v. 1, 442.| 531. *prim. a. ac.*, ἐν προμάχοις.| 532. *fuerat:* Plusquamperfectum significat id, quod desiit esse; occisus iam desiit esse maximus; Cic. de Orat. 1, 7 „socer eius qui fuerat;“ et cf. 8, 358 | 533. *volnus*, res vulnus faciens, spiculum, cf. 2, 529. — *udae:* quia per udum iter emissa vox exit sonantior, propterea ipsa vocatur uda, quasi udum quid sonans.| 534. *ten. incl. vitam*, spiritum vitalem praeclusit.| 535. *que*, v. 9, 811.| 536. *medium*, mediatorem, ut loquuntur barbari. — Ceterum v. 2, 426.| 540. *aequo Marte:* Commisso praelio, nondum inclinante in alterutram partem victoria, abit Allecto.| 541. *Prom. pot.*, postquam effecit, quae promiserat. Valer. Fl. 6, 680 „*Incepti* iam Iuno *potens*.“ — *sangu. bell. imbuit*, caede initium belli fecit.| 543 sq. v. G. 4, 82.| 544. *victrix*, v. 2, 329.| 546. *Dic coëant*, nihil iam agas, si iubeas coire cet.| 554. *nov.*, v. E. 8, 29.| 557. *super*, v. 1, 680.| 559. si quid forte rerum agendum superest,

Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces;
Illa autem attollit stridentis anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis,
Nobilis et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles; densis hunc frondibus atrum
Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.
Hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces, quis condita Erinys,
Invisum numen, terras caelumque levabat.
    Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus caesosque reportant,
Almonem puerum foedatique ora Galaesi,
Inplorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine caedis et igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam: se limine pelli.
Tum, quorum attonitae Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis, — neque enim leve nomen Amatae, —
Undique collecti coeunt Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deum, perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini;
Ille velut pelagi rupes inmota resistit,
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quae sese, multis circum latrantibus undis,

iis ipsa praeero; v. E. 6, 6.| 563. *It. medio* in Hirpinis. Aliud est *in media*, aliud *media Italia*. Illud proprie medium, i. e. a finibus undique pariter distantem, locum indicat; hoc ita dicitur, ut omnino significetur locus ab eo, qui medius dicitur, inclusus; cf. G. 3, 466. A. 1, 314. 3, 73. 104. 354.| 565. Amsanctus lacus pestilenti odore.| 567. *Dat. s.*, v. 5, 276.| 568. *spirac. Ditis*, Plin. N. H. 2, 93 „Spiracula vocant Charoneas scrobes mortiferum spiritum exhalantes.“ — *saevi*, cf. vs. 84.| 569. *rupto*, prorumpente et per eas fauces exaestuante Acheronte.| 571. *levabat* Imperfectum spectat ad durantem effectum; ex eo enim tempore lubens sentiebat terra caelumque se levatum eo monstro.|| 572—640. *Turba agrestis caesum Almonem Galaesumque in urbem portat. Cum ea Turnus, Amata, Latini flagitant, ut bellum indicatur Latinis. Rex Latinus his fluctibus oppressus relinquit aliis arbitrium rerum. Iuno ipsa recludit portas Belli. Latium parat arma.*| 577. *in medio igni*, in medio irarum ardore agrestium scilicet opem implorantium, cf. 9, 66.| 578. v. vs. 151.| 579. *Phrygiam*, mollem scilicet habitam admisceri forti generi Latinorum, cf. vs. 151.| 580. *matres*, matronae, coniuges Latinorum, ut v. 392.| 581. *neq. e. l. n. Am.*, coëunt igitur gratificaturi Amatae.| 582. *M. fat.*, proprie fatigant Latinum clamoribus ac precibus bellum poscentes.| 583. *contra o.*, cf. vs. 64 sqq.| 584. *Contra f. d.*, cf. vs. 96 sqq. — *perv. num.*, quasi pervertentes, susque deque

Mole tenet; scopuli nequiquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique inlisa refunditur alga.
Verum ubi nulla datur caecum exsuperare potestas
Consilium, et saevae nutu Iunonis eunt res,
Multa deos aurasque pater testatus inanis,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Saepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
    Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxuma rerum
Roma colit, cum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa:
Sunt geminae Belli portae, sic nomine dicunt,
Religione sacrae et saevi formidine Martis;
Centum aerei claudunt vectes aeternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus;
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More iubebatur tristisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater aversusque refugit
Foeda ministeria et caecis se condidit umbris.

habentes, imperium deorum. | 589. v. 10, 771. | 590. *lat. inl. ref. a.*, i. q. refunditur et inliditur lateri; *refunditur*, ex imo mari excitata funditur in latus rupis, v. G. 2, 29. | 593. *auras*, caelum. — *inanes*, v. G. 4, 196. | 594. *fatis*, quae perditum eunt salutaria, quae cepi, consilia. | 595. *sacrilegi* Latini, cf. vs. 583 sq. — *has poen.*, huius sceleris p., v. 2, 171. | 596. *nefas*, v. 2, 229. | 598. Consolatur se Latinus mortis propinquitate: Te, Turne, manebit poena, non me; nam mihi parta q. — *omn. in l. p.*, securitas omnis mihi in promtu est. | 599. *felici*, i. e. tali, quale ducitur ei, qui in felicitate moritur. | 601. *Mos* secundum Livium 1, 19 a Numa institutus, secundum Virgilium ab Albanis acceptus. — *protinus*, ex quo semel constitutus est hic mos. | 602. *rerum*, v. G. 2, 534. | 603. *prima*, v. G. 3, 130. | 604—6. Pertinent haec ad expeditiones ab Augusto susceptas. | 607. Est aedes Belli binis portis instructa. | 609. *aerei*, v. 1, 698. | 610. *robur* de re durissima firmissimaque, ut ap. Lucret. 2, 449, *robur saxi* ap. eund. 1, 881. | 612. *Quir. tr.*, v. vs. 187. — *cinctu G.*, a Gabiis translato et in sacris servato. Servius „toga sic in tergum reiecta, ut ima eius lacinia a tergo revocata hominem cingat, simul caput tegat et ambiat.“ | 614. *voc. p.*, vocat veniant. — *sequitur:* Consul solebat dicere „Qui rempublicam

Tum regina deum caelo delapsa morantis
Inpulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rumpit Saturnia postis.
Ardet inexcita Ausonia atque inmobilis ante;
Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
Pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt.
Pars levis clipeos et spicula lucida tergent
Arvina pingui, subiguntque in cote secures;
Signaque ferre iuvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnae positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens Tiburque superbum,
Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum cratis; alii thoracas aenos
Aut levis ocreas lento ducunt argento;
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica iamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementis
Ad iuga cogit equos; clipeumque auroque trilicem
Loricam induitur fidoque accingitur ense.
    Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Qui bello acciti reges, quae quemque secutae
Conplerint campos acies, quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis;
Et meministis enim, divae, et memorare potestis;
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

salvam esse vult, me *sequatur;*“ et v. 8, 1.| 623. cf. vs. 45 sq. et v. G. 2, 441.| 624. *pars arduus*, 5, 108 „pars et certare parati.“| 625. *Pulv. furit*, ita rapido impetu fertur, ut oppleatur moto pulvere.| 626. *lucida*, ut fiant lucida, v. 4, 298, itemque clipei; nam levitas gignit nitorem. — *Pars tergent* ... *subiguntque* v. E. 1, 66.| 629. Neque solum singuli, sed totae adeo urbes incensae sunt eodem studio; v. 4, 533.| 630. Tiburtes cum aliquando auxilium a Romanis petentes sua in illos beneficia iactarent, hoc responsum feruntur a senatu accepisse: Superbi estis. Propterea Tibur h. l. superbum appellari statuit Servius.| 631. v. E. 2, 24.| 637 *tessera*, *σύνθημα* (*Felicitas* Hirt. de bello Afric. c. 83, *Libertas*, *cet.*), *it*, diditur, *signum bello*, quo signo cognoscerent se inter se milites et ab hostibus distinguerent. Sed hoc loco alterum genus tesserae significari videtur, quo mandata ducum ad milites referebantur.| 638 sqq. Donatus „Post classicorum sonum postque nuntium tesserae maior animorum fervor exstiterat.“| 639. v. 3, 467.|| 641—817. *Homeri exemplo* (Il. 2, 484 sqq.) *poeta invocatis ante in re tam obscura Musis recenset copias cum suis quasque ducibus adversus hostem exeuntes.*| 641. Iubentur Musae apertis templi in Helicone sacrati foribus prodire ad canendum. — movere dicitur carmen, cuius ex ore carmen prodire incipit; Ovid. Met. 14, 20 „carmen ore move sacro,“ et supra ipse Virgil. 1, 262 „fatorum arcana movebo.“| 644. *quib. ars. a.*, quam ardentes et strenuos in armis viros habuerit.| 645. *Et* ... *enim* per tmesin pro *etenim.*| 646. comparatur tenuitas

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor divom Mezentius agminaque armat.
Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equum domitor debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequiquam ex urbe secutos
Mille viros, dignus, patriis qui laetior esset
Inperiis, et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus, clipeoque insigne paternum
Centum anguis cinctamque gerit serpentibus Hydram;
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor
Geryone exstincto Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.
Pila manu saevosque gerunt in bella dolones,
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipse pedes, tegumen torquens inmane leonis,
Terribili inpexum saeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat,
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus,
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur:
Ceu duo nubigenae cum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem

famae cum tenuitate allabentis aurae. | 647. *Tyrrh. ab oris*, oriundus ex Etruria, cf. 8, 478—493 et v. G. 3, 2. | 648. *Cont. div.* Cato narrat Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant. | 649. cf. Hom. Il. 2, 673 sqq. | 652. Agylla, postea Caere dicta. — *nequiq. sec.*, quippe frustra ei adfuturos in pugna cadenti. | 653. *patr. q. laet. e. inp.*, qui non amisisset spem regni propter tyrannidem patris. | 653 sq. *esset* non sine vi eadem sede iteratum, ut *fuisset* 8, 396 sq., Ovid. Tr. 1, 3, 61 sq. „Scythia est, quo mittimur, inquam; Roma relinquenda est; utraque iusta mora est.“ et in idem verbum quinque cola exeunt ap. Cic. pr. Mil. 10. | 655. *ins. p. curr.*, *ἀθλοφόρον*, qui tum scilicet est ostentui tantum, nam pedibus (vs. 666) subit regiam. | 658. i. e. Hydram centum serpentibus cinctam. | 660. *Furt.*, cf. 4, 171 sq. | 661. *μιγεῖσα θεῷ*, cf. Hom. Il. 21, 143. | 663. *Tyrrh. flum.*, cf. vs. 242. | 664. „Pilum haud paulo quam hasta vehementius ictu missuque telum“ Liv. 9, 19. | 665. *Sab.*, ipsi igitur, quos ducit Aventinus, Sabelli videntur fuisse. | 666. *torqu.*, v. 8, 460. | 668. *sic*, v. 1, 225: cinctus pelle leonina rictumque eius pellis pro galea indutus (cf. 11, 680 sq.), *sic*, i. e. tali sive, ut ipse poeta proximo versu interpretatur, ita horrido habitu, patrem Herculem imitatus, subibat tecta. | 672. *Cat.* et *Coras* (cum Tiburto) Amphiarai, qui bello Thebano a terra haustus periit, filii. | 674. *nubig.*, cf. 8, 293. | 675. Homole, Othrys, montes Thessaliae. |

Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens
Silva locum et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. Hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Iunonis gelidumque Anienem et roscida rivis
Hernica saxa colunt; quos dives Anagnia pascit,
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusve sonant; pars maxuma glandes
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Iam pridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant aequati numero, regemque canebant:

677. *Silva:* dum ramuli arborum prominentes impetu cursus franguntur.| 678—80. „Mater enixa Caeculum iuxta templum Iovis exposuit, quem virgines aquatum euntes iuxta ignem (in foco s. ara Iovis accensum puta) inventum sustulerunt; unde Vulcani dictus est filius, Caeculus autem ideo, quod oculis exiguis fuit. Hic postea collecta multitudine Praenestinam civitatem in montibus (vs. 682) condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitasset, coepit eos hortari, ut secum habitarent, et pro gloria iactare se filium esse Vulcani. Quod cum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium suum comprobaret, omnis illius multitudinis coetus est flamma circumdatus. Quo facto omnes Vulcani filium esse crediderunt. Hinc est ‚omnis quem credidit aetas‘ quasi post dubitationem.“ Haec Servius, auctorem secutus Catonem.| 682. *arva Gab. Iun.*, Servius „Gabini diu in agris morati tandem Gabios condiderunt; unde perite *arva* dixit, non *moenia*. Illic Iuno religiosissime colitur.“| 683. *Anienem*, regionem Anieni adiacentem, ut vs. 714 „Qui ... *flumen Himellae* ... colunt.“ Liv. 22, 20 „omnium populorum, qui *Iberum incolunt*.“ Eurip. Phoen. 125 „*Λερναῖα δ' οἰκεῖ νάματα*.“ et v. E. 7, 66.| 684. *H. s. c.*, significantur ipsi Hernici. — *dives*, cf. vs. 262 et Silius It. 12, 532 sq.| 690. vestigia (plantas) nuda statuunt s. ponunt, v. G. 1, 49.| 691. *At* habet vividum quiddam in transeundo ad alia enumeranda, ut G. 1, 401. 2, 447. 3, 87.| 692. *igni*, v. 10, 131.| 695. *Hi Fesc. ac. ... habent*, in his sunt Fescennini; sed belli ratione habita dixit *acies F.:* ceterum aliter habentur acies, aliter arces; est igitur hoc quoddam genus zeugmatis, v. 1, 426. — *Aequi Falisci* ab oppido Aequo Falisco dicti; hoc autem *Aequum* ex Osco *Aipo* translatum videtur, quod *altum* significat; *Aequos Fal.* igitur ab urbis in colle situ appellatos statuemus.| 697. Ciminus nomen et montis et lacus; hic quidem hodie appellatur Lago di Vico. — lucus Feroniae est in agro Capenate situs.| 698. *aequ. num.*, aequalibus ordinibus. — Silius It. 8, 422 sqq.

Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Cum sese e pastu referunt et longa canoros
Dant per colla modos; sonat amnis et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aeriam sed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors priscique Quirites,
Ereti manus omnis oliviferaeque Mutuscae;
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricae horrentis rupes montemque Severum
Casperiamque colunt Forulosque et flumen Himellae;
Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, et Hortinae classes populique Latini;
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Saevus ubi Orion hibernis conditur undis;
Vel cum sole novo densae torrentur aristae,
Aut Hermi campo, aut Lyciae flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum conterrita tellus.
Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hostis,
Curru iungit Halaesus equos, Turnoque ferocis
Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho

„Ibant et laeti pars Sancum voce canebant Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant, Sabe, tuas.“| 701. *Dant*, v. 5, 276. — *amnis*, Cayster, et v. G. 1, 383.| 702. v. E. 6, 84.| 703 sqq. Nec militum putes tantum quidem agmen, sed nubem migrantium avium, v. 6, 311.| 704. *Misceri* dicuntur, qui in acie congrediuntur ad pugnandum; *misceri ex agm. tanto*, breviter pro: explicari ex agm. t. et misceri cum hoste.| 707. de Clauso cf. Liv. 2, 16.| 710. *Quirites*, Curenses; *prisci*, quo distinguantur a Romanis, qui et ipsi postea dicti sunt Quirites.| 712. *Nomentum:* oblitus est poeta, quae supra scripsit 6, 773. — Ceterum v. vs. 517.| 713. *Severum*, Servius „proprium nomen montis est.“| 714. v. vs. 683.| 715. cf. Hom. Il. 2, 825.| 716. *Hortinae cl.*, Servius „Hortini equites, qui *classes* dicuntur; unde et eorum tubas classica dicimus, et partes populi classes vocamus.“ — *pop. Lat.*, ut Horta Etruriae est, ita etiam aliqua pars Latii videtur Clausi imperio fuisse subiecta.| 719. Apollon. Rh. 1, 1202 „*χειμερίη ὀλοοῖο δύσις πέλει Ὠρίωνος.*“| 720. Nulla prope in re plus sibi licere arbitrati sunt poetae, quam in variandis comparationibus. Legitima forma si h. l. uti velles, ita diceres: Vel quam multae aristae novo sole torrentur. Sed accommodavit poeta haec ad similitudinem praegressi enuntiati *ubi conditur*, multitudinis autem notionem expressit Adiectivo *densae*. — *sole novo*, novo s. primo aestu solis s. prima aestate.| 721. *Hermi*, v. G. 2, 137.| 722. v. 12, 445.| 723. *Hinc ... iung. equ.*, ex hac (alia) parte venit curru vectus. — *Agamemnonius*, vel filius, vel certe comes Agamemnonis, quo caeso ille in Italiam profugisse fertur.| 725. *rapit Turno*,

Massica qui rastris, et quos de collibus altis
Aurunci misere patres Sidicinaque iuxta
Aequora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Volturni, pariterque Saticulus asper
Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes illis
Tela; sed haec lento mos est aptare flagello.
Laevas cetra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret,
Iam senior; patriis sed non et filius arvis
Contentus late iam tum dicione premebat
Sarrastis populos et quae rigat aequora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent atque arva Celemnae,
Et quos maliferae despectant moenia Abellae,
Teutonico ritu soliti torquere cateias;
Tegmina quis capitum raptus de subere cortex,
Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,
Ufens, insignem fama et felicibus armis;
Horrida praecipue cui gens, adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glaebis.
Armati terram exercent, semperque recentis
Convectare iuvat praedas et vivere rapto.

raptim adducit.| 726. *Mass.*, v. G. 2, 143.| 727. Iunge *de collibus altis et iuxta aequora Sid.*, i. e. in montibus iuxta Sidicinum, campestre oppidum, habitantes, quos miserunt Aurunci.| 729. *mille populos* ... vs. 725. ... *accola ... Saticulus*, ut apud Aesch. Pers. 33 sqq. „*ἄλλους δ᾽ ὁ μέγας καὶ πολυθρέμμων Νεῖλος ἔπεμψεν· Σουσισκάνης ... Ἀρσάμης ... Ἀριόμαρδος,*“ puta: *veniunt* cum eo; et v. 10, 498.| 730. *aclydes*, iacula cubitum semis longa *(anderthalb Ellen lang)*, utrimque acuminata, cum loro *(flagello)*, quo retrahi possent emissa.| 731. *aptare*, v. 4, 482.| 732. *cetra*, Servius „scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani.“ — *comminus*, quibus utantur ad comminus pugnandum; et v. 1, 639.| 734. *Sebethis*, filia Sebethi fluvii ad Neapolim.| 735. *Teleboum*, v. 2, 242. Teleboae Acarnania pulsi Taphum, insulam maris Ionii, tenuerunt; inde pars eorum Capreas (hodie *Capri*, in sinu Neapolitano) transiit.| 736. *non et*: pater quidem contentus fuerat angustiore regno, sed filius non item.| 737. *premebat*, quippe invitos, cf. 1, 54. 10, 54 et v. vs. 368.| 738. *Sarrastis p.*, Sarni (*Sarri*) fluvii accolas. — *aequ.*, v. vs. 728.| 741. apposita, praegresso Accusativo, certa cum ratione interdum efferuntur per Nominativum; non commode enim dixeris *populos dicione premebat solitos torquere cateias*, quod illud *populos dicione premere* ad civile imperium, hoc *soliti torqu. cat.* ad bellum spectat; aut quis 10, 496 sqq. hoc ferat *rapiens caesam manum et thalamos cruentos?* — cateia, quo telo postea Teutones usi sunt, fuit longius genus hastae; pandam fuisse Silius docet 3, 277; puta sub cuspide exisse parvum ferrum reflexum, quo clipeus adversarii percussus attineretur.| 742. *rapi* saepe refertur ad celeritatem, itaque Servius „Bene *raptus*, quia *recens* suberis cortex in quamvis formam facile flectitur.“| 747. *gens Aequ. duris glaeb.*, cui ager est durus difficilisque aratu. Aequiculi ad utramque ripam Anienis habitarunt.| 748.

Quin et Marruvia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro,
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
Evaluit, neque eum iuvere in volnere cantus
Somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello,
Virbius, insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriae lucis humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercae
Occiderit patriasque explerit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas caeli venisse sub auras,
Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae.
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat,

Arm., cf. 9, 609 sq. | 750. *Marruvium* urbs Marsorum, Silius It. 8, 507. | 751. v. G. 1, 173 et 6, 230. | 752. A Marsya, duce Lydorum, ferunt Marsos nomen traxisse; hunc oppidum Archippen, post lacu Fucino haustum, condidisse. | 753 sqq. De hac Marsorum peritia Silius 8, 497 sqq „norat Marsica pubes Et bellare manu et chelydris cantare soporem Vipereumque herbis hebetare et carmine dentem. Aeetae prolem Anguitiam (*Medeam*) mala gramina primam Monstravisse (*iis*) ferunt tactuque domare venena.“ | 754. sparso papavere aut medicatis frugibus, 6, 420, tum adhibita incantatione sopire viperas, v. 1, 426. | 755. *Mulcebat* manuum contactu, Silius l. l. et 1, 411 sq. „Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr *tactu*que graves sopire chelydros.“ | 756. cf. 10, 544 sq. | 759. v. E. 1, 39. | 760. *lacus* alii praeter Fucinum. | 761. v. E. 2, 30. | 762. Notabile hic est, quod contra priscam consuetudinem pater (vs. 777) ac filius eodem Virbii nomine appellantur; nam quae paeterea eius rei exempla reperiuntur apud mythologos, ea nihil probant contra veram sinceramque antiquitatem. — *insignem* puta specie armorum. — *mater*, patria urbs, ut *Populonia mater* 10, 172. | 763. *circ. Lit.*, ad lacum Aricinum. | 764. *pinguis*, victimis abundans, *placabilis ara*, quia dea, cui sacra fiunt in ea ara, placabilis est; atque ita appellatur, quo distinguatur ab immani illa Taurica, ad quam hospites mactari solebant. | 765. *novercae*, Phaedrae. | 766. *explere* proprie dicimus iram, cui satisfacimus; explevit igitur patrias poenas Hippolytus eo, quod satis dedit irae patris Thesei poenas filio irrogantis. | 767 sq. *ad sidera ... auras*, i. e. revixisse, cf. vs. 771. 6, 719. 761 sq. | 769. v. 5, 269. — *Dianae*, quae, quasi patrona quaedam castitatis et pudicitiae, hanc veniam ab Aesculapio petiit. | 773. *Phoebig.*, Aesculapium. | 774. *Trivia*, v. vs. 516. | 775. cf. vs.

Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod litore currum
Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentis haud setius aequore campi
Exercebat equos curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram
Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis,
Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes
Auruncaeque manus, Rutuli veteresque Sicani
Et Sacranae acies et picti scuta Labici;
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere collis,

763 et v. G. 1, 173.| 779 sq. *everterunt* currum et *effuderunt* iuvenem, v. 1, 426.| 781. *haud set.*, nihilo minus.| 784. cf. Hom. Il. 3, 227.| 785. *Chim.*, Hom. Il. 6, 179 sqq. Hes. Th. 323 sq.| 786. *Aetnaeos*, tantos, quantos Aetna evomit, ergo omnino magnos; cf. Hom. Il. 5, 4. Portentosa ea res, cuius causa in eo cernitur, quod multo celerique motu incenduntur fulgores rerum radiantium.| 787. *Tam magis* ... *Quam m.*, cf. G. 3, 309. — *illa*, Chimaera, *fremens* ... *effera*: in descriptione rerum pro Verbis finitis interdum Participia vel Adiectiva ponuntur, ut G. 2, 133. 3, 505.| 789. *Io*, v. G. 3, 153. Praeclare hoc a poeta inventum; spectat enim hoc insigne ad originem Turni Argivam, v. vs. 56 et 372.| 791. *Argumentum* materia (Gallice *le sujet*), quam artifex effingendam sibi sumsit. Quintil. 5, 10, 9 „omnis ad scribendum destinata materia appellatur argumentum; nec mirum, cum id inter opifices quoque vulgatum sit; unde Virgilius *Argum. ingens.*“ Cic. Verr. 4, 56 „Ex ebore diligentissime perfecta *argumenta* erant in valvis.“ — *ingens*, magnificum.| 792. Finguntur dii fluviorum paulum reclinato corpore humi sedentes fontemque fluvii ex urna effundentes.| 793. νέφος πεζῶν Hom. Il. 4, 274.| 794. *Argiva*, v. vs. 409 sq.| 795. *Aur.*, Aurunci, qui cis Lirim habitabant; qui vs. 727 commemorantur, habitant trans Lirim. — *vet. Sic.*, Servius „bene veteres; nam ubi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani, quos postea pepulerunt Aborigines;“ et v. 8, 328.| 796. Sacranae acies pro Ardeatibus dictae videntur, quoniam sacra Cybeles a Sacranis suscepta habebant. Certe Sacranorum nomine sacerdotum fuit collegium in ea urbe, qui sacra Cybeles curabant. Ceterum de Sacranis Servius (non eundem, quem ad vs. superiorem, auctorem secutus) ad 11, 317 „Sicani a Liguribus pulsi sunt, Ligures a Sacranis, Sacrani ab Aboriginibus.“ — *picti sc.*, v. E. 3, 106. Labicum oppidum prope Tusculum.| 797. *sacrum*, quippe cui praesidet Numicius, cf. vs. 799 sq.; nam agros ipsis diis consecratos arare non

Circaeumque iugum, quis Iuppiter Anxurus arvis
Praesidet et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturae iacet atra palus, gelidusque per imas
Quaerit iter vallis atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentis aere catervas,
Bellatrix, non illa colo calathisve Minervae
Femineas adsueta manus, sed proelia virgo
Dura pati cursuque pedum praevertere ventos.
Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeris nec tingueret aequore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa iuventus
Turbaque miratur matrum et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis, ut regius ostro
Velet honos levis humeros, ut fibula crinem
Auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

licebat. | 799. *Circ.*, v. vs. 10. — Qui a Volscis colebatur deus Anxurus, nomen videtur dedisse oppido Anxuri, quae postea Terracina dicta. *Praesidere* autem dii dicuntur locis, quae sunt in tutela *(praesidio)* eorum. Servius „Circa hunc tractum Campaniae colebatur puer Iuppiter, qui Anxurus, et Iuno virgo, quae Feronia dicebatur." | 801 sq. significantur loca, quae sunt circa paludes Pomtinas. | 803. v. vs. 462. | 804. *florentes*, fulgentes, Lucret. 4, 451 „Bina lucernarum *florentia* lumina *flammis*." Pind. Ol. 2, 130 „ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει." | 807. *pati* sc. adsueta. | 808 sq. cf. Hom. Il. 20, 226 sqq. — *intactae*, a falce, qua solae aristae demetebantur, v. 10, 405. | 809. *laesisset*, v. 2, 136. | 811. *Ferret iter*, Ovid. F. 3, 174 „gressus in nova castra fero." | 814 sq. significatur chlamys purpurea. | 815. Donatus „Crinem eius non ars feminea, sed virilis fibula militarisque nectebat." | 816. *ipsa*, v. G. 2, 297. — *Lyciam*, v. E. 1, 55. | 817. v. G. 2, 447.

A E N E I D O S
LIBER OCTAVUS.

(Aeneas auxilium petit impetratque ab Euandro, Arcade, qui Pallanteum urbem ad Tiberim condiderat; eiusdem suasu adiungit sibi Etruscos. — Deferuntur a matre, Venere, ad Aeneam arma a Vulcano fabrefacta.)

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit et rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acris concussit equos, utque inpulit arma,
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, saevitque iuventus
Effera. Ductores primi Messapus et Ufens
Contemptorque deum Mezentius undique cogunt
Auxilia et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Aenean classi victosque Penatis
Inferre et fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adiungere gentis

Aeneid. L. VIII. 1—101. *Turnus proposito signo belli contrahit undique copias mittitque, qui Diomedem, Arpis regnantem, ad societatem armorum pelliciat. Aeneae de mole belli instantis sollicito deus Tiberinus per quietem apparet, a quo confirmatus auxiliumque Euandri regis implorare iussus ad hunc proficiscitur, inventa ante mactataque ex praecepto Tiberini sue alba, unde urbs Alba Longa postea nomen habuit.* | 1—5. Signo belli proposito Latini proprio duce destituti ... 7, 600. ... suas copias adiungunt copiis Turni. | 1. *belli signum*, vexillum; in castris quidem Romanis id vexillum ante pugnam proponi solitum tunica erat russa in fastigio praetorii extenta. Servius ita fere „Si esset *tumultus* (vs. 4), i. e. bellum *Italicum* vel Gallicum, is, qui erat ducturus exercitum, ibat in Capitolium et inde proferens duo vexilla, unum roseum, quod pedites evocabat, alterum caeruleum, quod erat equitum, dicebat: Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur. Et tali tempore non singuli, ut in legitima militia, adigebantur sacramento, sed *omnes simul* (vs. 4), quae dicta est (vs. 5) *coniuratio*.“ | 3. *inpulit*, movit cum sono; nam arma eorum, qui armati incedunt, crepare solent inter se collisa; ergo i. q. ubi primum arma sonuerunt. | 4. *animi* Latinorum. | 6 sq. *Messapus* et *Mezentius* copias ex Etruria adducentes, 7, 691. 647 sqq. *Ufens* 7, 745. | 9. cf. 11, 246. Diomedes, postquam Troia deleta Argos revertit, patria pulsus primum Aetoliam petit, deinde Italiam, ubi, victis Messapiis, novum regnum novasque urbes, Beneventum, Brundisium, Arpos, condidit. | 12. cf. 7, 272. | 13. *multas gentes*, mireris, quod poeta non dicit, quae se ei adiunxerint. Fortasse aliquis antiquus scriptor tradidit *multos homines* ad eius societatem se applicavisse, unde natum Virgilianum illud *multas gentes*. Aliter Donatus „Haec non fuerant facta,

Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his coeptis, quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi aut regi adparere Latino.
  Talia per Latium. Quae Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias perque omnia versat:
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis
Sole repercussum aut radiantis imagine Lunae
Omnia pervolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, et terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crinis umbrosa tegebat arundo;
Tum sic adfari et curas his demere dictis:
  O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis aeternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates,
Neu belli terrere minis; tumor omnis et irae
Concessere deum.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,

sed idcirco veris admixta sunt, ut pro certis acciperentur." | 15. *Quid struat...?* nempe hoc, ut victo Turno ipsum bello petat. | 16. *ipsi*, sc. cui ille par pari relatum velit. | 18. *per L.*, in Latio geruntur. | 20. v. 4, 285. | 22 sqq. cf. Apoll. Rh. 3, 754 sqq. — *Sicut* comparat res ex media veritate sumptas, *velut* res mente fictas. | 23. *imagine*, quia ipsa eius imago in superficie aquarum conspicitur. | 30. *ded. p. m. q.*, Donatus „corpus quieti concessit." | 31. *ipse ... visus*, ὤφθη ἐναργής. — *fluvio*, e fluv. | 32. *senior*, ut fere dii maris ac fluviorum. | 33. *glauco*, qualis est amictus τῶν τε ἐναλίων καὶ τῶν ποταμίων θεῶν. | 34. „Carbasus genus lini est; linum vero, ut ait Plinius, melius irrigatione fluminum quam pluvia nascitur; ideo et vestis linea Fluminibus tamquam propria datur." Servius. | 35. Versus plenus tranquillitatis et numeris et Verbi Modo (Infinitivo absoluto) indicatae, aptum quoddam subiectae orationi quasi προοίμιον, cf. 2, 775. | 37. *revehis*, cf. 3, 167 sq. 7, 205 sqq. — *aet.*, v. 7, 626. | 38. *Exspect.*, propter deorum vaticinia, cf. vs. 12. | 40. *tumor et irae*, cf. 6, 407. — Ira divina, quae omnem rem Troianam multos per annos vexavit, exhausta est; nec illa nec bellum instans prohibebit certas duraturasque sedes fundare; unam, quae irasci nondum desierat, Iunonem Tiberinus sperat precibus votisque superari posse vs. 60. | 42. *Iam* interdum refertur ad rem tempore futuro sive proxime instanti, ut hic et 6, 676. 11, 708, sive longius remoto,

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum et posuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina;
Hos castris adhibe socios et foedera iunge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea, primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas et pinguia culta secantem,
Caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens; nox Aenean somnusque reliquit.
Surgit, et, aetherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustinet, ac talis effundit ad aethera voces:

ut 1, 272, certo eventuram.| 43 sqq. v. 3, 390.| 46. *Hic locus.* In eodem versu 3, 393 est *Is locus.* Nempe Tiberinus loquitur de loco certo sibique noto, Helenus de incerto sibique ignoto. — Ceterum cum nova Troia in Latio iam condita sit ab Aenea, cf. 7, 157 sqq., Tiberinum apparet ad Lavinium spectare, quo pertinent etiam vs. 47 sq. Inventam autem esse suem illam ad litus maris docent vs. 43 et 83, fortasse dum remos ex silva petunt, cf. vs. 80 sq. Atqui Lavinium aberat aliquantulum a mari; nempe *Hic* (vs. 46) non est urgendum, sed latiore sensu accipiendum: in ista regione.| 47. *Ex quo* (loco) profectus.| 48. *cognominis* ab *alba* sue ducti.| 52. *signa*, eius, Euandri, cf. vs. 60.| 53. *in m.*, in monte, qui aliquanto post dictus est Palatinus; cf. Liv. 1, 5.| 57. v. 6, 901. Liv. 21, 31 „Postero die profectus *adversa ripa Rhodani* mediterranea Galliae petit.“| 59. v. G. 3, 130.| 60. *minas* eius, v. vs. 52.| 62. ut Terent. Andr. 5, 6, 1 „Ego sum, Pamphilus.“| 65. *Hic*, prope ostium, domus est mea (antrum, in quo habitat Tib.), *caput*, fons meus (v. G. 4, 319), est in Etruria, ex quo ortum flumen meum celsas, in collibus sitas, urbes Etruriae praeterlabitur. Hanc interpretationem commendat vs. 75 sq. Alii, commate post *urbibus* posito, domum intelligunt Romam.| 68. precantes sacrificantesque orientem spectabant, cf. 12, 172.| 69. Ex his verbis apparet eum, qui deum fluminis alicuius invocaret, haustam ex eo flumine aquam, dum preces faceret, sublata manu tenuisse; et iunge *undam de flumine.*| 70. Alii *Sustulit* pro *Sustinet.*|

Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Aenean, et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus, miserantem incommoda nostra,
Fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis,
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum Fluvius regnator aquarum.
Adsis o tantum et propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminasque legit de classe biremis
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno,
Mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.
Labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridisque secant placido aequore silvas.
Sol medium caeli conscenderat igneus orbem,

71. *gen. amn. u. e.*, quia nymphae sunt deae fontium.| 74 sq. *lacus*, quia putabant fontes ex lacubus subterraneis provenire, cf. G. 4, 319 et 359—372. — *exis*, e fonte.| 76. *hon.*, v. 3, 118.| 77. v. G. 4, 371. — *regnator H. aqu.*, princeps fluviorum Italiae, v. G. 1, 482.| 78. *tantum*, ut *μόνον*, optantis est, ut 6, 74. — *propius*, re aliqua magis perspicua. — *numina*, Servius „tua oracula et promissa;“ idem ad 3, 363 „*numine*, oraculo.“ Nempe vis divinae naturae cernitur etiam in vaticinando et declaranda vaticiniis sua voluntate; et v. 2, 691.| 80. v. 4, 482.| 81. v. G. 2, 441.| 82 sq. cf. vs. 43.| 84. Silius 13, 136 „Mactat, Diva, tibi, *tibi enim*, haec gratissima sacra.“ *enim*, *δηλαδή*, videlicet, ut par est, ut fieri debet aut solet, nostrum *freilich*, *natürlich;* nempe Iunoni potissimum eam debebat mactare ex praecepto Heleni 3, 437 sqq.; cf. etiam G. 2, 509. A. 6, 317.| 86. *quam longa est:* significatur quidam rei tenor et perpetuitas per Praesens.| 87. *refluens*, repressus nec prolabens.| 89. *Stern. aeq. aq.*, sternendo efficeret aequor aquis, aquas quasi complanaret, cf. E. 9, 57.| 90. Imitatus est haec Auson. Mosell. 22 „amoena fluenta Subterlabentis tacite rumore Mosellae;“ unde intelligimus rumorem secundum h. l. dici lenem strepitum placidi fluminis navigationi obsecundantis.| 91. *uncta*, picata. — *undae?* v. E. 1, 39.| 92. *Miratur*, v. E. 4, 6.| 93. carinas cum scutis virorum fluvio innare; v. 7, 237. — *pictas*, v. 5, 663.| 94. *noctemq. d.*, opus nocturnum diurnumque; *fatigare* est ad satietatem quandam exercere, plurimum laborem impendere: *noctemque d. f.*, plurimum noctu interdiuque laborant; 9, 605 *silvas*

Cum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quae nunc Romana potentia caelo
Aequavit; tum res inopes Euandrus habebat.
Ocius advertunt proras urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes iuvenum primi pauperque senatus
Tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, et tacitis incumbere remis,
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse,
Et procul e tumulo: Iuvenes, quae caussa subegit
Ignotas temptare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:
Troiugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus. Ferte haec, et dicite lectos
Dardaniae venisse duces, socia arma rogantis.
Obstipuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere o quicumque es, ait, coramque parentem
Adloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhaesit.
Progressi subeunt luco fluviumque relinquunt.
Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis:
Optume Graiugenum, cui me Fortuna precari
Et vitta comptos voluit praetendere ramos,
Non equidem extimui, Danaum quod ductor et Arcas

fat., peragrandis silvis magnopere operam dant. | 98. *rara*, v. 1, 118. | 101. *advert.* ad ripam. || 102—183. *Aeneas Tiberi subvectus Euandrum invenit sacro Herculis anniversario in luco operantem, benigneque exceptus foedus cum rege iungit epulisque ab eo adhibetur.* | 103. *divis*, Servius „cuivis deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum reliquos invocari;“ cf. 3, 19; etsi id in sacris Herculis fieri negat Varro teste Plutarcho Quaest. Rom. 90. | 104. *huic unā*, una cum hoc. | 105. *iuvenes* et *iuventus* saepe i. q. viri aetatis militaris. | 107 sq. Ut conspexerunt naves *eas*que inter nemus adlabi ac *remiges* remis in placido amne prope nullum aquarum strepitum moventibus incumbere (5, 15) viderunt. | 110. *quos*, eos scilicet, qui intererant his epulis, quas utpote sacras interrumpere nefas erat. | 111. *ipse*, solus, ut 11, 217 sq. „Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos: *Ipsum* armis *ipsum*que iubent decernere ferro.“ | 113. *ignotas*, quia ipsi sunt peregrini. | 114. *Qui gen.*, *τίνες τὸ γένος.* | 116. v. 7, 154. | 118. *superbo*, *ὑβριστικῷ*, quia superbum est, profugos et *ἱκέτας* pellere. | 119. *Ferte*, nuntiate ei. | 121. *tanto*, cf. 1, 565 sq. | 124. *Excepitque*, v. 5, 504. — *inhaesit* ei, *ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρί* Homer. | 125.

Quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis;
Sed mea me virtus et sancta oracula divom,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Coniunxere tibi, et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros; Electram maxumus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbis.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;
At Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, caeli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus non legatos neque prima per artem
Temptamenta tui pepigi; me, me ipse meumque
Obieci caput et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant,
Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra.
Accipe daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi et rebus spectata iuventus.
Dixerat Aeneas. Ille os oculosque loquentis
Iamdudum et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrum,
Accipio adgnoscoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchisae magni voltumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiae gelidos invisere finis.
Tum mihi prima genas vestibat flore iuventas;

luco, cf. v. 104.| 130. Euander et Atridae ab Iove genus suum repetebant.| 131. *orac.*, cf. 6, 96 sq.| 132. *terris did. f.*, Diodor. Sic. 4, 47 „διαδοθείσης τῆς φήμης εἰς ἅπαντα τόπον.“| 133. cum in fatis esset, ut te adirem, accessit etiam animi voluntas.| 134. Ilus enim, filius Dardani, condidit Ilium.| 135. si igitur Graii ita tradunt, ne tu quidem, qui es homo Graius, negabis Dardani matrem fuisse Electram, filiam Atlantis.| 136. *adv. T.*, ad Teucros, i. e. ad Troadem.| 138. *Vobis*, tibi ac per te tuo generi.| 139. *fud.*, de facili partu, cf. G. 1, 13.| 141. *generat*, v. E. 8, 45. — *caeli q. s. t.*, quamobrem hic iteratur sententia iam vs. 137 proposita?| 143. *per* legatos, v. 1, 544. — *per art.*, callide cauteque.| 144. *pepigi*, constitui fecique, *tent. tui*, tentavi te s. animum tuum.| 145. *Obi. cap.*, *παρεθέμην τὴν κεφαλὴν* s. *τὴν ψυχήν*, Hom. Odyss. 2, 237. 3, 74.| 146. *gens Daunia*, Rutuli, quia Daunus pater Turni, 12, 22, hostes Euandri in vicinia Pallantei habitantes vs. 474.| 149. v. G. 2, 158.| 157. *visentem*, volentem invisere; quaedam Verba frequentativa voluntatem et conatum agendae rei significant, ut *captare aves*, *auguria;* Catull. 11, 9 sqq. „Sive trans altas gradietur Alpes Caesaris *visens* monumenta magni Gallicum Rhenum horribilesque Britannos.“ — *Hesionae* Telamoni Salaminio nuptae.| 160. *flore*, lanugine 10, 324. cf. Hom. Odyss. 11, 319 sq.|

Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens iuvenali ardebat amore
Compellare virum et dextrae coniungere dextram;
Accessi, et cupidus Phenei sub moenia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo et, quam petitis, iuncta est mihi foedere dextra,
Et, lux cum primum terris se crastina reddet,
Auxilio laetos dimittam opibusque iuvabo.
Interea sacra haec, quando huc venistis amici,
Annua, quae differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et iam nunc sociorum adsuescite mensis.
Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili,
Praecipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Aenean, solioque invitat acerno.
Tum lecti iuvenes certatim araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas simul et Troiana iuventus
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.
Postquam exempta fames et amor compressus edendi,
Rex Euandrus ait: Non haec sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Inposuit: saevis, hospes Troiane, periclis
Servati facimus meritosque novamus honores.
Iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem,

165. *Phen.*, Hom. Il. 2, 605.| 166. *pharetr.*, puta et ipsam Lyciam, cf. 7, 816.| 168. v. E. 1, 54.| 169. *iuncta est m. f. d.*, Servius „antiquis amicitiis per Anchisae hospitium.“| 171. *opibus*, copia rerum bello gerendo utilium.| 173. *faventes*, animo ad rite concelebrandam rem sacram composito.| 175. v. G. 4, 378.| 177. iunge *Praecipuum toro*; cum ceteri in gramine assideant, praecipuus honor habetur Aeneae, qui in solio toroque ... cf. vs. 368 sq. ... pelle leonina instrato iubetur considere; Silius 11, 275 sq. „*Praecipuis* multoque procul splendentibus ostro *Accipitur* sublime *toris.*“| 178. *solio invitat*, ut 9, 676 „*invitant moenibus* hostem;“ v. E. 2, 30.| 179. *arae*, cf. vs. 271.| 180. v. 1, 195.| 183. *Perpet.*, longe porrecto tergo, Hom. Il. 7, 321 „*νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν.*“ et v. E. 9, 46. — exta a Romanis in altaribus comburi solebant, praeterquam in sacro Herculis.|| 184—305. *Exponitur ab Euandro causa huius sollemnitatis*, *Cacus ab Hercule oppressus.* — *Finis harum caerimoniarum.*| 184. Hom. Odyss. 3, 67.| 186. cf. vs. 271 sq.| 187. *Vana superst.*: Lactant. 4, 28 „qui novos sibi ritus adsumebant, ut deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in caelum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant; eos vero, qui publicos et antiquos deos colerent, religiosos nominabant.“| 189. *novamus*, novus enim tum fuit is cultus Herculis.| 190. *Iam primum* locum habet in primo introitu rerum exponendarum. — *saxis susp.*

Disiectae procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Caede tepebat humus, foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignis magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium adventumque dei. Nam maxumus ultor,
Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentis, vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quattuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante iuvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos versisque viarum
Indiciis raptos saxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, cum iam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Inpleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem vastoque sub antro
Mugiit et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor; rapit arma manu nodisque gravatum
Robur et aerii cursu petit ardua montis.

rup., vix etiam haerentem in saxo subiecto.| ... *adspice* ..., *ut moles disiectae sunt*, v. E. 4, 52.| 193. *v. subm. r.*, longe ab aditu reducta.| 196. *superbis*, quia ora hominum tamquam spolia iis erant affixa, v. 2, 504.| 197. *pallida tabo*, ut tabentia.| 198. *atros*, v. G. 2, 309.| 200. *et nob.*, ut multis antea, quibus Hercules exstiterat vindex iniuriae ultorque, ἀλεξίκακος inde habitus appellatusque.| 204. *amnem*, ripas Tiberis.| 206. Alii *Aut intentatum*. — *fuisset* ex mente Euandri, non Caci, dictum: ni id fecisset, rem audaciae proiectissimae inausam reliquisset.| 207. *a stabulis*, a pascuis, ubi procubuerant; *locum herbidum* appellat Livius 1, 7.| 208. *superante*, tali, ut nihil supra esse possit.| 209. *ped. vest. r.*, idem, quod vestigia rectis pedibus facta.| 210 sq. versa erant indicia viae, quae venientium ex spelunca boum vestigia monstrabat, non in speluncam tendentium.| 212. *signa* eodem modo, quo via, *ferre s. ducere* dicuntur; ergo hoc dicit poeta: quaerenti nulla signa ad speluncam ferentia apparebant.| 213. *stabulis mov.*, v. vs. 207.| 215. *Discessu*, v. 10, 445.| 216. Processerant boves ex valle in proximos colles eosque iam relinquere incipiebant. — *clamore*, v. 2, 323.| 219. *furiis*, prae iracundia, cf. vs. 494. — *exarserat ... rapit*: significatur per Praesens praegresso Plusquamperfecto res continuo subsecuta; similis festinatio est 12, 430.| 220. Servius „Felle irascimur secundum

Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis; fugit ilicet ocior Euro
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque inmane catenis
Deiecit saxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit obiice postis,
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem; ter saxea temptat
Limina nequiquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, praecisis undique saxis
Speluncae dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona iugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit et imis
Avolsam solvit radicibus; inde repente
Inpulit; inpulsu quo maxumus intonat aether,
Dissultant ripae refluitque exterritus amnis.
At specus et Caci detecta adparuit ingens
Regia et umbrosae penitus patuere cavernae:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes et regna recludat
Pallida, dis invisa, superque inmane barathrum
Cernatur, trepidentque inmisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente
Inclusumque cavo saxo atque insueta rudentem
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga iam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Praecipiti iecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit nebulaque ingens specus aestuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem

physicos, ut splene (Pers. 1, 16) ridemus." | 227. aditum emuniit, fulciens eum, s. praestruens, obiice; cf. Ovid. Fast. 1, 563 et eiusd. A. A. 2, 244 „apposita ianua *fulta sera*." | 236. *laevum?* at Tiberis Aventino est a dextra. Ergo laevum Herculi puta, cui ex valle ad speluncam Caci redeunti Tiberis ad laevam fuit. | 242. *Regia* domus Caci appellari videtur propter ingentem amplitudinem. | 245. *invisa*, „οἰκία ... τά τε στυγέουσι θεοί περ," Hom. Il. 20, 61—65. — *super*, ἄνωθεν, superne. | 248. *insu. rud.*, v. G. 3, 149. | 253. *caeca*, per quam non licet quidquam dispicere. | 256. Non tulit eam Indignationem. — *animis*, prae ira. | 257. *iecit*, cf. 10, 683. — *undam*, v. G. 1,

Corripit in nodum conplexus, et angit inhaerens
Elisos oculos et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis,
Abstractaeque boves abiurataeque rapinae
Caelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribilis oculos, voltum villosaque saetis
Pectora semiferi atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illo celebratus honos, laetique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.
Hanc aram luco statuit, quae Maxuma semper
Dicetur nobis, et erit quae maxuma semper.
Quare agite, o iuvenes tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas et pocula porgite dextris
Communemque vocate deum et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas foliisque innexa pependit,
Et sacer inplevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam laeti libant divosque precantur.
Devexo interea propior fit Vesper Olympo:
Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensae grata secundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus incensa altaria circum

472.| 260 sq. elidit fauces Caci arto bracchiorum nodo constricti, quo fit, ut elidantur etiam oculi: iunge *in nod. compl.*, non *Corrip. in nod.*| 263. *abiur.*, quas se habere Cacus periurio negaverat.| 267. vident, ut exstincti sunt ignes faucium; vulgo dicimus: vident fauces exstinctis ignibus.| 269. *prim. auctor:* Potitius, ut tradit Livius 1, 7, ab Euandro ritum huius sacri Graecanicum, ignotum Italo homini, edoctus antistes eius sacri primus fuit, quare per eum potissimum tamquam auctorem id sollemne ad posteros propagatum dici potuit; *ἡγουμένους τῆς ἱερουργίας* Potitios appellat Dionys. Archaeol. 1, 40, Pinarios ministros eius sacri esse putabimus.| 271 sq. dicetur, ut vere est eritque, maxima; nullus enim deus habuit maiorem. — *statuit*, quis? v. 6, 734 et cf. Ovid. Fast. 1, 581 sq.| 273. Troianos alloquitur. — *tant. in mun. l.*, in sacrificio Herculi ob egregium illud facinus instituto.| 274. *porgite*, quod libatio fit manu exporrecta.| 275. *vocate*, invocate; *communem* Arcadibus et Troianis foedere iam iunctis, cf. vs. 172—174. 12, 118. — *date v.*, libate Herculi.| 276. v. G. 2, 66. — „Post Urbem conditam lauro coronari solebant Graeco more, qui apud aram Maximam sacra faciebant.“ Servius. — *bicolor*, quia aversa folia albicant.| 278. quare scyphus? v. E. 6, 17.| 279. *libant*, v. 1, 737. — *div.*, v. vs. 103.| 280. *devexo Olympo*, inclinante se caelo, motu diurno circumacto, cf. 2, 250.| 282. *Pell. cincti*, cinctuti Lupercorum more, i. e. subligaculis e pelle circa pudenda cincti, cetera nudi.| 283. v. 7, 146 et G. 2, 101.| 285. *Tum*, non post, sed praeter illos, v. 5, 455. — Salii, quos Numa Martis sacerdotes esse voluit, hic attribuuntur Herculi, itemque Tiburi Albaeque Longae Salii fuerunt eius sacerdotes; cf. Macrob. 3, 12. — Peractis epulis sacrificalibus libationibusque hymni in honorem eius dei, ad quem pertineret sacrificii sollem-

Populeis adsunt evincti tempora ramis,
Hic iuvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;
Ut bello egregias idem disiecerit urbes,
Troiamque Oechaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris,
Hylaeumque Pholumque, manu, tu Cresia mactas
Prodigia et vastum Nemeae sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci
Ossa super recubans antro semiesa cruento;
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus,
Arduus arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Iovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adiiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aevo
Et comitem Aenean iuxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur facilisque oculos fert omnia circum
Aeneas, capiturque locis, et singula laetus
Exquiritque auditque virum monumenta priorum.

nitas, cantari solebant, cf. Hom. Il. 1, 467—474.| 287. Ergo bipartitus fuit chorus et „senes tantum voce laudes Herculis exsequebantur, iuvenes et gestu corporis eius facta monstrabant." Servius. — *senes*, viri constantis aetatis; similiter in descriptione civium Romanorum distinguuntur seniores et iuniores.| 288 sq. cf. Theocr. 24, 11 sqq. Ovid. Met. 9, 67. — *prima*, quod infanti Herculi oblata sunt. — Ceterum imitatus haec est Ovidius Met. 4, 11 sqq., nisi potius utrumque poetam ad sollemnem hymnorum formulam se applicavisse existimabimus.| 291. Neptunus fraudem Laomedontis ulturus monstrum marinum immiserat Troadi. Hercules eo interfecto frustratus promisso praemio Troiam expugnavit. — Oechaliam, oppidum Euboeae, propter perfidiam Euryti, qui promissam ei filiam Iolen non dedit, vi captam evertit.| 292. *fat. Iun.*, fatali quadam necessitate, quam odium Iunonis ei imposuerat, cf. Hom. Il. 19, 95—133.| 293. cf. Ovid. Met. 12, 536—541.| 294 sq. *Cres. mact. Prod.*, victor es tauri Cretensis, v. E. 8, 45 et cf. Ovid. Met. 4, 23.| 296. v. 6, 392 sqq. Hom. Il. 8, 368.| 298. *facies*, monstra, quae apud inferos occurrebant, cf. 6, 285 sqq., in quibus Typhoeus et hydra Lernaea; cf. etiam vs. 194 supra.| 299. *Arduus*, cf. 5, 460. 10, 197. — *rat. egent.*, sc. terrore perculsum.| 302. Ovid. Fast. 1, 67 „*Dexter* ades ducibus." eiusd. Trist. 5, 3, 57.| 303. *super omn.*, v. 7, 462.|| 306—368. *Domum abducens secum Aeneam Euander docet, qui qualesque fuerint antiquissimi habitatores eius regionis, ostenditque loca inprimis memorabilia.*| 307. Terent. Eun. 2, 2, 5 „*annis* pannisque *obsitus*."| 310. *faciles*, qui facile se movent, volubiles, Manil. 1, 647 „Circumfer *faciles* oculos."|

Tum rex Euandrus Romanae conditor arcis:
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
Gensque virum truncis et duro robore nata,
Quis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros,
Aut conponere opes norant, aut parcere parto,
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens et regnis exsul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Conposuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quae perhibent, illo sub rege fuere
Saecula: sic placida populos in pace regebat;
Deterior donec paulatim ac decolor aetas
Et belli rabies et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae,
Saepius et nomen posuit Saturnia tellus;
Tum reges asperque inmani corpore Thybris,
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphae monita et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram
Et Carmentalem Romani nomine portam
Quam memorant, Nymphae priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicae, cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum

313. *Rom. cond. a.*, Pallantei, ubi Virgilii tempore erat Palatium; cf. 9, 9. | 315. cf. Iuven. 6, 11—13. | 316. *mos* nascitur ex certa quadam vitae instituendae regendaeque ratione, *cultus* ex inventione artium. | 317. *conp.*, horreis condere, *opes* ruris, frumentum. | 318. *asper victu v.*, qui praebet victum asperum, multo labore et molestia parandum; cf. 1, 445. | 319—322. Qui soluto sermone utitur, ita fere diceret: *Primus* Saturnus, cum in has terras venisset, homines rudes ac dispersos ad quandam communionem vitae ac societatem vocavit. | 322. *Lat. voc. mal.*, quam Saturniam. | 326. *decolor*, degenerans ab aurea, et mutato quasi colore ferrea facta. | 328. Ausones etiam Aborigines dicti. — *Sicanae:* Siculae appellandae fuerunt, non Sicanae; sed ubicumque veteres illos Siculos, quos intra Tiberim et Lirim habitasse constat inter historicos, commemorat poeta, Sicanorum nomine usus est, qui quidem Hispania pulsi in Siciliam venerunt. | 329. *Sat. t.*, post etiam Oenotria et Italia appellata, et a Graecis Hesperia, Tyrsenia s. Tyrrhenia. | 330. *que*, v. 9, 811. | 333. *pel. extrema:* non poterat non ultima haec ora ea aetate videri Graecis hominibus, quibus terrae ad Occidentem spectantes ignotae essent. — *sequentem*, ut *Italiam sequi* 4, 361. 381. | 337. *aram* vicinam portae Carmentali; fuit etiam templum Carmentis, a matronis Romanis positum religiosissimeque cultum. | 340 sq. cf. Ovid. Fast. 1, 515 sqq. | 342. Asylum „locus, qui nunc saeptus descendentibus (de Capitolio) inter duos

Rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Iam tum religio pavidos terrebat agrestis
Dira loci; iam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, cum saepe nigrantem
Aegida concuteret dextra, nimbosque cieret.
Haec duo praeterea disiectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem;
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides subiit, haec illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo, rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti

lucos est," Liv. 1, 8. | 343. *Rett.* Asylum Graecum est nomen, Graeca res; a Graecis rem nomenque repetiit s. rettulit Romulus; itaque recte Servius, ad antiquissimum illud asylum, vel templum vel aram Misericordiae, quo Heraclidae confugerunt, haec verba pertinere ratus „fecit ad imitationem Atheniensis Asyli." — *Lupercal*, antrum sub monte Palatino Pani sacrum. | 344. Id Lupercal a *lupis* appellasse Romani dicuntur, eo more in hoc nomine usi, quo Graeci, qui Panem Lycaeum a vocabulo *λύκος* (non a cognomini monte) nomen habuisse ferebant. — *Parrhasia* oppidum Arcadiae, itaque *Parrhasius* i. q. Arcadicus. | 345. *Argiletum* (Argi letum) locus inter Capitolinum et Aventinum; ibi postea fuerunt tabernae librariorum, sutorum. „Euander Argum quendam excepit hospitio. Qui cum de eius cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Euandro haec non sentiente socii intellexerunt et Argum necarunt. Cui Euander et sepulchrum fecit et locum sacravit hospitalitatis causa." Haec Servius. | 346. *Test. loc.*, quo tamquam teste crimen laesi iuris hospitalis a se removeat. | 349 sq. *relig. dira loci*, sanctitas loci horrorem incutiens. | 352. *ipsum*, *ἐναργῆ*, *leibhaftig*. | 353. *saepe*, v. 1, 148. — *nigr.*, nigris nubibus, quae motu aegidis efficiuntur, involutam, Hom. Il. 4, 167: *ἐπισσεύει ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσιν.* | 354. cum Iuppiter aegide utitur ad homines fulminibus dirisque tempestatibus terrendos, *dextra* manu eam concutit; et, Iuppiter Imperator (quod in nummis Imp. Commodi videre licet) sceptrum dextra gerit, sinistra tenet fulmen. | 358. *fuerat*, v. 7, 532. — *Saturn.*, in monte Capitolino, qui ipse olim Saturnius dictus. | 361. *lautis*, quae Virgilii aetate magnificis domibus erant ornatae. | 363. *cepit*, i. e. tantus cum esset Hercules, tamen non est dedignatus in hanc parvulam inopemque domum devertere; Curt. 7, 8 „orbis terrarum te non *caperet*." adde 9, 644. | 364. „sapere aude," Horat. Ep. 1, 2, 40. | 365. *asper* adiuncto Dativo is dicitur, qui cum asperitate aversatur quidpiam, Sil. It. 12, 348 „asper paci," Horat. A. P. 163

Ingentem Aenean duxit stratisque locavit,
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.
    Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequiquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu
Volcanum adloquitur, thalamoque haec coniugis aureo
Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces,
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuae; nec te, carissime coniunx,
Incassumve tuos volui exercere labores,
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Aeneae flevissem saepe laborem.
Nunc Iovis inperiis Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.
Aspice, qui coeant populi, quae moenia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat, et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam, notusque medullas
Intravit calor et labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.
Tum pater aeterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset,

„monitoribus asper.“ | 368. cf. vs. 177. || 369—453. *Nocte insecuta Venus, sollicita de periculis filio imminentibus, precibus blanditiisque ambit Vulcanum, ut arma fabricetur Aeneae, isque haud cunctatus promittit posteroque mane se accingit ad faciendum promissum.* | 371. *duro*, pleno periculi, cf. 1, 563. | 373. *dict. adsp. am.*, verba facit plena amoris aptaque ad devinciendum amore animum Vulcani. — *divin.*, qualem d e a Venus adspirare potest. | 375. *Deb.*, debita (quia fatum ita ferebat) *v a s t a r i*, ut 9, 107 „tempora Parcae *d e b i t a* conplerant,“ i. e. *c o n p l e r i d e b i t a.* | 377. *Art. op. t.*, puta: et pulchra et egregia. | 379. *natis*, Paridi, v. E. 6, 42. | 383 sq. Thetis Achilli, ap. Hom. Il. 18, 429 sqq., Aurora Memnoni arma petiit a Vulcano; et v. 1, 489. | 388. pro simplici *amplectitur* ornatius *amplexu m. fovet.* | 390. *labef.*, soluta, calore scilicet, ergo i. q. liquefacta, v. G. 3, 272. | 391. *olim*, v. 5, 125. — *tonitru*, v. 2, 323. — *rupta*, quae apparet ruptis nubibus, ipsas scilicet rumpens, v. 3, 199, „*καταρραγεῖσα βροντή*“ Hypoth. Prometh. Aesch. — Iunge *corusco micans lumine*, A. 1, 90 „m i c a t i g n i b u s aether.“ | 392. *Ign. rima*, fulgur tenuem faciens sulcum. | 393. *laeta d.*, *δολοφρονέουσα* ap. Hom. | 394. *aet.*, ut pleraque sunt in diis aeterna, ita a m o r, ut ap. Lucret. 1, 35 „aeterno devictus volnere amoris;“ i r a supra 1, 36, *ὕβρις* Eurip. Bacch. 9. | 395 sq. Quid causis longe petitis oras id, quod sola gratia obtinere debes? | 396 sq. *fuisset*, v. 7, 653. |

Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec Pater omnipotens Troiam nec fata vetabant
Stare decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras atque haec tibi mens est,
Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animaeque valent, absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.
Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
Curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Inpositum, cinerem et sopitos suscitat ignis,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Coniugis et possit parvos educere natos:
Haud secus Ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis —
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat —
Volcani domus, et Volcania nomine tellus.
Hoc tunc Ignipotens caelo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat, toto Genitor quae plurima caelo

397. *Tum*, cf. vs. 374. | 399. cf. 7, 313—15. | 402. *electro*, v. G. 3, 522. | 403. *animae*, spiritus follium. — Ceterum observa orationem *ἀνακόλουθον*, v. G. 3, 464; id enim debebat dicere: Quidquid curae possum promittere ..., *id precari absiste*, i. e. *id promitto.* | 406. v. vs. 30. | 407. *prima*, v. G. 3, 130. — *abactae* ab ascensu et conversae ad descensum. | 408 sqq. cf. Hom. Il. 12, 433—35. | 409. *tenui* „exiliter victum praebente" Serv. — *Min.*, v. G. 1, 295. | 410. cf. vs. 542. Ovid. Met. 8, 641 sq. | 414. Haud secus illo tempore nec segnior surgit Vulc. | 417. *Lip.*, unam ex Aeoliis s. Vulcaniis insulis. | 419. *Aetn.*, talia, qualia sunt Aetnae: ignivoma. — *incud. ictus*, qui fiunt in incudibus, v. 7, 226. | 420. *Aud. ref. gem.*, audiuntur et resonant per antra. | 421. *Str. Chal.*, quales cuduntur ab operis Chalybum, v. G. 1, 58. | 423. *Hoc* antique pro *huc*, et respondet illud Particulis *eo et quo;* quamquam haud scio an Homerica illa exprimere voluerit poeta „*πῆ μεμαυῖα κατ' Οὐλύμπου τόδ' ἱκάνεις*" Il. 14, 398. Od. 17, 444, „*πόθεν τόδε νυκτὸς ἐν ὥρῃ ἔρχῃ*" Hymn. in Merc. 155, parum feliciter imitatus, quando ea quidem significant: quorsum et unde haec itio? v. 2, 690. | 427. *Fulmen ... quae plurima*, Hom. Odyss. 5, 421 sq. „*κῆτος, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη.*" |

Deiicit in terras, pars inperfecta manebat.
Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
Addiderant, rutili tris ignis et alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos sonitumque metumque
Miscebant operi flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucris
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes;
Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque anguis ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem:
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Praecipitate moras. Nec plura effatus; at illi
Ocius incubuere omnes pariterque laborem
Sortiti. Fluit aes rivis aurique metallum,
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum, septenosque orbibus orbis
Inpediunt. Alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque; alii stridentia tinguunt
Aera lacu. Gemit inpositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi bracchia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma

429 sqq. In eo fulmine omnia coniuncta reperiuntur, quae in vero fulmine coniuncta esse solent. — *torti*, constricti et coacti in grandinem. | 430. et item tres alitis A.; ceterum v. 2, 649. | 432. *iras*, vim illam, qua fulmen quasi iratum omnia, quae tangit, ignem concipientia perimit flammis sequacibus, i. e. proxima quaeque avide corripientibus ac longius longiusque serpentibus. | 434. quo curru cum invehitur, concitat viros ad bellum, unde λαοσσόος dictus; et cf. vs. 3 sq. | 435. *aegis*, h. l. est lorica Palladis. — *turbatae*, iratae. | 436 sq. ornabant aegidem serpentibus squamarum aurearum (v. G. 1, 173), qui inter se connexi extremam loricam caputque Medusae in media positum ambiebant. | 438. *vert. lum.*, oculos huc et illuc flectentem tamquam vivos; quae res et miraculi plena et terroris; cf. Hom. Il. 18, 417 sqq. | 440. *Aetnaei*, cf. vs. 419 et 3, 678. | 441. *usus*, opus est. | 442. *o. arte magistra*, quae docet, quo quidque modo faciendum effingendumque sit: praesidio omnium praeceptorum artis opus est. | 444 sq. iunge *omnes pariterque sortiti*, non *incubuere et sortiti* sc. *sunt*. | 447. v. 7, 470. | 448. *sept. o. o. inped.*, septem laminarum orbes (πτύχας Hom. Il. 18, 481) ita inter se iungunt compinguntque, ut divelli non possint. | 451. *impos.*, v. G. 4, 173. | 453. *In num.*, v. E. 6, 27. || 454—519. *Mane Euander ad Aenean se confert commemorataque virium regni sui tenuitate validius auxilium a Caeritibus Etruscis eum sperare iubet et quadringentos lectos equites Arcadas duce Pallante cum eo ad bellum profecturos promittit.* | 454. *Aeol.*,

Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem,
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.
Nec non et gemini custodes limine ab alto
Praecedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Aeneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi iungunt dextras, mediisque residunt
Aedibus et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior haec:
Maxume Teucrorum ductor, quo sospite numquam
Res equidem Troiae victas aut regna fatebor,
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires: hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis;
Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
Iungere castra paro, quam fors inopina salutem
Ostentat. Fatis huc te poscentibus adfers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam
Gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo

v. vs. 417. Lemnos insula Vulcano inprimis grata.| 456. *volucr. s. culm.*, hirundinum.| 457 sqq. cf. Hom. Il. 2, 42 sqq.| 458. Servius crepidas significari ait.| 460. *retorqu.*, Servius „a sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens et in dextram revocans partem se amiciebat;" cf. 8, 666.| 461. *l. ab alto:* putabimus Euandrum a limine descendisse per gradus aliquos, cf. 2, 442 sq., quamquam ea res videtur humilitati istius casae (vs. 455) parum convenire.| 462. comitamur non solum pone sequendo vel ad latus incedendo, sed etiam praecedendo, cf. 5, 76.| 463. *Aeneae secreta*, cf. G. 4, 403 et v. G. 1, 173. Quae vss. 359—368 leguntur, Aeneam in ipsa regia Euandri noctem transegisse persuadent; sed quae narrantur vs. 461 sq., verbis *Aeneae sedem et secreta* secretam a regia s. separatam significari sedem probant, poetam igitur a se ipso dissidere.| 464. cf. vs. 170 sq.| 465. v. 6, 337. — *matut.*, ὑπηοῖος, et v. 4, 303.| 467 sq. *med. Aed.*, v. 2, 512. — *licito*, et quia eo utuntur sine arbitris, et quia res sacra (vs. 172 sqq.) et nox moram fecerat.| 472. *pro nom. t.*, Servius „pro tui nominis gloria," et cf. vs. 121 et 470 sq.; nisi forte: pro mei nominis fama, cf. vs. 132.| 474. v. vs. 146.| 475. *opulenta regnis*, Servius „Tuscia duodecim lucumones (totidem, quot populos) habuit, i. e. reges, quibus unus praeerat," isque videtur Mezentius fuisse, id quod probatur vs. 494 sq. et 502. Etrusci autem, postquam Mezentium tuendum suscepit Turnus, vs. 493, castra ad amnem Caeretanum (vs. 597—604) posuerunt, opulenta illa quidem regnis dicta, quia iuventus duodecim populorum (regnorum) in his castris consederat.| 478. *saxo vetusto*, Servius „antiquo opere;" spectat ea res ad muros urbium Etruscarum ingentibus saxis structos, Pelasgicam originem testantes.| 479. *Agyll.*, v. 7, 652. — *Lyd.*, v. 2, 782.| 481. *deinde*, v. 2, 391.|

Inperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera? di capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam iungebat corpora vivis,
Conponens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus, et sanie taboque fluentis
Conplexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque,
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros
Confugere et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis;
Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.
His ego te, Aenea, ductorem milibus addam.
Toto namque fremunt condensae litore puppes,
Signaque ferre iubent; retinet longaevus haruspex
Fata canens: O Maeoniae delecta iuventus,
Flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor et merita accendit Mezentius ira,
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divom.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus
Invidet inperium seraeque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o, Teucrum atque Italum, fortissime, ductor.
Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adiungam; sub te tolerare magistro

484. cf. 2, 190. | **485.** Vetustam talis crudelitatis famam confirmat Val. Max. 9, 2, 10, confirmarat ante Cicero, ut Servius auctor est, in Hortensio. | **488.** *sic*, v. 1, 225. | **489.** v. G. 3, 149. | **495.** *praes. M.*, bello non dilato. | **497.** *puppes*: propter interiectum Tiberim maritimo itinere opus erat exercitui Etrusco in Latium tendenti. | **499.** *Maeonia* vetus nomen Lydiae, cf. vs. 479 sq. | **500.** *Fl. v. v. vir.*, praestantia ac virtute maioribus vestris pares. | **503.** *duces*, v. E. 4, 49. | **504.** *Hoc*, qui ibi erat, propinquus scilicet litori vs. 497 et 555 commemorato. | **505 sqq.** oratores misit *invitans* scilicet *(ut)* succedam castris. | **508.** *saeclis*, Servius „dicunt saeculum habere triginta annos,“ unde trisaeclisenex Nestor; et cf. G. 2, 295. | **510.** *mixt. m. Sab.*, sanguinem genusque mixtum habens cum matre Sabina, cf. 12, 838. | **511.** *Hinc*, ex Italia. | **512.** quem ducem num. posc., cf. vs. 503. | **513.** *Ingred.*, plenum dignitatis verbum, ut 1, 45 „divom incedo regina;“ praeterea cf. E. 4, 48. | **515.** *sub te magistro*: ex more Romano ado-

Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant
Aeneas Anchisiades et fidus Achates;
Multaque dura suo tristi cum corde putabant,
Ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.
Namque inproviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt; iterum atque iterum fragor increpat ingens.
Arma inter nubem caeli in regione serena
Per sudum rutilare vident et pulsa tonare.
Obstipuere animis alii; sed Troius heros
Adgnovit sonitum et divae promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quaere profecto,
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volves,
Thybri pater! Poscant acies et foedera rumpant!
Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penatis

lescentes nobiles contubernio ducum utebantur, quorum exemplo discerent bellum administrare.|| 520—607. *Aeneas a Venere prodigio confirmatus remissis ad castra Troiana navibus equos ab Euandro accipit. Euander Pallantem ad bellum euntem graviter commotus dimittit. Iter ad castra Etrusca.*| 520. v. 2, 692. — Oratione Euandri tantum abest ut erigatur animus Aeneae, ut (quod Euander minime speraverat) repentina tristitia affligatur. Quod promittitur auxilium, invalidum est; quid speret ab Etruscis, dubium est; praeterea propinquo et ad omnia audenda parato hoste quid non, dum tempus teritur, accidere potest Ascanio castrisque Troianis? En satis potentes causas tristitiae!| 522 sq. Multa dura secum putabant, *et diutius in ea cogitatione defixi perstitissent*, Ni Venus *cet.*, v. G. 3, 562; similiter 6, 358 sqq. „iam tuta tenebam: *Ni* gens crudelis — ferro invasisset."| 523. *aperto*, v. G. 1, 393.| 526. v. E. 9, 46. *Tyrrhen.*, quia tuba ab Etruscis inventa.| 528 sq. cf. G. 1, 474. — nubes ita ambiebat arma, ut ipsa in sudo effulgerent.| 532. *Ne vero*, *μή τοίνυν*. — Apparet Aeneam non dubitasse, quin Euander rei miraculo conterritus casum aliquem filio exitiabilem metueret.| 533. *ego p. Ol.*, v. G. 2, 206. me poscit Olympus in proelia scilicet; cf. vs. 614. 11, 221. ad me ostentum illud ex aethere oblatum spectat.| 534. quando aut ubi id praedixerit, nusquam dictum est; item apud Hom. Il. 21, 277 sq. Odyss. 12, 389 sq.| 535. *Si:* si quando futurum esset, ut ingrueret, v. 5, 64.| 542. *arae sopitae ignibus*, quia habent sopitos ignes, cf. vs. 410. — *Herculeis*, v. E. 9, 46.| 543. Duplex

Laetus adit; mactant lectas de more bidentis
Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.
Post hinc ad navis graditur sociosque revisit;
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Praestantis virtute legit; pars cetera prona
Fertur aqua segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;
Ducunt exsortem Aeneae, quem fulva leonis
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito volgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad litora regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et maior Martis iam adparet imago.
Tum pater Euandrus dextram conplexus euntis
Haeret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur:
O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos,
Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac Erulum dextra sub Tartara misi,
Nascenti cui tris animas Feronia mater —
Horrendum dictu — dederat, terna arma movenda;
Ter Leto sternendus erat; cui tum tamen omnis
Abstulit haec animas dextra, et totidem exuit armis:
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo; neque finitimo Mezentius umquam

a poeta indicatur sacrum, alterum Herculi, alterum diis Euandri familiaribus factum. Herculei ignes resuscitati sunt ii, qui pridie in Ara Maxima accensi fuerant. Nec praetereundi erant dii Euandri domestici, qui liberali Aeneam hospitio exceperat. *Hesternum* autem adit Larem, i. e. quem heri iam adierat, etsi id, ut interdum alia, reticuit poeta.| 547. *qui s. in b. s.*, qui se sequantur, ut eos habeat secum, si forte sit pugnandum; idque evenisse docet liber decimus, cf. 10, 360.| 549. *segnis*, omissa remigatione.| 552. *exs.*, ἐξαίρετον Hom. Il. 2, 227 et v. 5, 534.| 555. Alii *ad limina.*| 556. *dupl.*, duplicia faciunt, i. e. solito maiora vovent. — *propius p. it.*, i. e. propius accedit ad periculum, *an die Gefahr tritt die Furcht näher heran, la peur s'approche du péril*; nempe remotiora pericula metuimus, instantia timemus, ergo metus a periculo abest longius, timor propius. Metus autem mentis affectio est, timor animi; ille non excludit spem, hic excludit; matronae igitur vota facientes metuunt tantummodo, quia vota ipsa spem salutis ostendunt.| 557. *mai. Mart. app. im.*, concipiunt animo imaginem terrorum bellicorum iam propius ad ipsam rerum veritatem accedentem.| 558. *euntis*, v. 6, 734.| 559. *Haeret*, v. vs. 124. — *inexpletus lacr.*, alii legunt *inexpletum*, v. G. 1, 163.| 560. cf. Hom. Il. 11, 670 sqq.| 561. *primam*, ergo primo, cui interfui, bello.| 562. Servius „Tarquinius Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani eorum arma succendit; quem postea secuti sunt ceteri."| 564. cf. 7, 800.| 566. *Leto stern.*, tertius casus: sternendo ad Mortem demittendus; 12, 464 „sternere *Morti*," 10, 319 „Deiecit Leto," 5, 691 „*Morti demitte*," et cf. 2, 398. Ἄϊδι προΐαψεν Homerus.| 567. v. G.

Huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o superi, et divom tu maxume rector
Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis,
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo et venturus in unum:
Vitam oro; patior quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris:
Nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sola et sera voluptas,
Conplexus teneo; gravior neu nuntius auris
Volneret. Haec genitor digressu dicta supremo
Fundebat; famuli conlapsum in tecta ferebant.
 Iamque adeo exierat portis equitatus apertis,
Aeneas inter primos et fidus Achates,
Inde alii Troiae proceres; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.
Stant pavidae in muris matres oculisque sequuntur
Pulveream nubem et fulgentis aere catervas.
Olli per dumos, qua proxuma meta viarum,
Armati tendunt; it clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt.

3, 283. | 570. *Huic capiti*, mihi, v. 2, 292 et cf. 11, 399. | 576. *vent. in un.*, conventurus. | 577. *lab.*, et „senectus ipsa morbus est,“ ut ait Terentius. — Alii *patiar.* | 578. *aliquem casum*, non quicumque is est, sed certum unumque, quem, quia atrocissimus est patri, simul etiam ominis causa, non indicat nominatim, mortem filii. | 579. *crudelem* sc. tua morte futuram, v. 2, 368. | 581. *sera v.*, ut παῖς τηλύγετος. | 583. *digr.*, v. 10, 445. | 585. *Iamq. adeo*, v. 4, 533. | 588. *pictis*, auro argentoque distinctis, nisi verum est, quod Servius antiquum auctorem secutus scribit, Arcadas usos esse scutis, in quibus imagines deorum pictae essent; cf. etiam 12, 281. 7, 796. 11, 660. — *conspectus*, conspicuus, Liv. 21, 4 de Hannibale „Vestitus nihil inter aequales excellens; arma atque equi *conspiciebantur.*“ | 589. λελουμένος Ὠκεανοῖο Hom. Il. 5, 6. | 594. *Olli*, v. 1, 254. — *qua pr. m. v.*, qua brevissimo itinere pervenitur eo, quo tendunt. | 595. *Armati* est Substantivum h. l., ut saepe, apud historicos maxime; et *Olli* ... *Armati* eo modo dictum est, de quo exposuimus ad G. 4, 457. — *agmine f.*, v. 1, 82. | 596. *Quadrup.*, qui excitatur a currente quadrupede; cf. Sil. It. 12, 564. — *putrem*, qui resolutus est in pulverem. — Ceterum attende sonum verborum citatosque numeros rei adprime convenientes, eosdemque compara cum tarditate antegressorum *Olli per dumos* ... *Armati tendunt.* | 599.

Silvano fama est veteris sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas et bello lecta iuventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Ut procul et gelido secretum flumine vidit,
Talibus adfata est dictis seque obtulit ultro:
En perfecta mei promissa coniugis arte
Munera; ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
Dixit et amplexus nati Cytherea petivit;
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille, deae donis et tanto laetus honore,
Expleri nequit atque oculos per singula volvit,
Miraturque interque manus et bracchia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis cum caerula nubes
Solis inardescit radiis longeque refulget;
Tum levis ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumque triumphos,

cavi, cavam efficientes vallem, v. G. 2, 391. — *nemus* est Accusativus et significat illum ipsum, qui modo commemoratus est, lucum. Et iunges *cingunt abiete*, ex quo per se intelligitur lucum illum aliis arboribus constitisse; v. 7, 83.| 601. *diem*, sollemnia quotannis stato die redeuntia.| 604. *locis tuta*, videntur ea castra ex parte fluvio ... vs. 610. ... cincta fuisse atque ita tutiora reddita; neque enim in colle habebant castra, sed in campo, vs. 504. — *de colle:* etsi is silvosus fuit, potuit tamen aliquo loco aut nudus esse aut per abrupta pospectum aperire.| 605. v. 4, 63 et 2, 29.| 606 sq. *Huc ... succed.*, cf. vs. 507.|| 608—731. *Venus arma a Vulcano facta defert ad filium, qui eximiam eorum pulchritudinem non potest satis admirari, inprimis clipei, in quo pars rerum Romanorum ab ortu Romuli Remique usque ad Augustum deducta cernebatur.*| 608. *aether. nimb.*, Servius „aerem numinum, scilicet purgatiorem, qui circa deos est.“| 609. *red.* v. 6, 703.| 610. Alii *egelido*, cf. vs. 610. — *procul et secretum*, ut G. 3, 238 „Longius ex altoque,“ et v. G. 2, 290. — *secretum flumine*, solum, secreto loco, ad flumen, v. 7, 226.| 612. *prom.*, cf. vs. 531. 535.| 617. *honore*, insigni pulchritudine et splendore armorum, cf. G. 2, 404. 3, 290.| 619. *int. manus*, v. 2, 681.| 620. Hom. Il. 5, 4 „*δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.*“| 622. *Sanguin.*, rutilam, quippe ex aere factam. — *qualis cum*, v. E. 8, 85.| 624. *electro*, v. 5, 663. G. 3, 522. — *recocto*, Servius „saepe purgato, quia, quanto plus coquitur, eo melius fit,“ *πανέφθῳ* Hes. Sc. 208.| 626 sqq. Conferri cum his possunt descriptiones clipeorum fabrefactorum Herculis apud Hesiodum et Achillis apud Homerum Il.

Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,
Fecerat Ignipotens; illic genus omne futurae
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam; geminos huic ubera circum
Ludere pendentis pueros, et lambere matrem
Inpavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas
Consessu caveae, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis Tatioque seni Curibusque severis.
Post idem inter se posito certamine reges
Armati Iovis ante aram paterasque tenentes
Stabant et caesa iungebant foedera porca.
Haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae
Distulerant — at tu dictis, Albane, maneres! —
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat,
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres, pontem auderet quia vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpeiae Manlius arcis

18, 483 sqq. | 627. *vatum*, fatorum, quae vates dii cecinerant; alii *fatum*. | 630. *et*, praeter cetera. — Quae exposita sunt vss. 630—674, ea omnia in ora clipei efficta erant, res Augusti (675 sqq.) in medio. | 632. cf. Liv. 1, 4. | 632 sqq. Ovid. Fast. 2, 418 sq. de eadem lupa „fingit lingua corpora bina sua. Marte satos scires: timor afuit.“ | 634. translatum hoc a consuetudine bestiarum, pullos lingua mulcentium, ut munda et lēvia fiant corpora. | 635. *sine more*, quippe violato iure gentium. | 636. *caveae*, circo hic tribuitur cavea, quae propria est theatri. — *Circens.*, Consualibus id factum esse ait Livius 1, 9. Ludi autem Consualia iam Tarquinio Prisco rege cesserunt ludis Circensibus, quos *magnos* poeta appellare videtur a Ludis Magnis, quos ideo quidam magnos dictos putant, „quod Conso consiliorum secretorumque deo, i. e. Neptuno, et Diis Magnis, i. e. Laribus urbis Romae, dati sunt, quibus ludis aiunt raptas Sabinas, ut videatur propter hoc dicere Virgilius: magnis Circensibus actis.“ Haec Ascon. Pedianus, interpres Ciceronis. | 637. *consurgere* sc. *fecerat*, quod latet in verbo *Addiderat*, et cf. vs. 630 sqq. | 638. *sev.*, severissima Sabini utebantur disciplina, cf. G. 2, 532. | 641. foedera icebantur caeso porco porcave; formulam antiquam in ea re sollemnem exhibet Liv. 1, 24. Ceterum v. G. 1, 479. | 642 sqq. cf. Liv. 1, 27. 28. | 643. v. 2, 160. velles manere *tum, cum te distulerunt*, v. 11, 153. | 646 sqq. cf. Liv. 2. 9 sqq. | 647. v. G. 2, 441. | 651. *vinclis ruptis*, Servius „atqui obsides non ligabantur; sed vincla pro custodiis accipiamus;“ itaque Cloelia frustrata custodes dicitur a Liv. 2, 13. | 652 sqq. Comprehendit iam poeta, quae in *summo* clipeo (in summa eius ora) expressa erant, ipsis etiam locis inter se iuncta, arcem Tarpeiam, Manlium, Capitolium

Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacae;
Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis;
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantis Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia caelo
Extuderat; castae ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios; his dantem iura Catonem.
Haec inter tumidi late maris ibat imago,
Aurea, sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis aestumque secabant;
In medio classis aeratas, Actia bella,

cum casa Romuli, Gallos denique in Capitolium escendentes. | 653. *pro templo* Iovis Capitolini; Ovid. Trist. 1, 2, 5 „Mulciber *in* Troiam, *pro* Troia *stabat* Apollo.“ | 654. *recens:* nempe culmi, quibus tecta erat casa Romuli, in auro efficti erant a Vulcano, flavi igitur et recentium speciem habentes, quales fuerunt, quibus Romulus illam texit; hinc *Romuleo culmo.* Ceterum his verbis fortasse illud tangitur oblique a poeta, quod Romani casam illam eiusque tectum, cum opus erat, reficere consueverunt. | 655. *hic*, *in summo* vs. 652. — *auratis*, nempe auro expressis a Vulcano. — *volitans*, ut solent anseres irritati. | 657. *ten.*, in eo erat, ut tenerent. | 658. *dono*, beneficio. | 660 sq. quis non meminit aurei torquis a Manlio *Torquato* homini Gallo detracti? cf. Liv. 7, 10. | 663. *Hic*, in alia parte superioris orae repraesentatae erant variae caerimoniae, mota ancilia, quod fiebat Kalendis Martiis, Ovid. Fast. 3, 373 sqq., Lupercalia, Ovid. Fast. 2, 267 sqq., pompa matronarum. — *nudos*, cinctutos Ovid. F. 5, 101, cincti tantum subligaculo ex pelle caprina facto. | 664. *Lan. ap.*, pileos flaminum cum apice laneo; ergo ipsos flamines. | 665. *sacra*, ut ea, quae Cereri et Carmenti fiebant. | 666. *mollibus*, pensilibus motuque facilibus, v. G. 2, 389. Originem causamque eius honoris matronis habiti refert Liv. 1, 25. — *Hinc procul*, puta in ima parte clipei. | 667. *ostia D.*, quia aditus ad Tartarum patet ex Orco, cf. 6, 577—579. | 668. *minaci*, ruinam usque minanti. | 669. *Pendent.*, affixum. Ceterum v. G. 1, 479. | 670. *Catonem* Uticensem propter morum sanctitatem umbrae in Elysio degentes observant tamquam regem, cuius ad voluntatem arbitriumque libenter se componant. Catonis Censorii s. maioris memoriae satisfactum est a poeta 6, 842. | 671. *Haec inter*, ergo inter superiorem inferioremque partem clipei. Haec igitur in media parte repraesentata sunt. | 673. *arg. clari*, argento candentes. | 675. *In medio* mari, non *in medio clipeo*, nam quae sunt in medio clipeo, iam vs. 671 tractari coepta sunt. Diversitas locorum a poeta declaratur verbis *In summo* 652, *Hinc procul* 666, *Haec inter* 671, nec sunt separanda, quae separare minime licet, mare et classes. At,

Cernere erat, totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus Populoque, Penatibus et magnis Dis,
Stans celsa in puppi; geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens; cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum virisque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque, nefas! Aegyptia coniunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convolsum remis rostrisque tridentibus, aequor.
Alta petunt; pelago credas innare revolsas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum
Spargitur: arva nova Neptunia caede rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro;
Necdum etiam geminos a tergo respicit anguis;
Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis

dices, haud ita procul a litore tum pugnatum esse constat, non in medio mari Ionio. Nempe medium h. l. dicitur id, quod ab utraque ora clipei pari distat intervallo; et respondent sibi *circum* (vs. 673, i. e. a dextra laevaque) et *In medio*. — *cl. Act. bella*, repraesentantes pugnam Actiacam. | 676. *Marte*, classe. | 677. *Ferv.*, v. 4, 407 et G. 1, 456. — *Leucates*, promontorium Leucadiae non longe remotum ab Actio, oppido et promontorio Acarnaniae. — *auro*, aureo splendore armorum. | 679. v. 3, 12. | 680. galea utrimque fulgorem emittit flammeum, v. vs. 620. | 681. *Laeta*, ad splendorem hoc spectat, ut 1, 591. — Augustus Iulii sideris causa, de quo v. E. 9, 47, stellam in vertice galeae gerebat. — *aperitur*, cf. 3, 275. | 684. corona rostrata Agrippa donatus est victo anno 718 Sext. Pompeio, idque insigne tanto gloriosius fuit, quod nulli ante eum datum est. | 685. *Hinc* sc. veniens. — *ope barb.*, v. 7, 284. | 686. *Victor a populis*, qui victoriam ab s. ex iis reportavit; gesserat bellum cum Parthis et Armeniis haud infeliciter. | 688. *nefas*, quod Romanus Aegyptiam, Cleopatram, in matrimonium duxerat adeoque in castris secum habebat. | 689. *ruere*, impetu ferri. — Ovid. Met. 11, 461 „reducunt ad fortia pectora remos." | 691. *Alta petunt* relicta scilicet, in qua fuerant, statione. | 693. *t. puppibus*, qui est sextus casus, ad illustranda illa *tanta mole* adiectum; in soluta oratione diceres „tanta mole navium earumque turritarum instant sibi invicem." Turres in puppibus excitare Romanum fuit inventum, habueruntque turritas et Octavianus et Antonius. | 694. *Stupp. fl.*, stuppa incensa, v. 7, 463 et intelliguntur malleoli, cf. Liv. 38, 6. — *telisq. v. f. sparg.*, telorum iactu in omnes partes volat ferrum. | 695. *nova c. rub.*, incipiunt caede rubescere, v. E. 8, 29. | 696. Vide acerbitatem dicti ex indignitate rei natam; sistri enim usus erat in ludis et choreis apud Aegyptios; cf. Propert. 3, 11, 41—43. — *vocat*, signum sequendi dat, quod apud Romanos classico dabatur. | 697. erant a tergo Cleopatrae duo serpentes caelati, qualis instaret ei vitae exitus, significantes. | 698. Omnigenae hi dei appellantur, quia non unam communemque hominum faciem gerebant, sed diversa

Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors,
Caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare et laxos iam iamque inmittere funis.
Illam inter caedes pallentem morte futura
Fecerat Ignipotens undis et Iapyge ferri;
Contra autem magno maerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Caesar, triplici invectus Romana triumpho
Moenia, dis Italis votum inmortale sacrabat,
Maxuma ter centum totam delubra per Urbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere iuvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum aptatque superbis

capita variorum pecorum, ut videantur ex multiplici genere beluarum nati; quid, quod Apis verus fuit taurus. — *et l. A.*, v. 9, 811. | 701. *ex. aeth.*, volantes igitur, cf. 7, 408; videtur autem poeta ita interpretatus esse Homericum illud *ἠεροφοῖτις Ἐρινύς* Il. 19, 87, simulque Hesiodum respexisse Scut. 248 sqq. | 705. *Desuper*, ab Actio, v. 3, 275. — *eo t.*, v. 2, 171. — Antonio omnes fere reges orientales Romano imperio vicini adfuerunt socii, et poetae de Indis adeo loquuntur ab Octaviano devictis, quibus Seras addit Horat. 1, 12, 56. | 707. *videb.*, *ἑωρᾶτο*. — *vent. voc.*, v. 3, 253. | 708. *lax. inmitt. f.*: habenae immittuntur (i. e. laxantur) equis, quos ad currendum incitamus; hinc ipsi equi immitti dicuntur 5, 146 sq.; inde *classi immittere habenas* 6, 1, et „palmes laxis per purum immissus habenis“ G. 2, 364; ergo *funes immittere velis* i. q. navium cursum incitare laxatis funibus et rudentibus (10, 229), quo magis turgeant sinus velorum. — *iam iam*, v. 4, 371. — Ceterum haec ad fugam pertinent, quam parat Cleopatra, id quod cum ea, quae modo dicta sunt, testantur, tum illud, quod expanduntur vela, quae ante ipsam pugnam contrahuntur. Itaque bis repraesentata est Cleopatra cum parte classis (item Augustus) in eo clipeo, quod quam commode fieri potuerit non exputo. | 710. *Iap.*, cf. Horat. Od. 1, 3, 4. | 711. *Contra*, ex adverso. | 714 sq. *inv. moenia*, ut 7, 436. — *triplici tr.*, Dalmatico, Actiaco, Alexandrino, et trinis deinceps diebus triumphavit, cf. Sueton. Aug. c. 22. | 716. *ter centum*, v. 4, 510; plurima templa vel fecit vel refecit Augustus variis temporibus, cf. Sueton. Aug. c. 29. Liv. 4, 20. | 717. Quanta populi Rom. laetitia exceptus sit post reditum Augustus, declarat Vellei. 2, 89. — *ludis* „*compitaliciis*“ ait Servius. | 718. Supplicatio matronarum. — *omnibus arae*, arae, ut vs. proximus docet, in quibus exta cremabantur; eae non in templis erant, sed ante templa; ergo hoc *omnibus* Dativus est. | 720 sqq. sedens sub porticu et aditu templi Apollinis Palatini prospectabat succedentem pompam triumphalem. | 721. *Dona populorum* devictorum, coronas aureas; *recogn.*, recenset, quae sint cuiusque populi; Liv. 26, 49 „Scipio

Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis;
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.
Talia per clipeum Volcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque et fata nepotum.

AENEIDOS

LIBER NONUS.

(Accessus Turni ad castra Troianorum absente Aenea. — Naves Troianorum mutantur in Nymphas marinas. — Nisus et Euryalus. — Oppugnatio castrorum.)

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divom promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.
Aeneas, urbe et sociis et classe relicta,

recensuit captivos, quot cuiusque populi essent." | 724. *disc.*, cf. Liv. 35, 11. — *Afros*, qui in Antonii exercitu fuerant. | 726. *mollior u.*, leniore amne, ut domitus ab Augusto, et v. G. 3, 30. | 727. cum Dalmatico ... v. vs. 714. ... coniunctus est triumphus de Morinis populisque quibusdam Galliae et Germaniae. — *Extr. hom.*, longissime versus occidentem habitantes; „Ultimi hominum existimati Morini," Plin. N. H. 19, 1, 2. Mela 3, 2. — *Rh. bic.*, i. e. et ipse Rhenus et qui ex eo nascitur Vahalis. | 628. *Dahae*, populus Scythicus in orientali litore maris Caspii habitans. — *Araxes*, v. G. 3, 30; Servius „Araxi Alexander Magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt; postea Augustus firmiore ponte eum ligavit, unde ad Augusti gloriam dixit *pontem ind. Arax.*" | 731. *fam. et f. nep.*, ipsum scilicet clipeum, in quo effícta erant fata resque gestae posterorum suorum inprimis memorabiles.

Aeneid. L. IX. 1—76. *Interea Turnus monitu Iridis ab Iunone missae cum exercitu accedit ad castra Troianorum; qui cum munimentis se teneant, iaculatur ignem in classem castrorum lateri adiunctam.* | 4. *parentis*, i. e. abavi, cf. 10, 619. *parens* pro avo Ovid. Met. 5, 237. | 5. Iris filia Thaumantis, qui est filius Ponti Tellurisque. | 6. *optanti* tibi. | 7. *dies*, tempus, quod varias rerum opportunitates affert; *volv.*, v. 1, 269. — *ultro* fit, quod nulla nostra

Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes
Lydorumque manum collectos armat agrestis.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnis et turbata arripe castra.
Dixit, et in caelum paribus se sustulit alis
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Adgnovit iuvenis, duplicisque ad sidera palmas
Sustulit, et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde haec tam clara repente
Tempestas? medium video discedere caelum,
Palantisque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans, oneravitque aethera votis.
Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equum, dives pictai vestis et auri;
Messapus primas acies, postrema coercent
Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus;
[Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.]
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus
Cum refluit campis et iam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis.


opera, nullo nostro consilio se dat, ut 5, 55.| 9. *Sceptra sedemque*, regiam. — *Palat.*, v. 8, 53. — *petit E.*, v. 7, 398. Et Praesens significat rem nondum plane absolutam; nondum enim redierat Aeneas ex eo itinere.| 10. *Cor. urbes*, significatur hic Etruria; v. 3, 170.| 11. *Lydor. m.*, cf. 8, 479 sq. — *agr.*, cf. vs. 608. — Alii *collectosque*.| 13. *turb arr. c.*, turba castra subito scilicet impetu et arripe, v. 3, 477.| 14. *paribus*, v. 4, 252.| 15. v. 5, 658.| 18 sq. *nub. act.*, quia semper, cum apparet in caelo, insistit nubibus.| 20. Discessus caeli in ostentis portentisque habebatur, Cic. de Divinat. 1, 44. 2, 28.| 21. *Sequor*, alii *Sequar*; Praesens indicat rem, quam exsequi consitutum est apud animum nostrum, cf. 10, 442. 12, 13.| 22. v. 5, 504.| 23. precaturi manus ante lavabant; decet enim purum castumque preces concipere.| 26. *pict. v. et a.*, vestis auro intertextae, v. G. 1, 173.| 28. *Tyrrh.*, cf. 7, 484.| 30. Donatus „Silentio fuerat veniendum, ut insperati (vs. 49) effusos et incautos hostes invaderent. Idcirco, quia tacito agmine incedebat Turnus, comparationem dat poeta duorum fluminum, Gangis et Nili.“ Servius „Intelligemus hunc exercitum primo confuse in campos ruisse, post digestum in ordines, ut sit sequentium fluminum congrua comparatio.“ Uterque recte. — *surgens*, increscens septem fluviorum aqua; et numerantur hodie a geographis septem magna flumina in Gangem influentia; auctus autem undique tanta mole aquarum incedit tacitus et sedatus, more copiosorum fluminum; nam sedati amnes illi dicuntur, quod in Gangem effusi sine turba et strepitu cum Gange labuntur.| 31. *Per tac.*, tacite, et repete verbum *it* e vs. 25.| 32. *refl. c.*, v. G. 4, 88. Et verba *redire*, *recurrere*, *reducere*, *referre*, ut *refluere* h. l. et alia similiter composita, saepe

Primus ab adversa conclamat mole Caicus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros,
Hostis adest, heia! Ingenti clamore per omnis
Condunt se Teucri portas et moenia conplent.
Namque ita discedens praeceperat optumus armis
Aeneas: si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Obiiciunt portas tamen et praecepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus et urbi
Inprovisus adest; maculis quem Thracius albis
Portat equus cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem —?
En, ait. Et iaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnae, et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda:
Non aequo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille asper et inprobus ira
Saevit in absentis; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies et siccae sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet,

ad res, inprimis naturales, referuntur, quae statis vicibus redeunt. | 35. *mole*, turri; *adversa*, quae erat ab ea parte, qua accedebant hostes. | 36. *globus*, conglomerata nubes pulveris. | 37. v. 4, 594. | 38 sq. recipiunt se Teucri intra muros. | 41. si quid accideret, si forte ad pugnandum lacesserentur; et v. 2, 136. | 48, *et:* adest comitatus et adest improvisus. | 49. *Thracius*, v. E. 1, 55. | 51—53. Tangitur his versibus vetus mos Romanus. Postquam Patres, ut bellum fieret, consenserant, mittebant fetialem, qui, tribus pluribusve puberibus praesentibus ... quo spectant illa: *Ecquis erit mecum* ..., hastam sanguine infectam in fines hostium emitteret; Liv. 1, 32. — *qui primus in h.* emittat iaculum; nempe id, quod solus facit Turnus, tribuitur etiam iis, quorum praesentia in eo negotio opus fuit. — *Princip. p.*, signum incepti belli. | 54. *excip.* non eum, sed eam rem. | 57. *fovere*, v. G. 3, 420. | 59. v. 1, 148. — cf. Hom. Od. 6, 130 sqq. | 62. *inprob.*, v. G. 1, 119. — ira saevit, cum non possit caede; Petron. c. 123 „absentem votis interficit hostem.“ adde Val. Fl. 3, 589. | 66 sq. *dolet*, quod non videt, *qua ratione tentet aditum;* v.

Qua temptet ratione aditus, et quae via clausos
Excutiat Teucros vallo atque effundat in aequum.
Classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis,
Invadit, sociosque incendia poscit ovantis,
Atque manum pinu flagranti fervidus inplet.
Tum vero incumbunt; urguet praesentia Turni;
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen
Taeda et commixtam Volcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignis?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his adfata Iovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea silva mihi, multos dilecta per annos;
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio iuveni, cum classis egeret,
Laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius angit.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Neu cursu quassatae ullo neu turbine venti
Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?

2, 4.| 67 sq. *et* (si aditus non detur) *quae via Excutiat T.*, pro eo, quod vulgo dicitur: qua via (quo modo) excutiantur vel excuti possint.| 69 sq. Puta hanc fuisse locorum faciem:



a .. *a* fluvius, *b* .. *b* agger, *c* castra, *d* classis subducta, † .. † .. † sinistra pars castrorum vs. 468.| 72. *pinu*, v. 7, 397.| 75. *focos*, sive quos Rutuli extemplo exstruxerunt, sive qui fuerunt in propinquis vicis. — *piceum*, v. 6, 593.|| 79—122. *In tanto discrimine Cybele naves convertit in deas marinas.* — Ipsa conversio navium veteri fama celebrabatur apud Romanos; exornatio rei tribuitur Musis, veterum obscurarumque rerum notitia accuratiore impertientibus animos poetarum.| 79. *Prisca ... perennis:* facti huius antiquissima est fides, et potuisset vitio vetustatis intercipi, sed fama eam per omnes aetates propagavit. Sic fere Donatus.| 81. v. 5. 8.| 81. v. 6, 785. Ida quoque sacra Cybelae.| 84. *dom. Olympo*, ergo cum sis domitis Titanibus rex Olympi possisque omnia.| 85 sqq. Pinea silva mihi est in Ida, et in vertice *(arce)* eius montis lucus fuit piceis aceribusque consitus. Et ait *fuit*, quia iam caesae erant eae arbores ab Aenea; *ferebant* autem, sc. donec stabat Troia.| 89. Alii *anx. urguet.* Lucret. 3, 1006 „Quem volucres lacerant atque exest *anxius angor.*" Cic. Tusc. 4, 12 „Differt *anxietas* ab *angore*; neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec, qui anxii, semper anguntur."| 93. v. 4, 269.| 94. *quo f. v.:* „ostendit fata posse aliquatenus trahi, non tamen usquequaque."

Mortaline manu factae inmortale carinae
Fas habeant, certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios olim, quaecumque evaserit undis
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam magnique iubebo
Aequoris esse deas, qualis Nereia Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies et tempora Parcae
Debita conplerant: cum Turni iniuria Matrem
Admonuit ratibus sacris depellere taedas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus
Idaeique chori; tum vox horrenda per auras
Excidit et Troum Rutulorumque agmina conplet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis,
Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutae,
Ite deae pelagi; genetrix iubet. Et sua quaeque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis
Delphinumque modo demersis aequora rostris
Ima petunt. Hinc virgineae, mirabile monstrum,
[Quot prius aeratae steterant ad litora prorae]
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.
Obstipuere animi Rutulis; conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci Turno fiducia cessit:
Ultro animos tollit dictis atque increpat ultro:
Troianos haec monstra petunt; his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit, non tela neque ignis
Exspectans Rutulos. Ergo maria invia Teucris,

Servius. — *istis* navibus, in gratiam earum.| 96. *Fas immort.*, ius aeternitatis. — *incerta p.:* fatum hanc naturam attribuit mari, ut omnis navigans casibus periculorum obnoxius sit.| 98. *def.*, cf. 6, 83. — Alii *fines.*| 99. *quaec.*, 15 ex 20.| 104. v. 6, 324.| 105. *ripae torrentes* pice sunt fluminis rapidi et pice aestuantis.| 106. cf. Hom. Il. 1, 528 sqq.| 108. *Deb.*, v. 8, 375.| 111 sq. cf. Ovid. Met. 14, 530 sqq.| 112. *Id. ch.*, v. 3, 111.| 117. *Et*, v. 5, 504.| 118. *puppes*, cf. 6, 3—5.| 122. *Redd. se*, rursus emergunt.|| 123—167. *Turnus suos eo portento obstupefactos callida interpretatione confirmat et prope iam exacto die corpora curare vigiliasque agere iubet.*| 124. *Mess.*, cf. 8, 6.| 125. cf. 8, 240.| 127. *Ultro*, v. G. 4, 204.| 129 sq. *tela ignes-*

Nec spes ulla fugae; rerum pars altera adempta est;
Terra autem in nostris manibus: tot milia, gentes
Arma ferunt Italae. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges prae se iactant, responsa deorum:
Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniae Troes. Sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem
Coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est! — peccare fuisset
Ante satis — penitus modo non genus omne perosos
Femineum! — Quibus haec medii fiducia valli
Fossarumque morae, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignis?
Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
Apparat et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protinus omnes
Etrusci socios. Tenebras et inertia furta
[Palladii, caesis summae custodibus arcis,]
Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo;
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decumum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus

que, i. e. faces eminus mittendae.| 131. *rer. p. alt.*, mare s. fuga per mare.| 132. Alii *in manibus nostris*. — *tot*, v. E. 1, 12.| 136 sqq. Ut Graeci Fato volente Troiam everterunt ob raptam Helenam, sic ego ob similem causam Fato auctore hos perimam.| 138. cf. Hom. Il. 9, 340 sqq.| 140 sq. Abrupta et concisa oratio, qualis convenit animo exasperato. — *Sed p. s. s. est:* haec cum ironia quadam dicta sunt, quasi indignum sit bis eosdem perire. — *p. fuisset ante satis*, debuerat illis ante (rapientibus Helenam) satis esse peccare. — *penitus* ... *Femineum*: Accusativus cum Infinitivo, quo utebantur mirabundi atque indignabundi; Liv. 45, 38 „Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africae! Literni sepulcrum ostendi!“ — *modo, ἄρτι.*| 142. *Quibus* cum emphasi quadam, *Atque his*, ut apud Catull. 3, 11. Soph. Oed. R. 399, et v. 3, 10.| 145. *N. f. m.*, cf. Hom. Il. 21, 446 sq.| 146—158. Postquam, contemnens illa munimenta, ne moenia quidem Troiae ab ipso Neptuno fabricata Troianis praesidio fuisse ostendit, expugnaturum se castra promittit, ac suos cohortatur, ut se sequantur; sed ita eos hortatur, non ut statim aggrediantur vallum, sed ut vi ferroque, nulla praeterea arte, rem gerant. Interea consumto prope die corpora curare iubet pugna in crastinum dilata.| 148. *arm. Volc.*, qualia is fecit Achilli.| 150. insidias nocturnas, quales Graeci struxerunt Troianis, cf. 2, 250—255.| 153. *igni*, quo incendamus turres tectaque domorum.| 155. *distulit*, moratus est.| 156. *Nunc adeo*, v. 4, 533.| 157. *Quod superest*, sc. ut fiat; non *quod superest diei*; cf. G. 2, 346. — *bene g. reb.*, quod timorem incussistis

Procurate, viri, et pugnam sperate parari.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo et moenia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis iuvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino et vertunt crateras aenos.
Conlucent ignes; noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Haec super e vallo prospectant Troes, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontisque et propugnacula iungunt,
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida
Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis;
Et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma,
Ora puer prima signans intonsa iuventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum invadere magnum

hostibus.| 158. Servius „a me parari sperate, i. e. pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant.“ Alii *parati.*| 159—161. portas et moenia s. muros hostium scilicet.| 161. *serv.*, v. G. 1, 335.| 164. Discurrunt suum quisque praesidium occupaturi; deinde (*variant vices*) alius alii succedit in stationem.| 165. *vertunt*, inclinant, infundentes vinum in pocula.|| 168—223. *Dum duces Troiani faciunt, quae pertinent ad tutanda castra, Nisus cum Euryalo communicat consilium subito sibi natum evadendi per castra hostilia rerumque nuntium ad Aeneam perferendi.*| 170. Intellige turres ante murum s. vallum positas, pontibus cum muro iunctas, cf. 12, 674 sq.| 171. *gerunt*, afferunt, cf. Liv. 28, 19.| 172. *adv.*, pericula, *voc.*, provocarent ad ipsa subeunda ac propulsanda.| 174 sq. ad arcendum periculum milites sortito succedentes munus suum quisque obeunt; *vices* munus certo homini certisve hominibus iniunctum; *vices, quod*, vices eius rei, quae cuique tuenda est, s. id muneris, quod c. t. e., et v. E. 2, 71.| 178. *Venatr.*, ergo Nympha, quae fuerat comes Dianae. — *iaculo celerem*, vehementer concitantem iacula, quod est et peritiae et virium, Hom. Il. 12, 306 „*ἔβλητ᾽ ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.*“| 181. *pr. iuventa*, intellige lanuginem.| 182. v. 5, 308 et 830.| 184 sqq. Magnum aliquid audere gestio sive deo aliquo instigante, sive mei animi impetu.| 185. *dira*, quae nos caecos inconsultosque in pericula vocat.| 186. *aliquid*, v. 2, 48.|

Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant; somno vinoque soluti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro,
Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt, mittique viros, qui certa reportent.
Si, tibi quae posco, promittunt, — nam mihi facti
Fama sat est, — tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et moenia Pallantea.
Obstipuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:
Mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes,
Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,
Magnanimum Aenean et fata extrema secutus:
Est hic, est animus lucis contemptor, et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad haec: Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas; non: ita me referat tibi magnus ovantem
Iuppiter, aut quicumque oculis haec aspicit aequis.
Sed si quis — quae multa vides discrimine tali —
Si quis in adversum rapiat casusve deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior aetas.
Sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum
Mandet humo, solita aut si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro.
Neu matri miserae tanti sim caussa doloris,
Quae te sola, puer, multis e matribus ausa
Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.
Ille autem: Caussas nequiquam nectis inanis,

189. Alii *sepulti.* | 191. *dubitem*, animo volvam. | 193. *reportent* non ad ipsos, qui obsidentur, sed ad Aenean; sic recitat, qui scripta vel memoria comprehensa pronuntiat; refert, reportat, qui visa vel audita nuntiat et voce quasi repraesentat, et v. 3, 717. | 194. *posco*, v. vs. 21. — *Si promittunt*, *videor*, v. 2, 349. | 196. v. 2, 234. | 201. cf. Hom. Il. 7, 198 sq. | 203. *talia*, sc. quorum causa repudies me socium. | 204. *fata* Aeneae, *extrema*, quae deleta Troia sunt insecuta. | 205. *hic*, v. 2, 292. — *et ... qui*, et talis, qui *cet.* | 206. *bene*, non magno pretio. — *quo*, ad quem, sc. honorem. | 209. *aequis*, propitiis, ut vs. 234. | 210. cf. 7, 200. | 213. *me raptum p.*, corpus occisi subductum e pugna; notum illud *ἐρύειν νεκρούς* apud Homerum, nota etiam *ἄποινα νεκρῶν*, cf. Iliad. 24, 137. | 214. *solita Fort.*, qualis etiam ante in tali casu esse consuevit dea illa „saevo laeta negotio,“ ut est apud Horat. Od. 3, 29, 49. Val. Fl. 3, 45 „soliti rediere Pelasgi,“ non, qui redire, sed qui ante ibi versari soliti erant, nisi forte potius: quales esse solent, perfidi, ut supra 2, 106. | 217. cf. 5, 711—18 et 750. | 219. *nectere* est inter se implicare; quae autem ita implicata

Nec mea iam mutata loco sententia cedit.
Adceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt servantque vices; statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnis animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum:
Ductores Teucrum primi et delecta iuventus
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Aeneae iam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant;
Rem magnam, pretiumque morae fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,
Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis,
Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portae, quae proxuma ponto;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur; si fortuna permittitis uti,
Quaesitum Aenean et moenia Pallantea:
Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,
Adfore cernetis. Nec nos via fallet euntis:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem

sunt, difficiliora sunt ad solvendum; quare transfertur hoc verbum, ut Graecum πλέκειν, ad dolos, fraudes, insidias, quae res difficiles sunt ad expediendum; itaque *causas nectere* valet i. q. praetexere aliquid capiendi alterius causa.| 221. *simul*, v E. 6, 26.| 222. v. vs. 175.| 223. *regem* Ascanium, regium puerum.|| 224—313. *Aperiunt Nisus et Euryalus propositum suum ducibus Troianorum forte ad consultandum congressis collaudatique cum promissis praemiorum praesentibusque muneribus exeunt.*| 226. *del. iuv.*, tangitur mos ducum Romanorum, qui praeter legatos tribunosque interdum etiam centuriones omnium ordinum equitesque ad consilium adhibebant. — Alii *et* omittunt, cf. vs. 309.| 230. Donatus „*campus* spatium intra castra constitutum ad tractatus necessarios;“ ergo locus in castris Romanis, qui appellabatur *Principia.*| 231. Iunge *alacres orant* et *confest. admitti.*| 232. *Rem esse magnam.* — *morae* consiliis illorum allatae.| 233. *trepidos*, festinos.| 234. *aequis*, v. vs. 209.| 235. *spect. ab a.*, Terent. Andr. 4, 1, 22 „tuum animum ex animo spectavi (*iudicavi*) meo.“| 237. *insidiis*, ad fallendos clandestino egressu Rutulos caedemque in castris eorum faciendam.| 238. *in biv.*, quod excipiebat porta castrorum egressos, et cf. vs. 372.| 241. *Quaesitum* Supinum est: ut quaeramus.| 243. *Adfore* (*nos* scilicet) tempus Infinitivi accommodatum ad tempus Verbi regentis; in soluta oratione dixeris *adesse cernetis.* Ac si de reditu potissimum ageretur, *huc* dicendum fuit, non *hic;* quare *hic adfore cernetis* non est i. q. huc reversos cernetis, sed hic ante ora vestra constitutos; hoc pertinet ad Nisum et Euryalum, *huc* referendum esset ad Aeneam, quem non spoliis insignem reverti interest, sed omnino redire.| 244. *Vid. sub v.*, i. e. *in* vallibus versantes vidimus; *sub* posuit poeta, quod agitur de loco depressiore, v. 1, 680.

Venatu adsiduo et totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum talis animos iuvenum et tam certa tulistis
Pectora. — Sic memorans humeros dextrasque tenebat
Ambòrum, et voltum lacrimis atque ora rigabat. —
Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis
Praemia posse rear solvi? pulcherrima primum
Di moresque dabunt vestri; tum cetera reddet
Actutum pius Aeneas atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis
Assaracique Larem et canae penetralia Vestae
Obtestor, — quaecumque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis, — revocate parentem,
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba,
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
Cratera antiquum, quem dat Sidònia Dido;
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori et praedae dicere sortem:
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentis
Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.

— *prim. urb.*, i. e. primam urbis partem, obversam illam his vallibus.| 245. *Ven. ads.*, Ablativi absoluti: dum assidue venamur, vidimus urbem et amnem cognovimus.| 246. *annis gr.*, Theocr. 24, 100 „πολλοῖσι βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς.“ — *animi m.*, v. G. 4, 491.| 247. v. 2, 703.| 248. *tamen*, v. E. 10, 31.| 249. *Cum tulistis:* Indicativum posuit poeta in re, quam certam exploratamque esse e re nata intelligitur; Cic. Ep. ad Fam. 15, 11, 2 „De *tua fide* et *benevolentia* in nos nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus haec tibi; quae profecto, *cum istum animum habes*, in optimam partem accipies.“ id. pro Mil. c. 36 „Te quidem, *cum isto animo es*, satis laudare non possum.“ — *tulistis*, protulistis; deorum enim beneficio nascuntur talia ingenia. — *certa*, ad quidvis audendum parata, *entschlossen*. Quod ante indefinite dictum est *talis animos*, illustratur verbis *tam certa pectora.*| 250. Quomodo id fieri potuit? Nempe alteri inhaerebat Aletes post alterum, et sinistram imponebat humero, dextra dextram amplectebatur.| 252. *laud.*, laus apud poetas saepe est virtus factis probata atque illustrata, Ovid. Met. 8, 262 sq. „iam lamentabile Athenae Pendere desierant Thesea *laude* tributum.“| 255. *int. aevi*, in ipso flore aetatis constitutus; et v. G. 4, 491.| 257. *sola s. g. r.*, nulla salus nisi genitore r.| 258 sq. Horum deorum beneficio maxime continebatur salus urbis imperiique.| 259. *canae*, ut antiquissima religione cultae.| 260. *fides*, fiducia rerum.| 263. *asp. s.*, v. 5, 267.| 264. *Arisba*, oppidum Troadis.| 265. *magna*, v. 5, 248.| 266. *quem dat*, i. e. quod donum est Didonis, v. E. 8, 45.| 268. *victori*, sc. mihi, cf. vs. 271. — *dicere s.*, constituere et tribuere suam cuique partem. Alii *ducere*.| 271. *Exc. sorti*, dabo praeter

Praeterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio et comitem casus conplector in omnis.
Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;
Seu pacem seu bella geram, tibi maxuma rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantum fortuna secunda
Haud adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
Hanc ego nunc ignaram huius quodcumque pericli est
Inque salutatam linquo; Nox et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem et succurre relictae.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnis. Percussa mente dedere
Dardanidae lacrimas; ante omnis pulcher Iulus,
Atque animum patriae strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusae

sortem tibi debitam, γέρας ἐξαίρετον, v. 5, 534. | 272. *matrum*, intellige mulieres captivas. | 273. *suaq. o. a.*, et quae cuique eorum sunt arma, αὐτοῖς τεύχεσιν· *sua* significat possessionem, Dativus ei Pronomini adiectus indicat, cuius ea possessio sit; cf. 6, 233. | 274. *his* est Ablativus pendens ex *Insuper*. — *quod campi*, agri portio honoris causa a populo regi assignata, τέμενος Hom. Il. 6, 193—95. — Ceterum ex multitudine ac magnitudine praemiorum apparet, quam non solum grata, sed in tanto discrimine etiam necessaria videatur opera a Niso Euryaloque promissa. | 277. *comitem* etiam ad *Accipio* referes. | 279 sq. *rerum* domi forisque gerendarum te maxime utar socio; *rerum* bello agendarum; *verborum*, deliberationis domi instituendae. | 282. *arg.*: Futurum exactum ad opinionem et propositum loquentis spectat: non spero fore (s. non committam), ut arguat; 12, 316. — *tantum f. s. H. a. cadat*, modo fortuna, quae nunc secunda est, haud adversa cadat. | 283. *super*, v. 7, 462. | 286. *exced.*, in soluta oratione diceres „quin mecum excederet;“ Eurip. Phoen. 634 „ὡς τάχ' οὐκέτ' αἱματηρὸν τοὐμὸν ἀργήσει ξίφος,“ i. e. non cessabit gladius meus, quin cruentus sit. — *moen. Ac.*, cf. 5, 750. | 287. *quodcumque est*, ita loquuntur interdum, qui per simulationem modestiae aut alia de causa rem verbis extenuant, quae magna sibi videtur aut videri debet; cf. 1, 78. | 289. *testis quod*, ut *scio quod*, Phaedr. 5, 2, 13 „*Scio quod* virtuti non sit credendum tuae.“ | 291. v. E. 10, 13. | 294. *patr. p. imago*, cogitatio suae in patrem Aeneam Aeneaeque in ipsum pietatis, excitata exemplo Euryali matrisque eius. | 296. *Sponde*: Donatus „Quidquid scis convenire meritis tuis, ante ipsam petitionem tu tibi spondere ne dubites, atque ita, ut iam te accepisse confidas.“ Cic. Ep. ad Fam. 15, 21, 2 „Quod ego non modo de me tibi spondere possum, *sed de te etiam*

Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicumque sequentur,
Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:
Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.
Sic ait inlacrimans; humero simul exuit ensem,
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protinus armati incedunt; quos omnis euntis
Primorum manus ad portas, iuvenumque senumque,
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri mandata dabat portanda. Sed aurae
Omnia discerpunt et nubibus inrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma iacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra; nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi et consule longe;
Haec ego vasta dabo et lato te limite ducam.
Sic memorat vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum,

mihi." Alii *Spondeō.*| 298 sq. *partum talem*, i. e. τὸ τετοχέναι υἱὸν τοιοῦτον. Vulgari ratione diceres: Nec parva gratia manet eam, quae talem filium peperit.| 300. *hoc*, v. 2, 292. — *ante:* Nempe id *nunc* ipse facit Ascanius, quod *ante*, si quid sanctissime adiurare vellet, pater solitus fuerat.| 301. *tibi rebusq. sec.*, pro eo, quod vulgo dicimus: tibi rebus secundis utenti.| 302. *maneb.*, servabuntur, integra erunt. Ceterum ominis vitandi causa omittit Ascanius id, quod tacitus cogitat: si non redieris, s. si te fortuna oppresserit.| 305. *habilem* ad educendum, et v. 1, 318. — *vag. apt.*, vagina incluserat, cui aptus esset ensis.| 306. *pell. h. l. exuv.*, pellem villoso leoni detractam.| 307. *permutat* cum galea Euryali.| 313. cf. 10, 652. 11, 795 et 798. Tib. 1, 4, 21 sq. et 3, 6, 27 sq. „venti temeraria vota Aeriae et nubes diripienda ferant."|| 314—366. *Magna caede dormientium hostium perpetrata Nisus et Euryalus pergunt, quo iter ducebat.*| 315. *inimica*, ipsis futura perniciosa cum ob moram interpositam (vs. 355) tum ob galeam (vs. 365 et 373) eos prodentem. — *tamen*, v. E. 10, 31. — *ante*, antequam inimica sibi esse castra sentirent.| 317. *arr.*, arrecto temone cum iugo et reclinata ad terram parte currus extrema; verbo: resupinatos, quippe binis rotis instructos.| 322. *consule*, provide.| 323. *vasta d.*, vastata dabo, vastabo, cf. 12, 437. Terent. Andr. 4, 1, 59 „iam hoc tibi *inventum dabo.*"| 324. *vocemq. pr.*, i. e. submissa voce.| 326. *Exstructus tapetibus*, recubans in alte exstructis pulvinis, qui tapetibus instrati erant. —

Rex idem, et regi Turno gratissimus augur;
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tris iuxta famulos temere inter tela iacentis
Armigerumque Remi premit aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla;
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque
Et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque iacebat
Membra deo victus; felix, si protinus illum
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans —
Suadet enim vesana fames — manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes; incensus et ipse
Perfurit ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque,
Ignaros; Rhoetum vigilantem et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti, et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam et cum sanguine mixta
Vina refert moriens; hic furto fervidus instat.
Iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
Deficere extremum et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus —
Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri —
Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat.
Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostis.
Multa virum solido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis

profl. somn., Theocr. 24, 47 „δμῶας ὕπνον βαρὺν ἐκφυσῶντας.“| 328. *pestem*, Hom. Il. 2, 858 sq.: „καὶ Ἔννομος οἰωνιστής· ἀλλ᾽ οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσσατο Κῆρα μέλαιναν, ἀλλ᾽ ἐδάμη“ cet.| 330. *prem.*, opprimit.| 334. *Nec non*, puta: interimit.| 336. *Luserat plurima*, lusibus et iocis indulserat.| 337. *deo*, Baccho, v. G. 1, 295.| 339. *Furit Nisus*, ceu leo *cet.* et cf. Hom. Il. 12, 299 sqq. — *turbans*, turbas excitans, κλονέων, ut E. 1, 12 *turbatur*, fit turba.| 343. *in medio* esse dicitur, quidquid adest paratum usuro; ergo hoc loco, qui prope cubantes se trucidandos ei praebent.| 348. *multa m.*, Donatus „ubi vidit hominem plena morte confectum, revocavit gladium;“ Servius „cum multo cruore.“| 349. *Purp. an.*, sanguinem, quocum vita efflatur; Hom. H. in Apoll. 361 „λεῖπε δὲ θυμὸν φοινὸν ἀποπνείουσα.“ Soph. Ai. 1390 „θερμαὶ σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν μένος.“| 350. *refert*, ἀναφέρει, reiicit. — *furto*, v. 6, 568.| 354. *nimia c. a. cup.*, nimia caedis cupidine; hendiadys.| 356. *Poenar.*, caedis ad ulciscendum hostem factae.| 359. Refertur hoc a poetà ad priscam originem phalerarum, quae virtutis bellicae

Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quae mittit dona, hospitio cum iungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;
Haec rapit atque humeris nequiquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris et tuta capessunt.
Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant et Turno regi responsa ferebant,
Ter centum, scutati omnes, Volscente magistro.
Iamque propinquabant castris muroque subibant,
Cum procul hos laevo flectentis limite cernunt
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit inmemorem radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
State, viri; quae caussa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra,
Sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.
Obiiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi conplerant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita calles.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda

causa militibus ab imperatoribus dabantur: orbiculi quidam aurei argenteive cum toreumatis, qui loris ex humeris pendentibus affixi in pectoralibus (i. e. loricis) gestabantur. Testantur id monumenta vetera; cf. praeterea Sil. It. 15, 255. Sueton. Aug. 25. Tac. Hist. 1, 89. — *aur. b.*, *χρυσόηλα*, cf. Hom. It. 11, 29 sq.| 361. *mittit*, v. vs. 266. — *iungeret*, v. G. 1, 163.| 362. *nepoti* „Remulo," ait Servius; „nam quoties aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum esse intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte positum invenimus; et contra si filii vel nepotis positum nomen fuerit, praetermissum autem parentum, cognomines eos intelligamus necesse est." et cf. 7, 762. 11, 700.| 363. *Post mortem* Remuli avi venit id cingulum in potestatem Rutulorum, qui caeso in pugna nepote potiti sunt illo.| 364. *nequiq.*, v. 5, 80.| 365. *hab.*, quae facile geri capite potest, aptam capiti; v. 1, 318.|| 367—449. *Mors Euryali Nisique.*| 369. *responsa f.*, ab eo scilicet, qui praeerat exercitui versu superiore commemorato; nos ea Francogallico nomine appellamus *Rapport*. — Alii *regis.*| 370. *Ter cent.* Servius „quia Romani equites (*Celeres*) primo trecenti fuerunt. — *Volsc. mag.*, magister equitum dicitur more Romano." et v. 11, 603.| 371. *castris* Troianorum. — Alii *muros.*| 372. *flect.*, v. G. 1, 163. — *laevo lim.*, cf. vs. 238.| 374. *inmemor.*, imprudentem, qui aeream, igitur etiam in tenui luce refulgentem, galeam induisset; cautior Diomedes ap. Hom. Il. 10, 258. — *adv.*, ab ea parte, quae (lunae et) venientibus equitibus adversa erat.| 375. Alii *visus.*| 377. *tendere contra*, respondere interpretantur Servius ac Donatus.| 379. *divort.*, diverticula viarum.| 382. *Horrida*, v. 1, 165. — *dumi* sunt altiores, *sentes* humiliores et aculeati.| 383. raris intervallis *διαγλαύσσουσιν ἀταρποί*, ut ait Apollon. Rh. 1, 1281. Et *calles* sunt viae pecorum angustae ac saepe salebrosae per silvas saltusque; *semitae*, quae singulis hominibus dant iter;

Inpediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit; iamque inprudens evaserat hostis
Atque locos, qui post Albae de nomine dicti
Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat:
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum.
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar, rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae? Simul et vestigia retro
Observata legit dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, cum clamor ad auris
Pervenit ac videt Euryalum; quem iam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat et pulchram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur:
Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
Astrorum decus et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.
Dixerat, et toto connixus corpore ferrum
Coniicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure.
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque,

Niso et Euryalo eiusmodi calles pro semita fuerunt.| 385. *fall. t. r. v.*, timor faciebat, ut aberraret ab ea via, qua pergere debebat, v. 2, 737.| 386. *inprud.*, quippe immemor Euryali.| 387. *locos*: suspicabimur in ista regione aut Albanis adsignatos fuisse l o c o s (i. e. τόπους, viculos) quosdam ex hostibus captos, aut Romanis hominibus ex agro Albano post dirutam Albam divisos, eosque dici l o c o s A l b a n o s. — Alii *lacus* vel *Ac lucos*.| 388. *stab. a.*, v. 7, 512.| 397. *sub. t. t.*, ergo subito tumultu perturbatum Euryalum.| 403. *et*, quasi *torquet* vel *suspicit* praecesserit. Utuntur interdum veteres scriptores tali oratione, quae ipsa perturbata turbatam mentem vel loquentis vel agentis indicet. Sed fortasse Homerum imitatus est poeta Il. 22, 247 „ὣς φαμένη καὶ κερδοσύνῃ ἡγήσατ' Ἀθήνη," quibus comparare licebit 6, 547 „Tantum e f f a t u s et in verbo vestigia t o r s i t."| 404. *praesens succ.*, praesenti ope.| 405. *nem. cust.*, utpote eadem credita, quae Diana.| 406 sq. *si*, v. G. 1, 7. — *si auxi*, si alia ipse tuli.| 408. v. E. 7, 30.| 409. *turb. gl.*, sc. ut per eam turbam evadere possit Euryalus.| 416.

Stridens, traiectoque haesit tepefacta cerebro.
Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens inmittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum, inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
Nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor;
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
Transabiit costas et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus Leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix conlapsa recumbit:
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnis
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
Proturbant. Instat non setius ac rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimum sese proiecit amicum
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli inmobile saxum
Accolet inperiumque pater Romanus habebit.

Div., alii alio. | 421. *ardens*, scilicet ulciscendi cupiditate. | 427. *Me*, *me*, sc. petite. | 428. *mea fr. o.*, quidquid fraudis in vestram perniciem moliti sumus, meo consilio susceptum est. | 429. *Nec pot.*, propter aetatem. | 430. *Tantum*, nihil ille fecit, nisi *cet.* | 433. Qui proni ex editiore loco cadunt (1, 116. 10, 403. 11, 640. 889) aut stantes erectique deiiciuntur sternunturque, volvi dicuntur, 12, 329 „Semineces volvit multos," adde 10, 700. Itaque *Volvitur Eur. Leto* idem est, quod *sternitur Morti*, v. 8, 566. | 435. Similiter Catull. 11, 22 sqq. | 436. cf. Hom. Il. 8, 306 sq. | 445. qui ante non quieverat, i. e. ab ulciscendi studio non destiterat, destitit *(quievit)* tum demum (exacta ultione) in morte; v. 4, 436. — *placida*, quia ultus erat suum Euryalum. | 446. *Fortunati* propter singularem fidem constantiamque iuvenilis amicitiae mortis etiam testimonio comprobatam, dignam praeconio aeterni carminis. | 449. *pat. Rom.*, Augustus; similiter de Imperatore Theodosio Ausonius Praefat. ad Theodos. vs. 21 „Tu modo te iussisse, *pater Romane*, memento." et de Augusto Horat. Od. 1, 2, 50 „Hic ames dici Pater atque Princeps." Est hoc honoris vocabulum, quare *pater Aeneas* 1, 580 et saepius, de Maecenate Horat. Ep. 1, 7, 37 „audisti rexque *pater*que." *ξεῖνε πάτερ* apud Homerum. Etsi autem ipse Augustus non

Victores praeda Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus Rhamnete reperto
Exsangui et primis una tot caede peremptis,
Serranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora seminecisque viros tepidaque recentem
Caede locum et plenos spumanti sanguine rivos.
Adgnoscunt spolia inter se galeamque nitentem
Messapi et multo phaleras sudore receptas.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Iam sole infuso, iam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat, aeratasque acies in proelia cogit
Quisque suas, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis — visu miserabile — in hastis
Praefigunt capita et multo clamore sequuntur
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem, — nam dextera cingitur amni —
Ingentisque tenent fossas et turribus altis
Stant maesti; simul ora virum praefixa movebant,
Nota nimis miseris atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque adlabitur auris
Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit;
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, et femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit, non illa virum, non illa pericli
Telorumque memor; caelum dehinc questibus inplet:
Hunc ego te, Euryale, aspicio? tune ille senectae
Sera meae requies potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,

erat aeternum regnaturus, tamen penes familiam eius perpetuum imperium fore auguratur poeta.‖ 450—502. *In castris utrisque insignis luctus, maxime matris Euryali.*| 450. *Rutuli*, potius *Latini*, cf. vs. 367 sqq.; eadem nominum confusio 11, 518. 869. 603. 618 et 629. v. etiam 10, 390. item appellat poeta *Volscos* vs. 505, qui paulo post verius Rutuli appellantur vs. 517 et 519. — *praeda*, quam ceperant de Niso et Euryalo, *spoliis*, quae Euryalus e castris Rutulorum abstulerat, cf. vs. 457.| 454. v. 9, 811.| 455 sq. *rec. c. locum*, in quo recens caedes facta.| 457. *inter se*, Voss: „*mit einander*,“ ut *inter se colloqui, ludere.*| 459. v. 5, 762.| 464. *rumores* isti spectant ad fraudem illam nocturnam.| 468 sq. v. vs. 69.| 470. *tenent f.*, proprie muros, quibus subiectae sunt fossae, quarum a transitu arcent hostem.| 471. *maesti* propter absentem in eo discrimine Aeneam.| 475. v. G. 3, 272.| 476. cf. Hom. Il. 22, 448. — *revol. p.*, resolvitur (sua sponte), quod modo texuit.| 477. v. E. 2, 24.| 481. *Hunc*, talem, et mortuum et ita habitum. — *ille ... requies*, quem

Adfari extremum miserae data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis
Alitibusque iaces! nec te tua funera, mater,
Produxi, pressive oculos, aut volnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urguebam et tela curas solabar anilis.
Quo sequar? aut quae nunc artus avolsaque membra
Et funus lacerum tellus habet? Hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
Coniicite, o Rutuli, me primam absumite ferro;
Aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, maestusque per omnis
It gemitus; torpent infractae ad proelia vires.
Illam incendentem luctus Idaeus et Actor
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli
Corripiunt interque manus sub tecta reponunt.
    At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit; sequitur clamor, caelumque remugit.
Adcelerant acta pariter testudine Volsci;
Et fossas inplere parant ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros,
Qua rara est acies interlucetque corona

sperabam futurum esse senectutis meae requiem, v. 10, 862.| 484. *Adf. extr.*, v. 2, 644.| 485. *date*, Vocativus pro Nominativo, ut 10, 327. 12, 947. Tib. 1, 7, 53, attractus, quemadmodum grammatici loquuntur, a secunda persona Verbi.| 486. *funera:* funeras, ut refert Servius, antiqui eas dicebant, ad quas funus et praecipuus in funere dolor pertinet, ut matrem, sororem. — *tua ἐμφατικῶς*, ut tua funera sit ea, quae filium funeret lugeatque, cum secundum ordinem naturae filius id matri praestare debeat.| 487. *Produxi*, funus tibi duxi; Luc. 2, 298 „longum producere funus ad tumulos.“| 488. *Veste tegens*, nec veste te texi. Similiter modo quodam negligentiore, ubi Verba finita exspectes, Participia substituuntur vs. 734 sq. „Agnoscunt faciem invisam atque immania membra *Turbati* subito Aeneadae,“ i. q. eaque re turbantur; 10, 193.| 489. *quam ... urgebam et solabar curas*, i. e. quam urgens solabar curas, cf. 4, 264. 3, 354 „libabant pocula ... paterasque tenebant,“ i. e. tenentes pateras; 10, 83 „figitque volatque,“ i. e. figit volans; adde 10, 330.| 491. *funus*, v. 6, 510. — *hoc*, caput in pertica suffixum vs. 465 sq.| 492. *hoc s. t. m. sec.*, hoc ut mihi eveniret tam longo molestoque itineri operam dedi? *sequi*, *διώκειν*, ut *μεγάλα διώκων* Eurip. Bacch. 396 et supra 5, 629 „per mare Italiam sequimur.“| 493. *si q. e. pietas*, si vos, ut fas est, miseret matris infelicis.| 497. *crud.*, v. 2, 368.| 499. *infr.* v. 12, 1.| 500. v. 10, 895.| 501. *Il.*, v. E. 6, 78.| 502. *inter m.*, v. 2, 681.|| 503—589. *Dato signo coepta oppugnatio castrorum cum varia fortuna.*| 503. Litera *t* crebro repetita habet terribile quid, numeri imitantur fractum sonum tubae. Ennius parum convenienter dignitati epici carminis „At tuba terribili sonitu taratantara dixit.“| 505. v. 2, 441. — *pariter*, quia in ea re pari omnium incessu motuque opus erat, quo aptius scuta inter se connecterentur. — Volsci equites adfuerunt Turno, cf.

Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri ac duris detrudere contis,
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnis
Ferre iuvat subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt. Nam qua globus imminet ingens,
Inmanem Teucri molem volvuntque ruuntque,
Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum et fumiferos infert Mezentius ignis;
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum et scalas in moenia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quae funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco;
Et mecum ingentis oras evolvite belli.
[Et meministis enim, divae, et memorare potestis.]
Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
Opportuna loco; summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summaque evertere opum vi
Certabant, Troes contra defendere saxis
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri; quae plurima vento
Corripuit tabulas et postibus haesit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quae peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito et caelum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, inmani mole secuta,
Confixique suis telis et pectora duro

7, 803 sq., quorum nullus in testudine facienda usus; sed v. vs. 450.| 510. *detrud.* hostem.| 512. *inf. pond.*, infesta dicuntur omnia, quae vim hostilem minantur.| 517. *Rut.*, v. vs. 450.| 518. *caeco M.*, tecta acie vs. 513, s. testudine.| 521. *Etruscam:* nempe ipse cum Etruscis, quos ducebat, cf. 7, 652, *faces* castris admovebat.| 525. *Vos, o C.*, unam potissimum ex pluribus Musis nomine appellat, cf. 1, 140. Hom. Od. 12, 81 sq. — *canenti*, canere instituenti, v. 6, 468.| 528. *evolvite*, *ἀναπτύσσετε*, explicate, *oras* quasi picturae alicuius convolutae, quam cum ambiant et complectantur orae, iis ipsis totam illam quasi tabulam, res istas exhibentem, significari putabis.| 529. v. 7, 645.| 530. v. vs. 170.| 536. *plur. v.*, nutrita et magna facta vento.| 540. *peste*, cf. 5, 683. — *pondere*, nempe dum omnes in eandem partem constipantur, inaequali onere turris subito inclinata procumbit.| 542. *inm. m. sec.*, superincidente in eos turri.|

Transfossi ligno veniunt. Vix unus Helenor
Et Lycus elapsi; quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat vetitisque ad Troiam miserat armis,
Ense levis nudo parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter milia vidit,
Hinc acies atque hinc acies adstare Latinas:
Ut fera, quae, densa venantum saepta corona,
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Iniicit et saltu supra venabula fertur,
Haud aliter iuvenis medios moriturus in hostis
Inruit et, qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter et hostis
Inter et arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu sociumque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem et magna muri cum parte revellit:
Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis,
Quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur; invadunt et fossas aggere conplent;
Ardentis taedas alii ad fastigia iactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portae subeuntem ignisque ferentem,
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas,
Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta;
Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus,
Turnus Itym Cloniumque, Dioxippum Promolumque,
Et Sagarim et summis stantem pro turribus Idan;

546. *Maeonio*, num i. q. Phrygio? cf. 4, 216, an Mesthli aut Antipho? cf. Hom. Il. 2, 864.| 547. *vetitis*, vel quae tractare commode nondum posset propter aetatem, vel quae connivente quidem matre, sed invito patre sumserat. Aliter Servius „*vetitis* lege militari, qua servi a militia prohibebantur.“| 548. v. 7, 187. — *levis*, ψιλός. — *parm. i. alba*, „quasi tiro,“ ait Servius; idem 11, 711 „*Pura parma*: tunc enim primum in bella descenderat; cum tirones pictas minime gestarent parmas.“ Delectu Romae instituto qui erant inopes natuque minimi, ... ut Helenor ..., legebantur in velites, hastam, gladium, parmam gerentes, quorum ordinem inglorium appellat Sil. 9, 331.| 551 sqq. cf. Hom. Il. 12, 41 sqq.| 558. *tecta*, pinnas muri.| 561. *ipsum P.*, ut pendebat, ὡς εἶχε κρεμάμενος.| 562. cf. Hom. Il. 12, 397 sqq.| 563. v. E. 8, 85 et cf. Hom. Il. 15, 690 sqq. 22, 308 sqq. — Alii *candentem*.| 565. *Quaes.*, v. G. 1, 206.| 566. *Mart.*, Marti sacer.| 567. *aggere*, humo aggesta.| 568. *fastigia*, turrium.| 572. *longe f. s.*, ex longinquo veniente ac propter celeritatem non provisa.| 575. *pro t.*, i. e. in turri, sed ita, ut pectus et os hostibus, tergum ipsi turri obversum esset, quemadmodum Praetor dicitur pro tribunali sedere, magistratus pro Rostris verba

Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Themillae
Strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
Ad volnus tulit; ergo alis adlapsa sagitta
Et laevo infixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animae letali volnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum matris luco Symaethia circum
Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici:
Stridentem fundam positis Mezentius hastis
Ipse ter adducta circum caput egit habena,
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugacis,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans tumidusque novo praecordia regno
Ibat et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et morti praetendere muros?

ad populum facere.| 578. *alis*, v. 12, 319.| 579. Alii *adfixa*. Cic. Tusc. 5, 24 „sidera certis *infixa* sedibus.“| 580. v. 6, 734.| 581. Nomen *Arcens*, quod non est Graecanicum, videtur indicare hominem ex Sicanorum gente, quae ex Hispania in Siciliam venerat; filium Arcentis putabimus se adiunxisse comitem Aeneae a Sicilia solventi.| 582. *P. a. chl.*, v. E. 3, 106. — *ferr. cl. H.*, splendens purpura Hispana, quae erat nigricantis coloris.| 584. *matris*, sine dubio Symaethidis nymphae, cuius mentionem facit Ovid. Met. 13, 750. — *Symaethus* fluvius in orientali parte Siciliae.| 585. *Palici* possit pro Nominativo Pluralis haberi, ut Appositio efficiatur similis ei, quae est Ecl. 7, 16 „Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum;“ sed Genetivum esse Singularis, sane raro usurpati, persuadet Ovid. Ep. ex P. 2, 10, 25 „Vidimus ... Hennaeos saltus et olentia stagna Palici.“ Palici, gemini fratres, sunt dei Siculi, Iovis et Thaliae vel Aetnae filii, quibus olim homines immolabantur, deinde sublata ea saevitia mitioribus sacrificiis placari coepti sunt; v. 7, 764.| 586. *hastis*, v. 1, 313.| 587. *Ipse*, v. 2, 394. nimirum abhorrere videri poterat funda a persona viri principis. — *adducta*, contenta.| 588. Etsi *adversus* stetit, tamen potuit fieri, ut paulum converso capite tempora percuterentur, cf. vs. 633. — *liquef.*, putabant veteres glandem plumbeam magna vi emissam ipso motu calefieri et liquescere.| 589. *arena* in muro? puta hominem ictum de muro cecidisse.|| 590—663. *Ascanius tum primum attingens bellum rem gerit prospere; laudatus propterea ab Apolline, sed ab eodem a certamine revocatus.*| 593. Causam eius cognominis ignoramus, tacent veteres interpretes. — *Cui erat ... et habebat*, v. G. 3, 283. — *minorem*: maior natu erat Iuturna.| 595. *digna* vs. 603—613, *indigna* vs. 598—602. 614 sqq.; omnino quidquid ei in buccam veniebat, v. 12, 811.| 596. *regno*, matrimonio cum regiae stirpis femina inito.| 597. *ingent.*, cf. 12, 441. — *clamore*, v. 2, 323. — *s. fer.*, v. 5, 373.| 599. *Bis c.*, primum

En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?
Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus saevoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri silvasque fatigant;
Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta iuventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne aevum ferro teritur, versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus
Debilitat viris animi mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus; semperque recentis
Comportare iuvat praedas et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Desidiae cordi; iuvat indulgere choreis;
Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocat Berecyntia Matris
Idaeae: sinite arma viris et cedite ferro.
Talia iactantem dictis ac dira canentem
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Contendit telum, diversaque bracchia ducens
Constitit, ante Iovem supplex per vota precatus:
Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,

ab Hercule. — Alii *Marti praet.* | 600. En, qui nobiscum (Italis) connubio se iungere poscunt, idque, si diis placet, bello poscunt! Spectant haec ad Laviniam, quam Turno ereptum ibat Aeneas. | 602. *fandi f.*, *ἐπίκλοπος μύθων* Hom. Il. 22, 281. | 603 sqq. En imaginem severissimae disciplinae vitaeque priscorum Italorum! et cf. G. 2, 167 sqq. — *genus* qui Casus? — *primum* in liberis, quos suscipimus, hoc primum facimus, ut eos ad flumina deferamus. | 605. *Ven.*, v. E. 5, 29. — *fat.*, v. 8, 94 et cf. Theocr. 13, 66. | 606. *spic. tend.*, proprie tenditur nervus, Hom. Od. 21, 419 „*ἕλκεν νευρὴν γλυφίδας τε,*“ idem distinctius Il. 4, 122 „*ἕλκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν καὶ νεῦρα βόεια.*“ | 609 sq. *versa hasta*, *σαυρωτῆρι*, ea utebantur pro stimulo, et cf. 7, 748. | 610. v. G. 4, 453. | 612 sq. Iunge *semper iuvat.* | 615. *Desidiae*, Pluralis, ut *discordiae*, *insaniae* multaque alia. | 616. *manic.*, cf. Cic. in Cat. 2, 10. — *hab. red.*, ut calanticae feminarum, opinor. — *mitrae*, v. 4, 216. | 617. cf. Hom. Il. 2, 235. 7, 96. | 618. *τὰ Δίνδυμα ὄρη*, Dindymus, mons Phrygiae. — *tibiae biforis* (dextrae sinistraeque communem habentium *γλωττίδα*) *e buxo* factae et *tympanorum* multus usus in sacris Cybeles. | 619. *Berec.*, v. 6, 785. | 620. *ced. f.*, discedite a ferro s. bello. | 621. *iact.*, v. 1, 102. — *dira c.*, acerbissima convicia effundentem; *canere* id quod *loqui*, sed ita, ut non vulgaria loquaris, sed magnum aliquid, ut Aeneas 4, 14 „quae bella exhausta *canebat;*“ aut invisum, ut h. l. et 11, 399 „capiti *cane* talia demens Dardanio.“ — Ceterum v. G. 1, 479. | 623. *div. br. d.*, *ἀμφοτέρῃσι διασχόμενος παλάμῃσιν* Apoll.

Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum,
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
Audiit et caeli Genitor de parte serena
Intonuit laevum; sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens adducta sagitta,
Perque caput Remuli venit et cava tempora ferro
Traiicit. I, verbis virtutem inlude superbis!
Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius; Teucri clamore sequuntur
Laetitiaque fremunt animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem adfatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
Dis genite et geniture deos. Iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident;
Nec te Troia capit. Simul haec effatus ab alto
Aethere se mittit, spirantis dimovet auras,
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisae
Armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longaevo similis, vocemque coloremque
Et crinis albos et saeva sonoribus arma,
Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
Sit satis, Aenide, telis inpune Numanum

Rh. 3, 283.| 626. *Ipse*, ἐγὼ δ' αὖ.| 627. *aur. fr.*, cf. Hom. Odyss. 3, 384. Tib. 4, 1, 15.| 628. *p. c. c. m. f.*, aequalem matri, iam adultum.| 629. v. E. 3, 87.| 631. *laev.*, v. 2, 693.| 632. *adducta*, chordae enim applicata cum hac adducitur, v. vs. 606.| 633. v. vs. 588.| 634. *verbis superbis*, similiter ut 10, 735. Sunt hae, ut ait Cic. Orat. 24 „immutatione literae quasi quaesitae venustates," tales, qualis orat. Philipp. 3, 9 „ex oratore arator factus," et 5, 4 „commentarii commenticii." v. G. 1, 479.| 636. *seq.*, prosequuntur id factum.| 637. *an. ad s. t.*, fiducia eorum augetur in immensum.| 638. Apollini partes collaudandi Iuli dantur, et quia arti sagittandi praeest (cf. vs. 655) et quod gentem Iuliam praecipuo quodam favore amplectitur. — *crinitus*, cf. Tib. 1, 4, 37 sq.| 639. *urb.*, castra Troianorum.| 641. *nova*, v. E. 8, 29.| 642 sq. Spectant haec ad Augustum, ab Iulo originem generis sui repetentem: merito hoc tuae genti dabitur, ut oriundus ex ea Augustus omnia bella finiat; id quod pertinet ad templum Iani ter ab eo clausum inprimisque ad civilia bella composita, Ovid. Ep. ex P. 1, 2, 126 „Clausit et aeterna civica bella sera."| 643. *Assar.*, v. 1, 284.| 644, *N. te Tr. c.*, tanta es virtute, ut imperium Troiae parum amplum tibi sit; Philippus ad Alexandrum apud Plutarch. I. p. 667 „Ὦ παῖ, ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην· Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ." — *simul effatus*, v. 10, 856.| 647. *Antiqu.*, cf. Ennii Med. vs. 1 „Antiqua herilis fida custos corporis." — Ceterum v. E. 2, 24.| 648. v. 10, 253. Servius „Aedituus fuit," ... domusne custos? ... „quod ingenti honore apud maiores fuit."| 652. *ardent.*, successu incensum ad alia audenda, cf. vs. 661.| 653. Alii *Aeneada.*|

Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis;
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortalis medio aspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Adgnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi
Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris;
Intendunt acris arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis; tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, cum Iuppiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.
    Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,
Quos Iovis eduxit luco silvestris Iaera,
Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos,
Portam, quae ducis inperio commissa, recludunt,
Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.
Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant,
Armati ferro et cristis capita alta corusci:
Quales aeriae liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
Consurgunt geminae quercus intonsaque caelo
Attollunt capita et sublimi vertice nutant.
Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.

655. *par. n. i. a.*, non invidet tibi, quod arcu tam bene usus es, quam solet ipse. | 657. *med. serm.* i. q. simul hoc dicens, nec adiiciens plura aut responsum exspectans, cf. 3, 277. 388. 663. | 660. *phar. son.*, Hom. Il. 1, 46. | 662. *numine*, divina auctoritate. || 664—777. *Dum ab omni parte acriter pugnatur, Pandarus et Bitias fratres freti sua virtute portam castrorum recludunt. Cadit Bitias a Turno confossus; Pandarus dum claudit portam, imprudens Turnum includit in castra cum magno Troianorum damno.* | 664. *tot. per prop. m.*, i. e. per muros, muri enim ipsi sunt propugnacula castrorum. | 665. *amenta t.*, proprie: hastas per amenta t. | 668. *pluv. Haed.*, Ablativus temporis: cum Haedi, duae stellae in signo Aurigae, in caelo conspiciuntur; horum et sub ortum et occasum graves excitari solent tempestates. | 671. *T. aq. h.*, concitat turbines cum pluvia. | 672 sqq. cf. Hom. Il. 12, 127 sqq. | 673. *Iovis luco*, sc. qui erat in Ida. — *silv.*, ergo e numero Oreadum. | 674. cf. Hom. Il. 5, 560. | 675. *quae* iis erat *comm.* | 676. *ultro*, ipsi offerentes copiam introeundi, invitant. — *moenibus*, v. 8, 178. | 677. *pro turr.*, Donatus „vice turrium, ut iam non homines dextra ac laeva, sed turres adstare viderentur;“ et *πύργον* Argivorum Ulixes Aiacem appellat apud Hom. Od. 11, 556. | 679 sqq. Collata hac comparatione cum superiore (vs. 674) operae pretium feceris, si diversitatis notas inter utramque intercedentis quaesieris. | 680. *propt.*, v. E. 8, 87. |

Continuo Quercens et pulcher Aquicolus armis
Et praeceps animi Marus et Mavortius Haemon
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portae posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus irae;
Et iam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
   Ductori Turno, diversa in parte furenti
Turbantique viros, perfertur nuntius hostem
Fervere caede nova et portas praebere patentis.
Deserit inceptum atque inmani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos.
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Coniecto sternit iaculo; volat Itala cornus
Aera per tenerum stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri volneris undam
Spumantem et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem,
Non iaculo; neque enim iaculo vitam ille dedisset;
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo; quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; conlapsa ruunt inmania membra.
Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens.
Talis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam ponto iaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit;
Miscent se maria et nigrae attolluntur arenae;
Tum sonitu Prochyta alta tremit durumque cubile
Inarime Iovis inperiis inposta Typhoeo.

685. *praec. an.*, v. G. 4, 491. | 686. fugerunt cum suo quisque agmine. | 688. *disc.*, hostilibus, Troianorum puta et Rutulorum. | 693. *nova*, novum in ea re hoc fuit, quod ante Troiani nullam eiusmodi caedem fecerant. | 696. v. 6, 337. | 697. *Theb.*, intelligenda est Thebe, oppidum Mysiae. | 699. Quomodo stomacho infixa descendere potuit in profundum pectus? quia hasta via declivi, cuspide ad partem inferiorem inclinata, ad destinatum pervenit. Similiter hasta sub alterum oculum infixa exit, ubi est rumen, Hom. Il. 5, 291 sqq. | 702. *manu*, comminus. | 704. ut iaculum auferre vitam dicitur, ita is, cui aufertur, dare vitam iaculo. Ceterum cf. vs. 706 sq. | 705. Grat. 342 „Terribilemque manu vibrata phalarica dextra Dat sonitum.“ | 706. *t. terga*, cf. 10, 482 sq., *βόειαι* apud Homer. | 707. duplici ordine squamarum aurearum, v. G. 1, 173. | 709. *clipeum*, Nominat. gen. neutr. | 710. *Eub.*, v. 6, 2. — Alii *Qualis*. | 711. Describitur structura ad arcendam vim maris inventa, constans ex magnis lapidibus (*molibus*) pulvere Puteolano ante inter se conglutinatis. | 712. *ponto*, v. E. 2, 30. G. 4, 562. | 715. *Prochyta*, insula promontorio Campaniae Miseno obiecta. | 716. *Inarime*, Pithecusa

Hic Mars armipotens animum virisque Latinis
Addidit et stimulos acris sub pectore vertit,
Inmisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt, quoniam data copia pugnae,
Bellatorque animo deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi magna converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Moenibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit recipitque ruentis,
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit inrumpentem, ultroque incluserit urbi,
Inmanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis effulsit, et arma
Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristae
Sanguineae, clipeoque micantia fulmina mittit.
Adgnoscunt faciem invisam atque inmania membra
Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternae fervidus ira
Effatur: Non haec dotalis regia Amatae;
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillen.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam;
Excepere aurae; volnus Saturnia Iuno
Detorsit veniens, portaeque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; neque enim is teli nec volneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit inpubisque inmani volnere malas.
Fit sonus; ingenti concussa est pondere tellus;
Conlapsos artus atque arma cruenta cerebro

insula, quae hodie Ischia appellatur.| 718. *vertit*, v. 6, 101.| 719. cf. 12, 335 sq. Hom. Il. 4, 439 sq. 13, 299 „τῷ δὲ (Ἄρηϊ) Φόβος, φίλος υἱὸς, ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβὴς, ἕσπετο,“ et cf. 9, 2. — *atrum*, cf. 12, 335 et v. G. 1, 129.| 721. Alii *animos*, cf. 1, 579. 5, 558.| 728. *Demens*, νήπιος Hom.| 729. *ultro*, suā ipse operā, incl.| 730. *pec. inert.*, non habentia, quo se defendant. Ceterum cf. vs. 719.| 731. cf. vs. 703. 12, 101 sq. — Alii *offulsit.*| 733. *Sangu.*, cf. vs. 270. — *clipeo*, puta varie huc et illuc moto, et cf. Hom. Il. 5, 4 sqq. 22, 134 sq. — *mittit*, v. 6, 734. Alii *mittunt.*| 735. v. vs. 488.| 737. v. 7, 56 et cf. 7, 423 sq. 11, 369.| 742. cf. 2, 547—549.| 746. *Det.*, cf. Hom. Il. 8, 311.| 748. *teli auctor*, qui mittit telum.| 749. v. 6, 734. — *cons.*,

Sternit humi moriens, atque illi partibus aequis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troes.
Et, si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque inmittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem caedisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim et succiso poplite Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum; Iuno viris animumque ministrat.
Addit Halym comitem et confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris Martemque cientis
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque.
Lyncea tendentem contra sociosque vocantem
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat; huic uno deiectum comminus ictu
Cum galea longe iacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu ferrumque armare veneno;
Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea Musis,
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharae cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos atque arma virum pugnasque canebat.
    Tandem ductores audita caede suorum
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus,
Palantisque vident socios hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique saeptus
Aggeribus, tantas strages inpune per urbem
Ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriae veterumque deorum
Et magni Aeneae, segnes, miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur et agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugna
Et fluvium petere ac partem, quae cingitur unda.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,

erigens se altius, cf. 12, 728 sq. | 763. *raptas* de corporibus confixorum. | 764. Alii *tergus.* | 767. cf. Hom. Il. 5, 678. — *qué*, v. E. 4, 51. | 769. cf. 10, 23 sq. | 771. *Inde* sc. sternit. | 772. *Vastat.*, v. G. 4, 16. | 773. *manu*, v. G. 2, 247. | 775. Hom. Hymn. 32, 20 „*ἀοιδοὶ Μουσάων θεράποντες*“ et δᾶμον *Ὑπερβορέων Ἀπόλλωνος θεράποντα* apud Pind. | 776. *num. int. n.*, intentis nervis sonos musicos edere. || 778—818. *Tandem Turnus multitudine hostium proturbatus castrisque excedere coactus in fluvium se deiicit salvusque ad suos redit.* | 781. *deinde*, ulterius. | 783. *et*, isque saeptus *cet.*, v. 5, 851. | 786.

Et glomerare manum: ceu saevum turba leonem
Cum telis premit infensis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Inproperata refert, et mens exaestuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostis,
Bis confusa fuga per muros agmina vertit;
Sed manus e castris propere coit omnis in unum,
Nec contra viris audet Saturnia Iuno
Sufficere; aeriam caelo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanae haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.
Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum
Nec dextra valet; iniectis sic undique telis
Obruitur. Strepit adsiduo cava tempora circum
Tinnitu galea et saxis solida aera fatiscunt;
Discussaeque iubae capiti; nec sufficit umbo
Ictibus; ingeminant hastis et Troes et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur et piceum — nec respirare potestas —
Flumen agit, fessos quatit aeger anhelitus artus.
Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem ac mollibus extulit undis,
Et laetum sociis abluta caede remisit.

vet. deor., Penatium. | 792. *ceu* ... *cum*, v. 1, 148. | 794. v. G. 3, 149 et 1, 200. — Iunge *territus ille retro redit;* cedit autem quam truculentus! | 796. *Ille*, v. G. 2, 435. | 802. *vir. sufficere*, ut 2, 617 sq. | 804. *germ.*, cf. 12, 830. | 806 sq. *nec clipeo*, excipiens tela, *nec dextra*, pugnans gladio, *tantum*, quantum scilicet opus esset, *subsistere*, resistere et statum suum obtinere poterat: *sic*, adeo, obruitur telis. — Ceterum cum vs. 806—818 confer Hom. Il. 16, 102 sqq. | 811. *ing. hast.*, v. 1, 747. | 811. et alii Troes et potissimum Mnestheus, ut G. 4, 14 „aliaeque volucres Et Procne.“ supra vs. 454 „primis tot peremtis, Serranoque Numaque.“ adde 7, 535. 8, 330. 698. 12, 399. — *ipse*, dux Troianis ab Aenea relictus, cf. vs. 171—173 et v. 2, 394. | 812. *Fulm.*, cf. 6, 843. 12, 654. | 813. *piceum*, quia pulvere ac sanguine respersus est Turnus. | 815. *omnib. armis*, *αὐτοῖς τεύχεσιν*, ut erat armatus; similiter Phaedrus 5, 7, 36 sqq. „Princeps *ligato crure* nivea fascia, *Niveisque tunicis*, *niveis* etiam *calceis*, Ab universis capite est protrusus foras,“ i. e. ut erat ligatus, indutus. | 816. cf. 8, 72. — Iunge *Ille cum suo gurgite*, cave iungas *Accepit cum s. g.* | 817. *molles* undae sunt fluvii leniter fluentis, cf. 8, 726.

AENEIDOS
LIBER DECIMUS.

(Altercatio Veneris et Iunonis in concilio deorum. — Laborantibus Troianis succurrit cum auxiliis Aeneas. — Oritur atrox pugna; occiditur Pallas, filius Euandri, a Turno. Aeneas affligit Italos. Turnum Iuno callide subducit pugnae. Lausus, filius Mezentii, atque ipse Mezentius, fortissimi viri, interimuntur ab Aenea.)

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divom pater atque hominum rex
Sidercam in sedem, terras unde arduus omnis
Castraque Dardanidum adspectat populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus; incipit ipse:
Caelicolae magni, quianam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi ferrúmque lacessere suasit?
Adveniet iustum pugnae, ne arcessite, tempus,
Cum fera Karthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes inmittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; et placitum laeti conponite foedus.

Aeneid. L. X. 1—117. *Iuppiter postridie mane diis ad concilium vocatis queritur bellum se nolente concitatum. Veneris et Iunonis mutuae criminationes. Iuppiter, cum coniugem filiamque inter se reconciliari non posse videat, omisso partium studio omnia se fortunae fatisque hoc die permissurum ait.*| 1. Noctu clauditur Olympus, arx deorum caelestis, mane aperitur. — *interea*, post ea, quae superiore die sunt acta, et ante ea, quae iam instant. — *omnipot.*, Aeschyl. Prom. 397 de Iove: „*ἢ τῷ νέον θακοῦντι παγκρατεῖς ἕδρας.*“| 3 sq. cf. Hom. Il. 19, 128 et 8, 51 sq.| 4. *Dard.*, v. 2, 242.| 5. *bipat.*, fores binarum valvarum babentibus, cf. 2, 330. Ovid. Met. 2, 4.| 8. *Abnueram*, id quod probatur verbis Iunonis 7, 312. Sed non possunt haec cum iis conciliari, quae 1, 261—263 leguntur, ac videtur poeta oblitus esse, quae Iovem loqui ibi fecit.| 9 sq. *aut hos aut hos*, oblique significantur Iuno et Venus, haec rebus Aeneae, illa Carthagini metuens, cf. 1, 23 et 257.| 13. *Alp. i. ap.*, exercitum immittet per Alpes apertas venientem.| 14. ut *res repetere*, id quod faciebant Fetiales, Virgilii aetate omnino significat postulare, ut satisfiat populo iniuria aliqua ab exteris affecto, ita *res rapere* h. l. nihil aliud esse videtur, quam hostilia facere.| 15. *sinite*, *ἐᾶτε*, Aesch. Prom. 340 „*καὶ νῦν ἔασον μηδέ σοι μελησάτω.*“ Plaut. Cas. 3, 2, 14 „Vin' vocem? *CL. Sine*; nolo, si occupata est.“ — *et plac. l. c. f.*, laeti (*libenti animo*) ad concordiam con-

Iuppiter haec paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert:
O Pater, o hominum rerumque aeterna potestas!
Namque aliud quid sit, quod iam inplorare queamus?
Cernis, ut insultent Rutuli Turnusque feratur
Per medios insignis equis tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt iam moenia Teucros:
Quin intra portas atque ipsis proelia miscent
Aggeribus murorum et inundant sanguine fossae.
Aeneas ignarus abest. Numquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiae, nec non exercitus alter;
Atque iterum in Teucros Aetolis surget ab Arpis
Tydides. Equidem credo, mea volnera restant
Et tua progenies mortalia demoror arma!
Si sine pace tua atque invito numine Troes
Italiam petiere: luant peccata, neque illos
Iuveris auxilio; sin tot responsa secuti,
Quae Superi Manesque dabant: cur nunc tua quisquam
Vertere iussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classis?
Quid tempestatum regem, ventosque furentis
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manis — haec intemptata manebat
Sors rerum — movet, et superis inmissa repente
Allecto, medias Italum bacchata per urbes.
Nil super inperio moveor; speravimus ista,
Dum fortuna fuit; vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniunx

sentite; nam *placita* dicuntur, in quae consensimus. | 16. *V. aur.*, cf. Hom. Il. 3, 64. | 18. *potest.*, similiter Iuven. 10, 100 „Fidenarum Gabiorumque esse potestas." — Ceterum cf. 12, 829. | 24. *Agg. m.*, cf. 9, 769. — Alii *fossas*, cf. 11, 382. | 26. *hostis*, Turnum puta. | 28. cf. 8, 9; metuit hoc Venus, quod tamen factum non est, cf. 11, 225 sqq. — *Aetolis*, quia ipse Diomedes erat Aetolus. | 30. et ego moram facio bello, quippe non desaevituro, priusquam ipsa, filia tua (ut olim ad Troiam, Hom. Il. 5, 330—336), mortalium armorum vim sensero. | 34. *Manes*, ut 2, 294 sq. 780 sqq. 5, 729 sqq. | 38. *act. nub. Irim:* cave haec ad vs. 2 libri noni referas; illud enim, quod subiicitur, *Nunc etiam* rem postremo (ergo post ea, quae memorantur vs. 36—38) factam indicat; at Allecto excitam legimus libro septimo. Seriem rerum si sequi voluisset poeta, sic ordinanda haec erant: *tempestatum regem* 1, 51 sqq., *actam nubibus Irim* 5, 606, *exustas E. in l. naves* 5, 660 sqq. Similiter quae E. 6, 41 sq. proponuntur, sic se deinceps excipiunt: *regna Saturnia, lapides Pyrrhae, furtum Promethei, Caucasias volucres.* Nempe temporum ordo, si non ipsa res exigit, ut servetur, saepe negligitur non solum a poetis, sed etiam ab historicis, Tac. Hist. 1, 50 „Pharsaliam, Philippos, Perusiam, Mutinam." | 40. *movet*, Iuno, quae vs. 34 voc. *quisquam* significatur. | 41. Servius „*Bacchata p. urbes:* perfurit; et bene *bacchata*, quia per simulationem sacrorum Liberi patris matres egerat in furorem." cf. 7, 341 sqq. | 42. *inperio* ab Iove promisso 1, 257 sqq.

Dura, per eversae, genitor, fumantia Troiae
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Aeneas sane ignotis iactetur in undis,
Et, quaecumque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere et dirae valeam subducere pugnae.
Est Amathus, est celsa Paphus atque alta Cythera,
Idaliaeque domus: positis inglorius armis
Exigat hic aevum. Magna dicione iubeto
Karthago premat Ausoniam; nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Iuvit et Argolicos medium fugisse per ignis,
Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?
Non satius cineres patriae insedisse supremos
Atque solum, quo Troia fuit? Xanthum et Simoenta
Redde, oro, miseris, iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris.
Tum regia Iuno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere et obductum verbis volgare dolorem?
Aenean hominum quisquam divomque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus; esto;
Cassandrae inpulsus furiis: num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamque fidem aut gentis agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostri
Egit? ubi hic Iuno, demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater:
Quid, face Troianos atra vim ferre Latinis,
Arva aliena iugo premere atque avertere praedas?

ad id promissum spectat, quod sequitur, *ista.*| 48. *sane*, nihil repugno, quin *cet.*| 51. *Paphus*, v. G. 3, 189.| 54. *premat*, v. 7, 737. — *inde*, ab Ausonia; nihil ab Italia timendum erit Carthagini, si non Troiani imperio Italiae potiti fuerint.| 61. *rev. c.*, v. 1, 9; erat autem metuendum, ne, si restitueretur Ilium, denuo bellum Troianis inferrent Graeci.| 68. *Cass. i. fur.*, cf. 3, 183 sqq. irrisionem, quae est in his verbis, facile sentis.| 69. *ventis*, dum in Tiberi navigans ad Euandrum proficiscitur.| 71. *Tyrrh. fidem agitare*, sollicitando ad societatem ineundam perpellere Tyrrhenos.| 72. *fraudem*, malum.| 76. *avus*, verius *abavus*, cf. vs. 619.| 77. *Quid* est? minusne indignum est? — Invidiose autem Troianis exprobrat Iuno, quae fieri solent in bello, etsi non fuerant facta; similiter Veneri tribuit vs. 82 sq., quae ab aliis diis acta erant.| 78. *Arva a. i. pr.*, videtur ad 7, 157 respici ritusque ille significari, quo locum urbi condendae

Quid, soceros legere et gremiis abducere pactas,
Pacem orare manu, praefigere puppibus arma?
Tu potes Aenean manibus subducere Graium
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanis,
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra iuvisse nefandum est?
Aeneas ignarus abest: ignarus et absit;
Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera;
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera temptas?
Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Obiecit? Quae caussa fuit, consurgere in arma
Europamque Asiamque et foedera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter,
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis; nunc sera querelis
Haud iustis adsurgis et inrita iurgia iactas.
    Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant
Caelicolae adsensu vario; ceu flamina prima
Cum deprensa fremunt silvis et caeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui prima potestas,
Infit; eo dicente deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.
Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris
Haud licitum, nec vestra capit discordia finem:
Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo,
Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,

capiebant designabantque.| 79. *soceros*, v. 2, 457. — *pactas* aliis scilicet, puta Laviniam, v. 6, 322.| 80. *Pac. or. m.*, praetentis manu ramis vittatis sollemni more pacem orare, cf. 7, 154. 237. — *praef. p. a.*, v. 1, 119; spectant haec ad iter ad Euandrum cum armatis factum, quae res non pacis erat, sed belli signum.| 81. cf. Hom. Il. 5, 315 sqq.| 82 sq. v. vs. 77 et cf. Hom. Il. 20, 318 sqq. — *inan.*, v. G. 4, 196.| 87. *gravidam b.*, fecundam bellis, bellicosam.| 88. *vert. fundo*, funditus evertere.| 89. *qui*, Paris, sed oblique significatur ipsa Venus.| 91. *furto*, furtivo raptu Helenae.| 92. *Sp. exp.*, amare dictum, tamquam Spartam expugnarit remque magnam gesserit, qui scilicet pudicitiam eripuit mulieri Spartanae; et sumsit hoc poeta fortasse, ut alia quaedam, a Cicerone, qui orat. pro Coel. c. 20 scribit „adulter expugnavit pudicitiam."| 93. *fov. Cup. b.*, feci, ut traheretur bellum per Cupidinem, Paride scilicet Helenam reddere nolente.| 95. surgis ad querelas iactandas; et v. 1, 102.| 96. *orab.*, v. 7, 446.| 97. *ass. var.*, aliis Iunoni, aliis Veneri assentientibus.| 98. *depr.* „detenta" Servius.| 100. *prima*, alii *summa*.| 102. *solo*, penitus.| 103. *pos.*, v. 7, 27.| 107 sq. Quae cuique hodie spes est aut fortuna, non intercedam (nihil curans, Tros sit an Italus), quin ea utatur. — *spem secare*, v. 12, 368 et compara Graecum illud *δι' ἐλπίδος ἰέναι*.| 109. Sive Troianis (vs. 109. 110)

Sive errore malo Troiae monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Iuppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Iuppiter aureo
Surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt.
 Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros et moenia cingere flammis.
At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis
Nequiquam et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes
Assaracique duo et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies; hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnesius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris iustissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,
Qualis gemma, micat, fulvum quae dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crinis
Accipit et molli subnectit circulus auro.
Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes

adversa sunt fata, sive (vs. 111) Rutulis. — *S. f. It.*, seu fato Italis propitio.| 110. sive quia Troiani oracula male interpretati aut falsis vaticiniis (cf. vs. 68) decepti sunt.| 111. *Nec R. s.*, nec Rutulos libero hac condicione, ut, quidquid fata decreverint, id iis eveniat. — *labor. Fort.*, vel cladem vel victoriam, v. G. 1, 419.| 112. *omn. idem*, aequus omnibus.| 113 sq. v. 6, 324 et 9, 105.| 117. *med. ad lim. d.*, repetitum id ex more senatorum Consulem prosequentium.|| 118—162. *Castra oppugnantur a Rutulis, defenduntur a Troianis. Aeneas interea rebus in Etruria ex animi sententia confectis cum valido exercitu sociorum ad suos revehitur.*| 119. *m. c. fl.*, undique inferre ignes.| 120. Iunge *vallis tenetur*, obsessa tenetur intra vallos, cf. vs. 236.| 122. *Nequiquam*, quippe parum spei in suis armis habentes.| 125. *Pr. ac.*: erant illi e principibus fortissimisque.| 126. *alta*, montuosa | 131. *que*, v. 1, 701. — ignibus missilibus utebantur et in acie (ut ap. Sil. 9, 335. 577) et in vallo (ut Saguntini ap. Liv. 21, 8) constituti.| 133. *hon.*, v. G. 2, 392.| 135. *collo — capiti*, monili aut diademati insertum.| 136. cf. Hom. Od. 6, 232. intelliges pocula e buxo aut terebintho facta et ebore distincta. Ceterum v. E. 2, 24. — *Oricus*, oppidum Epiri; gignitur ibi terebinthus nigrum lignum habens.| 138. *molli*, tenui lentoque, cf. vs. 818.| 139. *magn. gentes*, Lydos intelliges, ipsius comites; similiter Lycii memorantur inter socios Aeneae 1, 113; et dictum hoc, ut *μεγάθυμοι Ἀχαιοί*

Volnera dirigere et calamos armare veneno,
Maeonia generose domo, ubi pinguia culta
Exercentque viri Pactolusque inrigat auro.
Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit,
Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.
Namque, ut ab Euandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit et regi memorat nomenque genusque;
Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma
Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet; humanis quae sit fiducia rebus,
Admonet, inmiscetque preces. Haud fit mora; Tarchon
Iungit opes, foedusque ferit; tum libera fati
Classem conscendit iussis gens Lydia divom,
Externo commissa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones;
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro
Adfixus lateri iam quaerit sidera, opacae
Noctis iter, iam quae passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus aerata princeps secat aequora Tigri;

apud Homerum.| 141. *M. g. d.*, orte ex nobili genere in Lydia; et v. 4, 36.| 142. *Pact.* fluvius aurifer Lydiae.| 145. *Camp. u.*, *Καπύη*, Capuae, Liv. 4, 37.| 147. Ordo rerum (quibus interponuntur vss. 148—214) constituitur vs. 147, 219 sq., 256 sqq.| 148. cf. 8, 603 sqq. — *ingressus est.*| 150. *Quidve* ... *quidve* libri manuscripti omnes cum Servio et Carisio; ex grammatica ratione scriptum oportebat *Quidque ... quidque.* Sed videtur poeta ita locutus interrogantis ratione habita; Tarchonti enim ex more quaerenti ex Aenea, quis vocetur, qui sit, quidve petat feratve, memorat ea Aeneas. — „*quid petat*, scilicet auxilium; *quid ferat*, vicissitudinem auxilii.“ Servius. — *Mez.*, cf. 8, 493 sq. 7, 647 sqq.| 152. admonet vicissitudinis rerum humanarum; fieri posse, ut Mezentius exsul in regnum redeat, Tarchon ipse indigeat auxilii.| 154. ut *voti liber* is dicitur, qui solvit votum, sic *liber fati*, qui fecit, quod voluit fatum; cf. 8, 499 sqq.| 156. v. E. 10, 13.| 156—158. *puppis*, ut saepe, omnino navis. — *Pr. t.*, cf. 5, 338. — Ida est parasemon s. insigne, unde navis appellabatur, v. 5, 116; hoc cum rostro in prora est, leones autem ita rostro subiuncti erant, ut ipsum rostrum in leonum faciem exiret; Servius ad vs. 166 „*Aerata tigri*, cuius rostrum erat in similitudinem tigridis.“ Donatus „habens in rostro leones iunctos;“ et Servius h. l. „Vult pro iugo rostrum navis fuisse,“ ubi *iugum* significat par leonum iunctorum. Ceterum Ida et leones videntur ostendere tutelam eius navis fuisse Cybelen, cf. vs. 252 sq.| 161. quaerit ex Aenea nomina siderum, iter per opacam noctem monstrantium.|| 163—214. *Recensentur auxilia cum Aenea venientia, triginta navibus vecta;* et v. 7, 641.| 166. *aer.*, aeneum rostrum atque insigne

Sub quo mille manus iuvenum, qui moenia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas; quis tela sagittae
Gorytique leves humeris et letifer arcus.
Una torvus Abas; huic totum insignibus armis
Agmen et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sescentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes; ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divomque interpres Asilas,
Cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent
Et linguae volucrum et praesagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astyr,
Astyr equo fidens et versicoloribus armis.
Ter centum adiiciunt, — mens omnibus una sequendi —
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestaeque Graviscae.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyre, et paucis comitate Cupavo,
Cuius olorinae surgunt de vertice pennae —
Crimen amor vestrum — formaeque insigne paternae.
Namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum
Dum canit et maestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,

tigridis habente; aliter Servius modo laud.| 171. Apollo tutela navis erat.| 172. *mater*, v. 7, 762.| 174. *Chalyb.*, v. G. 1, 58.| 175. *h. d. int.*, tamquam medius et internuntius inter deos atque homines.| 176. *parent*, apparent, videlicet ita, ut voluntas deorum ex istis appareat Asilae.| 178. *dens. ac.*, milites gravis armaturae, qui densis ordinibus pugnant, „*πολέμου στῖφος παρέχοντες*“ Aesch. Pers. 20.| 179. *Pisae* originem habent a Pisa, Elidis urbe; *Alphēus* fluvius Elidis.| 180. *E. solo*, situ Etrusca. — *Sequitur*, post tertium (Asilam) quarto loco Astyr agmen navium ducit.| 181. *vers. a.*, *τεύχεα ποικίλα χαλκῷ* Hom.| 182. *mens ... seq.*, qui omnes eodem studio ardent ad bellum eundi.| 183. *C. d.*, v. 4, 36. Similiter Herod. 5, 92, 7 „*Ἠετίων, δήμου μὲν ἐκ Πέτρης ἐών*“ et 9, 73 „*Σωφάνης ἐκ δήμου Δεκελεῆθεν.*“ Orell. Inscr. lat. 3708 „Flaminius domo Catina.“ — *Caere* sive Agylla. At Lausus (7, 652) „ducit Agyllina ... ex urbe ... mille viros,“ quasi Caere et Turno et Aeneae praestet auxilium. Nempe isti Lausum fugientem secuti sunt, hi vero communi odio et consilio totius civitatis in Mezentium arma commoverunt. Haec fere Servius.| 184. *intemp.*, „pestilentes; nam, ut ait Cato, ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aerem sustinent.“ Servius.| 187 sq. Cupavo cristam pennarum olorinarum in galea habebat idque insigne gerebat ob patrem Cycnum in olorem mutatum. — *Crimen amor vestrum:* amor, quo Phaethontem amicum suum Cycnus amplexus fuerat, opprobrio vobis est, o pennae olorinae; is enim amor causa fuit Cycni in olorem conversi; Ovid. Met. 2, 367 sqq.| 190. *sororum*, non suarum, sed Phaethontis, Heliadum in populos mutatarum.| 192. quia senes albo sunt sive cano capillo, is ipse color vocabulo senectae denotatur.|

Linquentem terras et sidera voce sequentem.
Filius, aequalis comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquae saxumque undis inmane minatur
Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua, dives avis; sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum
Verberat adsurgens; spumant vada marmore verso.
Hunc vehit inmanis Triton et caerula concha
Exterrens freta; cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae et campos salis aere secabant.
Iamque dies caelo concesserat, almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:
Aeneas — neque enim membris dat cura quietem —

193. v. 9, 488. 2, 323. | 194. Cupavo cum suis comitabatur catervas, quibus Cinyrus praeerat, aequales, i. e. catervas popularium suorum. Aliter Donatus „aequales aut aetate aut armorum cultu.“ | 196. Centaurus — id erat insigne navis — ita erat sculptus, ut saxum utraque manu alte sublatum proiecturus in fluctus videretur, quasi compressurus impetum turbati maris. | 198—203. *Ille*, v. G. 4, 457. — Manto et Tiberis parentes fuerunt Ocni. Is Mantuam condidit. Mantuanorum triplex erat gens, Graeci, ut videtur, Umbrique, et, quod certum est, Etrusci; ex Etruscis quidem, id quod testatur vs. 203, plurimum roboris traxerat Mantua. Harum gentium quaeque quattuor populos sive civitates comprehendebat; ipsa Mantua duodecima ex numero harum civitatium praeerat ceteris. | 201. *avis*, claris scilicet et potentibus, cf. 7, 56. — *omnibus*, non avis, sed omnino Mantuanis atque iis, quorum caput erat Mantua. | 205. Mincius, i. e. navis, cui erat insigne Mincius fluvius, ortus e lacu Benaco (*Lago di Garda*) tamquam parente; nam licet ex Alpibus profluat, tamen, postquam lacum Benacum transmisit, novus fluvius isque Benaco prognatus haberi potest. | 207. *gravis*, ingens corpore, v. 5, 437. Donatus et quidam apud Servium hoc epitheton, quod proprie pertineat ad navis ponderosam amplitudinem, ad ducem eius navis translatum volunt. | 209. *concha*, qua utitur pro bucina. | 210 sq. *frons praefert* (monstrat) *laterum tenus hom.*, frons et quae ei subiecta est pars corporis usque ad latera. || 215—275. *Noctu occurrit Aeneae chorus Nympharum, in quas naves eius conversae erant. Ex his una certiorem eum reddit de periculo suorum. Accepto, quod ea discedens addidit, augurio Aeneas mane socios ad pugnam se parare iubet. — Alacritas obsessorum Troianorum conspecta classe, admiratio Rutulorum rei ignarorum.* | 215. Est haec eadem nox, quam poeta

Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum: Nymphae, quas alma Cybebe
Numen habere maris Nymphasque e navibus esse
Iusserat, innabant pariter fluctusque secabant,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
Adgnoscunt longe regem lustrantque choreis.
Quarum quae fandi doctissima Cymodocea,
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet ac laeva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum adloquitur: Vigilasne, deum gens,
Aenea? Vigila et velis inmitte rudentis.
Nos sumus, Idaeae sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos
Praecipitis ferro Rutulus flammaque premebat,
Rupimus invitae tua vincula, teque per aequor
Quaerimus. Hanc genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas aevumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentis Marte Latinos.
Iam loca iussa tenet forti permixtus Etrusco
Arcas eques; medias illis opponere turmas,
Ne castris iungant, certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari
Primus in arma iube, et clipeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,
Ingentis Rutulae spectabit caedis acervos.
Dixerat; et dextra discedens inpulit altam,
Haud ignara modi, puppim: fugit illa per undas
Ocior et iaculo et ventos aequante sagitta.
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse

attigit vs. 147 et 162.| 218. *vel. min.*, v. 6, 302.| 219. *Atque*, v. E. 7, 7.| 220. *comes* de animantibus dicitur; hic comites appellantur, quae ante fuerant naves, quia desierant inanimatae esse.| 221. *e nav.*, i. e. quae ante naves fuerant; Manil. 4, 46 „*ex* exsule consul.“| 223. *prorae*, cur non puppes? fortasse, quia eae naves, confecto Aeneae itinere, non rursus exiturae erant; v. vs. 268.| 226. *ipsa*, v. G. 2, 297.| 228. *deum g.*, διογενές.| 229. *vel. inm. r.*, v. 8, 708.| 231. *Perfidus*, cf. 7, 595 sq.| 232. *Praecipites*, puta in litore stantes acclivi et ad praecipitandum facili.| 233. *tua*, quibus tu nos religasti, cf. 7, 106.| 234. *ref.*, v. G. 2, 29.| 237. *horr. M.*, v. G. 1, 295 et supra vs. 178.| 238. Dum Aeneas auxilia peditum Etruscorum adducit, Pallas, Euandri filius, cum equitibus Arcadibus Etruscisque terrestri itinere ad castra Troianorum contenderat. — Alii *tenent*.| 239. *medias*, inter loca illa et castra.| 240. *iungant*, v. G. 1, 163.| 242. *Primus*, sic, ut nihil sit, quod prius agas. — *clipeum cape*, cf. vs. 261 sqq.| 243. v. G. 2, 283.| 247. *H. i. m.*, i. e. iusto quodam, non nimio, libramento.| 249. *aliae* Nymphae, alia quidem aliam navem incitante.|

Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi
Turrigeraeque urbes biiugique ad frena leones,
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus. Et interea revoluta ruebat
Matura iam luce dies, noctemque fugarat:
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnaeque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi: clipeum cum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris; spes addita suscitat iras;
Tela manu iaciunt; quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant
Cum sonitu fugiuntque Notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis, donec versas ad litora puppis
Respiciunt, totumque adlabi classibus aequor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignis:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,
Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris,
Nascitur et laevo contristat lumine caelum.

250. **omine** ex subita celeritate navium capto. | 252. *Dind.*, v. 9, 618. | 253. *ad fr. l.*, qui frenentur currumque Cybelae vehant; similiter *servi ad lecticam* et 9, 648 *ad limina custos.* | 254. *p. pr.*, prima impellis me ad pugnam. — *propinques*, matures eventum. — *rite*, „καὶ τάδ' ὀρθῶς ἔμπεδα κατουρίζει" Soph. Trach. 823 de eventu vaticinii. | 255. cf. 8, 302 et G. 1, 11. | 256. *Et*, v. 2, 801. Praeterea v. vs. 147. | 258. *s. sq.*, exsequantur ea, quae per signa imperentur. | 259. *an. apt. a.*, animos adiiciant intentosque habeant armis. | 264—266. Comparatur Troianorum alacritas cum alacritate gruum verno tempore ad notas circa Strymonem sedes revertentium. — *signa* laetitiae scilicet atque alacritatis. — *clam. sec.*, v. 8, 90 et cf. Hom. Il. 3, 3 sqq. | 268. *puppes.* Qui in portum intrabant, plerumque remis inhibebant navem, i. e. convertebant navem et, dum mutata sessione (*μετακαθίσαντες*) remiges puppim, non, ut ante, proram spectant, convertebant etiam remigationem, id quod Graeci dicunt *πρύμναν κρούσασθαι*, i e. versus puppim remigare, quo fiebat, ut puppis adverteretur litori, retinaculo illa quidem deliganda, prora obverteretur pelago ancoraque stabiliretur; cf. 3, 277. 6, 3—5. Ea res habebat id commodi, ut et vectores expeditiore uterentur egressu, et, cum rursus navigandum esset, non opus esset convertenda nave. | 269. mare ipsum, quam longe prospectus patet, navibus tectum, videtur adfluere ad litus cum classibus. | 270. *apex*, conus, cui crista inserta. — *capiti* Aeneae. — Alii *capitis* et *ac vertice.* | 274. Ille ortu suo fert sitim morbosque, aestum febresque; et cf. Hom. Il. 22, 26—31. | 275. **contristare** caelum ille dicitur, quod, qui eum vident in caelo fulgentem et

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora praecipere et venientis pellére terra.
[Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:]
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc coniugis esto
Quisque suae tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressique labant vestigia prima.
Audentis Fortuna iuvat.
Haec ait, et secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu,
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso,
Arrepta tellure semel. Quae talia postquam

infaustum aliquid minantem, sollicitudine anguntur s. contristantur.‖ 276—361. *Turnus, dum Aeneas copias suas exponit, una parte exercitus ad obsidenda castra relicta, cum altera conatur egredientes hostes litore prohibere. Aeneas primus invadit Rutulos. Diu ancipiti Marte res geritur.*| 279. v. 3, 265. — Antea castra oppugnarant, iam ... id quod optarant ... potestas facta est *perfringendi* dextra, i. e. comminus perrumpendi aciem hostilem; et facilior est in aequo campo victoria.| 280. Iam iustae ac verae pugnae copia vobis datur; hoc est illud *in manibus Mars ipse.* — Alii *viris.* — Ceterum cf. Hom. Il. 15, 662 sqq.| 281. *referto*, renovato imitando.| 282. *ultro*, antequam ipsi nos aggrediantur.| 283. *labant v.*, v. E. 3, 106.| 287 sqq. Ubi vadosa sunt litora, eo sub accessum maris appellere naves solent nautae, quemadmodum hoc loco, non sub recessum. Sed etiam accessus tempore fiunt quidam recursus maris; ita enim aestuat mare, ut alternis vicibus fluctus procurrat adversus litus et recurrat; ac sub accessum quidem alter fluctus semper maior est priore, sub recessum alter priore semper minor. Iam Aeneas suos pontibus, *ἀποβάθραις*, i. e. scalis quibusdam ad naves appositis navesque cum litore coniungentibus, eo loco exposuisse putandus est, ubi paulo altius esset litus, cf. vs. 653 sq., nec inundaretur mari. Multi eius morae impatientes, cum fluctus in mare relaberetur (vs. 288) languesceretque, desiliunt in brevia et vada, ex quibus ante redeuntem proximum fluctum evadant in terram; alii remis nitentes seque librantes perveniunt in siccum. Tarchon denique depressiorem speculatus magisque vadosam partem litoris, ubi aestus non invenit, quo offendatur frangaturque, eo naves remis propelli iubet, ut sulco in ipsa arena facto sedeant, quo fit, ut iam expeditior sit egressus.| 288. *serv.*, v. G. 1, 335.| 291. *spirant*, v. G. 1, 327. — *remurm.*, repellitur cum murmure.| 292. *cresc.*, ergo longius serpenti latiusque se per litus explicanti, cf. vs. 301 sq.| 295. *Tollite*, quo fortius remigatur, eo altius surgit prora. — *ferte*, celeriter propellite.| 298. *Arr.*, v. 3, 477|

Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis
Spumantisque rates arvis inferre Latinis,
Donec rostra tenent siccum et sedere carinae
Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarchon.
Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,
Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Inpediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora; sed rapit acer
Totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestis
Aeneas, omen pugnae, stravitque Latinos,
Occiso Therone, virum qui maxumus ultro
Aenean petit. Huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum iam matre perempta,
Et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri
Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum
Inmanemque Gyan, sternentis agmina clava,
Deiecit Leto; nihil illos Herculis arma,
Nec validae iuvere manus genitorque Melampus,
Alcidae comes usque, gravis dum terra labores.

301. *sedere* (sedent) Perfect. verbi *sidere*, v. 3, 565. | 303. *dorso:* Servius „dorsum est durior arena, quae remeantibus fluctibus plerumque densatur et in modum saxi indurescit, quod a nautis *pulvinus* vocatur." | 304 *Anceps*, dum nec stat nec cadit, nutans. — *fl. fat.*, fluctibus se omni vi oppugnandam praebet, ut labore paene fatigari fluctus videantur. | 307. fluctus reciprocatus retrahit eiectos nec ad litus accedere patitur. | 309. Bipartitum fuisse exercitum cum vs. 285 sq. ostendit, tum multo post demum facta (vs. 604 sq.) eruptio obsessorum probat; quare *totam* ita intelliges, ut contra morem nullam partem eorum, quos ipse ducebat Turnus, in subsidiis ab eo collocatam esse existimes. | 310. *agrest.*, Latinos puta, qui per agros dispersi habitabant, cf. 7, 573. 8, 8. 11, 367. | 311. *omen pugnae* ex felici successu; tum ipsi Latini contra omina pugnabant 7, 583 sq. Liv. 22, 29 „principium simul omenque belli." | 312. *ultro*, prior et non lacessitus. | 313 sq. *perque ... Per*, v. E. 4, 6. — Gell. N. A. 2, 6 „*tunicam squalentem auro.* Id significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. *Squalere* enim dictum est a squamarum crebritate asperitateque, quae in serpentium pisciumque coriis visuntur." Itaque G. 4, 13 *picti squalentia terga lacerti*, qui multas in tergo habent maculas tamquam squamas; G. 4 91. *maculis auro squalentibus ardens* poeta ipse interpretatur paulo post (vs. 93) *rutilis clarus squamis.* Hinc intelliges, quid sit *lorica auro squalens* A. 12, 87, i. e. rigens multis aureis squamis, quo ducit etiam 11, 488 „rutilum thoraca indutus aenis Horrebat squamis." — *haur.*, v. 2, 600 et G. 3, 105. — *apertum*, scilicet viâ ad latus vi gladii patefactâ. | 316. Servius „Omnes, qui secto matris ventre procreantur, ideo sunt Apollini consecrati, quia deus est medicinae, per quam lucem sortiuntur." | 317. *Nec longe* sc. inde (est), i. e. ab eo loco, quo Lichas occisus est; similis structura verborum G. 2, 80 „Nec longum tempus et ... exiit arbos." | 319. *Leto*, v. 8, 566. | 320. Is Melampus, cum Herculem in haec loca secutus esset, cf. 8, 201 sqq. et 10, 779 sq., ibi

Praebuit. Ecce Pharo, voces dum iactat inertis,
Intorquens iaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui iuvenum tibi semper erant, miserande iaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies, septem numero, septenaque tela
Coniiciunt; partim galea clipeoque resultant
Inrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas adfatur Achaten:
Suggere tela mihi; non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et iacit; illa volans clipei transverberat aera
Maeonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit servatque cruenta tenorem,
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor iaculo fratris de corpore rapto
Aenean petiit; sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus
Advenit et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit traiecto gutture; at ille
Fronte ferit terram et crassum vomit ore cruorem.
Tris quoque Threicios Boreae de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halaesus
Auruncaeque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso
Ausoniae. Magno discordes aethere venti
Proelia ceu tollunt animis et viribus aequis;
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit;
Anceps pugna diu; stant obnixa omnia contra:

restitisse et in Latio consedisse putandus est. | 322. *inertis*, quibus nihil proficitur; cf. 9, 634, 11, 380 sq. | 324. *flav. malas*, v. E. 3, 106. | 325. *gaudia*, cf. E. 2, 2. | 326. *sec. am.*, nihil amplius curans amores iuvenum. | 327. v. 9, 485. | 330. *Coni.*, v. 9, 489. | 334. Futurum exactum significat certam de eventu persuasionem. — *corpore*, ut *animo* 9, 721, *humero* 5, 558, pro *humeris* cet. et v. G. 4, 227. | 339 sqq. altera hasta transfigit lacertum Alcanoris. | 345. *Curibus Clausus*, v. 4, 36 et cf. 7, 706 sq. | 347. *pressa*, impressa. | 350. *B. d. g. s.*, quibus Boreas ultimus auctor generis, cf. 7, 49. | 351. v. E. 6, 80. | 353. cf. 7, 723 sqq. et 691. | 358. Alii *cedunt*. | 359. *stant obn. o. c.* i. e.

Haud aliter Troianae acies aciesque Latinae
Concurrunt; haeret pede pes densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Inpulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestris,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci, —
Aspera quis natura loci dimittere quando
Suasit equos, — unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Euandri nomen devictaque bella,
Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostis
Est via. Qua globus ille virum densissimus urguet,
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt; mortali urguemur ab hoste
Mortales; totidem nobis animaeque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos obiice pontus;
Deest iam terra fugae: pelagus Troiamne petemus?
Haec ait et medius densos prorumpit in hostis.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus; hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat; hastamque receptat

omnia constanter obnituntur nec quidquam cedit; iunge *contra obnixa*, ut *contra* sit adverbium ex abundantia quadam poetica adiectum. Alii *obnixi.* | 360. *Troi. ac.*, v. 8, 547. | 361. cf. Hom. Il. 13, 130 sq. — *haeret pede p.* nove dictum pro *haeret pedi p.* vs. 845 „*corpore inhaeret.*" || 362—438. *Arcades ab hostibus pulsi Pallantis monitu ac fortitudine ad redintegrandum proelium accenduntur, auxiliante parte Troianorum. Multi ab utraque parte cadunt; in his Halaesus.* | 362 sqq. Alio loco (cf. vs. 238 sq.), ubi torrens nescio quis in Tiberim se effundebat, acies equitum Arcadum erat instructa; hos dimissis propter iniquitatem locorum equis pedestri certamine contendere ausos pellunt Rutuli. | 362. *rotantia saxa*, v. G. 1, 163. | 365. *sequax* non qui sequitur, sed qui non desistit sequi. | 366. *quando*, aliquando, non in perpetuum, sed dum conflictantur cum natura loci. | 367. *egenis*, eo adactis, ut iam inopia esset consilii. | 369. Ordo est: „*oro* vos et per fortia facta (*vestra* scilicet) *et* per nomen Euandri." Quod assumendum est *oro*, latet in illo *ne fidite*: cf. vs. 597 sq. Solent autem et Graeci et Romani pronomen eum indicans, quem obtestamur (*vos* h. l.), medium collocare inter eam praepositionem (*per*), qua obtestamur, atque eam rem, ex illa praepositione pendentem, per quam obtestamur. Eurip. Med. 325 „*Μὴ πρὸς σὲ γούνων,*" i. e. *λίσσομαί σε πρὸς γούνων, μὴ ἐξελάσῃς με.* Terent. Andr. 3, 3, 6 „Per *te* deos oro." — De omisso altero *et* v. vs. 314. | 371. *subit*, quia, qui aemulatur, succedit in laudem eius, quem aemulatur. | 377. *pontus*, i. e. profunditas illa, qua facile mergimur, claudit nos *maris*, in quo propter naturam eius sisti nequit, tamquam obiice, Hom. Il. 21, 58 sq. „*οὐδέ μιν ἔσχεν πόντος ἁλὸς πολιῆς.*" Aesch. Pers. 106 „*θαλάσσης πόντιον ἄλσος.*" | 378. *Dēest*, v. E. 7, 7. — aut pelagus petendum, aut nova Troia; hanc quidem debebant petere, ut se coniungerent cum Troianis. | 383. *dabát*, v. E. 1, 39. — *receptat*,

Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit et Rhoeti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quaerit,
Semianimesque micant digiti ferrumque retractant.
Arcadas, accensos monitu et praeclara tuentis
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostis.
Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter
Traiicit. Hoc spatium tantumque morae fuit Ilo;
Ilo namque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhoeteus intercipit, optume Teuthra,
Te fugiens fratremque Tyren; curruque volutus
Caedit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optato ventis aestate coortis,
Dispersa inmittit silvis incendia pastor;
Correptis subito mediis extenditur una
Horrida per latos acies Volcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantis:
Non aliter socium virtus coit omnis in unum,
Teque iuvat, Palla. Sed bellis acer Halaesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona Pheretaque Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense

v. 8, 157. | 384. *super* ea re, i. e. dum id conatur Pallas. | 385. *Ille q.*, v. G. 2, 435. — Iunge *ante* ... *Excipit.* | 386. *inc. morte*, quem ira ex nece sodalis concepta incautum fecerat. | 388. *Rhoeti*, regis Marruviorum. | 389. *nov.*, Casperiae; quare iram patris veritus ad Daunum, patrem Turni, perfugit. | 390. *Rut.*, cf, vs. 404 et v. 9, 450. | 391. *Daucia proles*, nescitur cuius Dauci. | 394. *Thymbre* (cf. vs. 391) a Graeco Nominativo *Θύμβρος*. — *capút*, v. vs. 383. | 395. *suum* dominum. | 398. *dolor*, quod admonendi fuerant, *pudor*, quod videbant praeclare facta ducis adolescentuli. | 399. Iunge haec in unum: *praeterfugientem.* | 400. Ergo post Rhoeteum statim interficit Ilum. | 401. *Ilo*, v. E. 2, 30. | 404. cf. vs. 730 sq. | 405 sqq. Pallad. 9, 4 „Nunc (Augusto mense) urenda sunt pascua, ut et altorum fruticum festinatio reprimatur ad stirpes, et incensis aridis nova laetius herba succedat." adde Colum. 6, 23, 2. Luc. 9, 182 sqq. et cf. 12, 521 sqq. Imitatur haec Silius 7, 364 sqq. „quam multa videt, fervoribus atris Cum Calabros urunt ad pinguia pabula (i. e. quo nova gramina proveniant) saltus Vertice Gargani residens incendia pastor." | 409. *victor*, v. 2, 329. | 412. *seque i. s. c. a.*, totum se scuto tegit, cf. vs. 802. 12,

Elatam in iugulum; saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata canens silvis genitor celarat Halaesum;
Ut senior leto canentia lumina solvit,
Iniecere manum Parcae, telisque sacrarunt
Euandri. Quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halaesi.
Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus; dum texit Imaona Halaesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non caede viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interemit, pugnae nodumque moramque.
Sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci,
Et vos, o Graiis inperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus aequis.
Extremi addensent acies; nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,
Egregii forma; sed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi;
Mox illos sua fata manent maiore sub hoste.
    Interea soror alma monet succedere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios: Tempus desistere pugnae;
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Haec ait; et socii cesserunt aequore iusso.
At, Rutulum abscessu, iuvenis tum, iussa superba

491 sq. | 415. Halaesi iugulo vulnus minabatur Strymonius elata cum telo manu. | 417. Halaesi parens filium, cui sciebat fatale esse, ut in bello caderet, quo id caveret, silvis et saltibus abdiderat, ut vitam coleret pastoritiam, secretam ab armis. | 419. Callim. Ep. 2, 5 „*αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων ἁρπακτὴρ Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.*“ quamquam Virgilium ad iniectionem manuum ex iure Romano spectasse putabimus; Servius „manus iniectio dicitur, quoties nulla iudicis auctoritate exspectata rem nobis debitam vindicamus.“ | 420. *Euandri*, cf. vs. 394. | 423. *Quod si feceris*, haec arma in quercu tibi sacra suspendam; v. G. 3, 562. — Ceterum cf. 11, 5 sqq. | 426. v. 1, 385. — *tanta*, v. E. 9, 46. | 427. *belli*, pugnantium, cf. vs. 737. — *primus*, v. E. 6, 1. | 428. ut nodus difficilis est ad solvendum, ita Abas difficilem hostibus impeditamque reddebat victoriam, eamque, id quod per *moram* significatur, differebat. | 432. Qui extremis ordinibus collocati sunt, urgent priores ordines eoque condensant aciem ita, ut arma vix possint moveri. || 439—509. *Mors Pallantis.* | 439. *soror*, Iuturna nympha. — Alii *succurrere.* | 441. *pugnae* qui casus? Alii *pugnā.* | 442. *feror*, v. 9, 21. | 443. *parens*, Euander, cf. vs. 450. | 444. *c. aequ. i.*, cedunt ea parte campi, qua cedere iussi sunt. | 445. *abscessu*, cum

Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit obitque truci procul omnia visu,
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni; sorti pater aequus utrique est.
Tolle minas. Fatus medium procedit in aequor.
Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
Desiluit Turnus biiugis; pedes apparat ire
Comminus. Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
Ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
Viribus inparibus, magnumque ita ad aethera fatur:
Per patris hospitium et mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides iuvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum lacrimasque effundit inanis.
Tum Genitor natum dictis adfatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Troiae sub moenibus altis
Tot gnati cecidere deum; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum reiicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque, viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro praefixum robur acuto

abscessissent, ut Sil. It. 9, 487 „remeantis in aethera divae *abscessu* revocat mentes Gradivus;“ Cic. pro lege Manil. c. 8 „eius *adventu* maximae Mithridatis copiae omnibus rebus instructae fuerunt,“ i. e. cum adveniret Lucullus; et cf. supra 8, 215. 583. — *tum* referendum est ad *abscessu*, tamquam si scriptum sit: Rutulis *submotis* iuvenis *tum* mirabundus stupet,“ de qua re v. 2, 391. Liv. 24, 45 „perpetrato bello tum esse consultandum.“| 449. cf. Hom. Il. 22, 253.| 450. victoriam egregiamque mortem aeque probabit pater Euander; cf. vs. 443.| 455. *med. in pr.*, exercentem se ad pugnam, G. 3, 232—234.| 458. *prior ire*, praevertere, φθάσαι. — *si*, v. E. 6, 57.| 460. cf. 8, 362 sq.| 464 sq. dolet graviter animo Hercules, sed reprimit et continet eum dolorem.| 465. *inanes*, nihil profuturas.| 468. cf. 6, 807. Sil. It. 9, 375 sqq.| 473. *oc. Rut. rei. arvis*, ne videat miserandam Pallantis caedem. Ceterum v. G. 4, 88.| 476. *hum. tegm. s.* quae sint, docet vs. proximus.| 478. *str. de*

In Pallanta diu librans iacit, atque ita fatur:
Aspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,
Quem pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loricaeque moras et pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de volnere telum:
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.
Corruit in volnus; sonitum super arma dedere;
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super adsistens:
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Euandro: Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Aeneia parvo
Hospitia. Et laevo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei
Inpressumque nefas: una sub nocte iugali
Caesa manus iuvenum foede, thalamique cruenti;
Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro;
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis!
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta et cum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque
Inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,
Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!
Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Aeneae, tenui discrimine leti
Esse suos; tempus, versis succurrere Teucris.
Proxuma quaeque metit gladio latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbum

ἐπέγραψε τοῦ σώματος. | 482 sq. licet tot ferri aerisque laminis, tot coriis constet. | 488. „*ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.*" | 489. cf. Hom. Il. 11, 749. | 490. „*λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων.*" | 492. *meruit*, sc. ut sibi remitterem. | 495. *Et*, v. 5, 504. | 496. *baltei*, v. E. 6, 78. | 498. *Caesa manus* ... *thalami cruenti* recte consultoque scripsit poeta, i. e. impressum autem (caelatum in balteo) nefas fuit caesa manus *cet.*; grammatica lex postulat Accusativos; et v. 7, 741. — significatur facinus Danaidum. | -500. v. G. 2, 510. | 503. Respicitur ad 12, 940 sqq. Praeterea cf. 2, 104. | 509. *tamen*, v. E. 10, 31. || 510—605. *Aeneas dum audita caede Pallantis Turnum quaerit, multos vivos capit, inferias Pallanti, multos interimit; postremo qui obsessi fuerant Troiani, erumpunt castris.* | 511. *ten. discr. l. e. s.*, non multum abesse a morte, sive, ut ait Donatus, inter ipsos et mortem modicum esse morae

Caede nova quaerens. Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis, mensae, quas advena primas
Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos
Quattuor hic iuvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventis rapit, inferias quos immolet umbris
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam.
Ille astu subit; at tremibunda supervolat hasta;
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manis et spes surgentis Iuli
Te precor, hanc animam serves gnatoque patrique.
Est domus alta; iacent penitus defossa talenta
Caelati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum
Vertitur aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quae multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior iam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchisae Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam laeva tenet atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus adplicat ensem.
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus conlucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropaeum.
Instaurant acies Volcani stirpe creatus
Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram

discrimen s. intervallum.| 516. cf. 8, 169. 175 sqq.| 517. *Sulmone*, oppidone an homine? cf. 9, 412.| 518. *educat*, v. E. 8, 45.| 519. *umbris*, Manibus Pallantis, et cf. Hom. 21, 26 sq. 23, 175 sq. Sueton. Octav. 15.| 520. *que*, v. G. 3, 283. — *captivo*, captivorum, ut *caeso* (caesorum) *sanguine* 11, 82.| 522. *astu subit*, per astutiam subsidit et accedit ad Aeneam, Hom. Il. 21, 68 „ὁ δ' ὑπέδραμε καὶ λάβε γούνων κύψας.“| 524. cf. vs. 534.| 525. *gnato* meo scilicet, cf. vs. 532.| 526. cf. Hom. Il. 6, 46. 10, 378.| 528. *hic*, in me, in mea caede, v. 2, 292.| 529. *aut*, v. 2, 779.| 532. cf. vs. 525 et v. E. 3, 7. — *parce*, serva. — *B. c. T.*, cet., cf. Hom. Il. 21, 103 sqq.| 533. *iam t. P. p.*, iam tum, cum Pallantem interemit; et cf. vs. 517 „mensae, quas advena primas *Tunc* adiit.“ prorsus similiter Liv. 1, 41 „Anci liberi iam tum comprehensis sceleris ministris, ut vivere regem nuntiatum est, exsulatum ierant.“| 541. *ing. u. t.*, facit, ut eum s. oculos eius umbra tegat; ea vero, cuius causa mors est, umbra *ingens* dicitur, quod nulla est tenebricosior aut magis perpetua.| 542. *legere* spolia dicuntur, qui ea detrahunt caeso hosti.| 543. *Inst. ac.*, restituunt proelium a perculsis Latinis iam omitti coeptum.| 545 sqq. Hoc dicit poeta „Postquam Anxurem inutilem pugnae reddidit Aeneas, Tarquitus, exasperatus

Et totum clipei ferro deiecerat orbem; —
Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, caeloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos; —
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus inpedit hasta;
Tum caput orantis nequiquam et multa parantis
Dicere deturbat terrae, truncumque tepentem
Provolvens super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, iace. Non te optuma mater
Condet humo patrioque onerabit membra sepulchro:
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque inpasti volnera lambent.
Protinus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis.
Aegaeon qualis, centum cui bracchia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Iovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret enses:
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei

scilicet huius viri casu, obvium se illi tulit." | 546. Videtur poeta non *totum* scripsisse, sed *tortum*, orbem ex tortilibus laminis rotundatum, quo significaret Homericam illam *ἀσπίδα εὔκυκλον*. | 548. *cael. a. f. f.*, iunge *fortasse caelo:* et fortasse usque ad caelum spe efferebat animum, nimirum cupiens maiora, quam decebat mortalem, tamque insignem sperans victoriam; Horat. Od. 1, 3, 37 sq. „Nil mortalibus arduum est: *Caelum* ipsum *petimus* stultitia." *fortasse*, nostrum *wohl*, Graecum *πού*, prodit indignationem poetae, quod ita immoderatam spem aleret Anxur; Hom. Il. 5, 472 sqq. „*Ἕκτορ, ... φῆς που ἄτερ λαῶν πόλιν ἑξέμεν ἠδ' ἐπικούρων οἶος σὺν γαμβροῖσι κασιγνήτοισί τε σοῖσιν.*" | 549. *longos annos*, longam aetatem s. multos annos, ut 11, 907 *longis passibus*, i. e. longo spatio s. multis passibus. | 550. *exsultans*, nos: *sich tummelnd*, et v. 10, 813. | 552. *reducta*: hastam Aeneas quo validius emitteret, longe reducto braecbio vibravit, v. 5, 478, atque perforato clipeo ita loricae infixit, ut, cum retrahi non posset, clipeus et lorica inter se colligarentur. | 555. *terrae*, v. E. 2, 30. | 556. *super*, insuper. | 558. Alii *humi*. | 560. cf. Hom. Il. 21, 122 sqq. | 561. *pr. agm.*, qui, virtute praestantes, inter primos pugnabant, *πρόμαχοι*. | 562. *fulvus* a colore capilli dicitur. | 564. *Auson.*, v. 2, 242. — *Amyclae*, oppidum inter Tarracinam et Caietam, tacitae dicuntur vel quod olim deleta a serpentibus civitate desertae fuerunt, vel quod hoc oppidum cum iis Amyclis confudit poeta, quod erat in Laconica *tacendo*que periit; nam hostium adventu saepe temere nuntiato cum vere hostis venisset, nullo nuntiante et tacentibus omnibus oppidum captum est. | 565 sq. verba sic ordinanda: *qualis cum Aegaeon*, *cui dicunt fuisse c. br., ... contra fulmina Iovis streperet, cet.* — Aegaeonem s. Briareum, unum ex centimanis, poeta h. l. in numerum Gigantum adscribit; v. 6, 287. | 568.

Quadriiugis in equos adversaque pectora tendit.
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea biiugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentis:
Inruit, adversaque ingens adparuit hasta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, nec currum cernis Achilli,
Aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aevi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri. Sed non et Troius heros
Dicta parat *contra; iaculum nam torquet in hostem.*
Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos, proiecto dum pede laevo
Aptat se pugnae, subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum laevum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit aut vanae vertere ex hostibus umbrae;
Ipse rotis saliens iuga deseris. Haec ita fatus
Arripuit biiugos; frater tendebat inertis
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Troiane, sine hanc animam et miserere precantis.
Pluribus oranti Aeneas: Haud talia dudum
Dicta dabas. Morere et fratrem ne desere frater.
Tum, latebras animae, pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt et castra relinquunt
Ascanius puer et nequiquam obsessa iuventus.

tot paribus, totidem (numero paribus). | 572. *longe gr.*, cf. Hom. Il. 7, 213. — *dira fr.*, v. G. 3, 149. | 576. cf. Hom. Il. 11, 101 sqq. | 586. cf. G. 3, 106 sq. | 592. *nulla*, v. 2, 583. | 593. Iunge: *vanae ex hostibus umbrae*, i. e. vanis terriculis ex hoste venientibus; *vertere*, everterunt; nempe consternati equi (cf. Hom. Il. 8, 86) everterunt currum, quare vs. 590 Lucagus *excussus*, Liger vs. 596 *delapsus*, currus autem vs. 593 prodi dicitur, quippe quo everso facile potiri possit Aeneas vs. 595. | 594. Similis sarcasmus apud Hom. Il. 16, 745. | 595. Alii *inermis*. | 597. v. vs. 369 et 2, 142. | 599. *dudum*, cf. vs. 581—583. | 601. ordo est: *pectus*, *latebras animae;* similiter 11, 508 „decus Italiae virgo," pro *virgo, dec. It.* || 606—688. *Interea Iunoni hoc largitur Iuppiter, ut Turnum fuga seducat invitum a proelio fatoque suo in*

Iunonem interea compellat Iuppiter ultro·
O germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
Ut rebare, Venus — nec te sententia fallit —
Troianas sustentat opes, non vivida bello
Dextra viris animusque ferox patiensque pericli.
Cui Iuno submissa: Quid, o pulcherrime coniunx,
Sollicitas aegram et tua tristia iussa timentem?
Si mihi, quae quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret, non hoc mihi namque negares,
Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine poenas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga
Saepe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex aetherii breviter sic fatus Olympi;
Si mora praesentis leti tempusque caduco
Oratur iuveni, meque hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum, spes pascis inanis.
Et Iuno adlacrimans: Quid, si, quae voce gravaris,
Mente dares, atque haec Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus; aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Haec ubi dicta dedit, caelo se protinus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras,
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.

breve tempus per dolum subtrahat. | 606. *ultro*, v. vs. 312. | 607. cf. 1, 46 sq. | 608. spectant haec verba plena amaritudinis ad orationem Iunonis vs. 63 sqq. | 609. *pulcherr.*, referes hoc ad dignitatem oris plenam maiestatis. | 610. *viris* Dativus possessionem indicans: quae est viris, Troianis; Xenoph. Cyrop. 4, 6, 4 „*τὸν μόνον μοι παῖδα,*“ qui mihi est unicus. | 612. *tristia*, Donatus „imperiosa et quae prohibentis habeant minas.“ | 614. Iunge *mihi namque*, nostrum *mir gerade*, *ἔμοιγε δή*, mihi, quae sum coniux tua; et v. 8, 84. | 618. *nomen*, quia nominatur inter eos, qui diis prognati sunt. | 619. *Pil.*, Saturni filius. — *quart. p.*, abavus. | 623. *meq. h. i. p. s.*, si ea est tua sententia (i. e. si hoc vis), ut hoc ita constituam. | 625. *vacat*, liberum est. — Sin maioris beneficii concessio, *altior venia*, a te petitur. | 626. *moveri*, tolli, Donatus „poni.“ | 629. *haec*, pro qua intercedo. | 630. *veri vana*, cf. 7, 440. | 631. *feror*, v. 4, 110. — *Quod*, qua in re s. quod attinet ad id, utinam frustra metuam! Crebriora talia, quale *Quod si*, *Quod nisi*. | 632. *qui potes:* num igitur tollere fata potest Iuppiter? minime; differre exitus rerum a fato constitutos licet, cf. 7, 314 sq., id quod facit Iuppiter vs. 624. Potuit autem Turno vitam servare Iuppiter, si ille quiesceret; nam fuit fatale, ut id bellum causa mortis Turno existeret; atqui haud ignoravit Iuppiter eum non esse quieturum. Iuno autem non illud orat, ut fata rescindantur, sed ut salvis fatis Turnus ab armis discedat. | 634. *agens h.*,

Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Aeneae — visu mirabile monstrum —
Dardaniis ornat telis, clipeumque iubasque
Divini adsimulat capitis, dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis:
Morte obita qualis fama est volitare figuras,
Aut quae sopitos deludunt somnia sensus.
At primas laeta ante acies exsultat imago,
Inritatque virum telis et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Coniicit; illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus
Credidit atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos;
Hac dabitur dextra tellus quaesita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis et ponte parato,
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Aeneae fugientis imago
Coniicit in latebras; nec Turnus segnior instat,
Exsuperatque moras et pontis transilit altos.
Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,
Avolsamque rapit revoluta per aequora navem.
Tum levis haud ultra latebras iam quaerit imago,
Sed sublime volans nubi se inmiscuit atrae.
Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit.
Obvia multa virum demittit corpora Morti:
Cum Turnum medio interea fert aequore turbo.
Respicit ignarus rerum ingratusque salutis
Et duplicis cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton me crimine dignum
Duxisti et talis voluisti expendere poenas?
Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve reducit?
Laurentisne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virum, qui me meaque arma secuti?
Quosne — nefas — omnis infanda in morte reliqui,

cum procella.| 636. *n. cava*, v. 2, 360 et 5, 663.| 637. *in faciem*, v. G. 4, 82. Et cf. Hom. Il. 5, 449 sq.| 639. *inania* interpretatur poeta ipse verbis subiectis „Dat sine mente sonum.“| 648. *turbidus*, ipsa scilicet spe.| 652. v. 9, 313.| 654. v. vs. 287.| 655. putabimus Osinium Lartem Clusinorum fuisse, qui sub auspiciis Massici parti exercitus praeesset, cf. vs. 166.| 658. *moras*, scalarum.| 660. *revoluta* videtur ad recessum fluctuum pertinere; eo tempore sua sponte abstrahitur navis a litore et in altum abripitur; post, redeunte accessu, rursus defertur ad terram vs. 687 sq.| 667. *cum voce*, i. e. clara voce ita precans; et cf. Tibull. 3, 4, 64.| 670. *reducit*, ex acie.| 673. *Quosne* hic vim

Et nunc palantis video, gemitumque cadentum
Accipio? Quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat
Terra mihi? Vos o potius miserescite, venti;
In rupes, in saxa — volens vos Turnus adoro —
Ferte ratem, saevisque vadis inmittite syrtis,
Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.
Haec memorans animo nunc huc, nunc fluctuat illuc;
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat et crudum per costas exigat ensem;
Fluctibus an iaciat mediis et litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam; ter maxuma Iuno
Continuit, iuvenemque animi miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Iovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnae, Teucrosque invadit ovantis.
Concurrunt Tyrrhenae acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor,
Obvia ventorum furiis expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert caelique marisque,
Ipsa inmota manens; prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum Palmumque fugacem,
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam, poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere humeris et vertice figere cristas.
Nec non Euanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Aequalem comitemque, una quem nocte Theano

habet exprobrandi, ut apud Catull. 64, 180 sqq. „An patris auxilium sperem, *quemne* ipsa reliqui? ... Coniugis an fido consoler memet amore, *Quine* fugit lentos incurvans gurgite remos?“| 675. *Quid ago?* h. l. significat cupidum quidem aliquid agendi sed inopem animum, ut 12, 637. — Alii *dehiscet;* at id ipsum miserrimum esse significat, quod, si vel maxime optet, ne *possit* quidem terra devorari, quippe qui per mare vehatur; itaque *potius* ventos implorat. Ceterum v. 4, 24.| 681. *mucrone induat*, Caesar B. G. 7, 73 „quo qui intraverant, se ipsi acutissimis *vallis induebant.*“ Hom. Il. 8, 86 „*κυλινδόμενος περὶ χαλκῷ.*“ Soph. Ai. 899 „*Αἴας ... κεῖται κρυφαίῳ φασγάνῳ περιπτυχής.*“| 682. *crud.*, Servius „cruentum;“ scilicet qui, dum exigitur, cruentatur.| 683. v. E. 2, 30.| 686. Alii *animo;* v. 6, 332.| 687. secundo maris aestuantis fluctu; et v. vs. 660.| 688. *ad urb.*, Ardeam.|| 689—754. *Succedit in locum Turni Mezentius magnamque edit caedem; inclarescit in ea pugna aliorum quoque ex iisdem partibus virtus.*| 689. *Iovis*, qui se utrique parti aequum fore professus est vs. 112.| 690. *Succ.*, cf. vs. 439. 11, 826.| 692. *odiis*, cf. 8, 479 sqq.| 693. *Ille* sc. *immotus manet*, quod adscisces e vs. 696.| 698 sq. Primo hoc tantum dicturus fuerat: *Occupat Latagum;* deinde adiicit eodem usus, ut fieri solet, casu etiam partem: *os faciemque*, cf. 12, 275 sq. Hom. Il. 7, 14 „*Ἰφίνοον βάλε δουρὶ ... ὦμον.*“| 700. *volvi*, v. 9, 433.| 703. secundum

In lucem genitori Amyco dedit et face praegnans
Cisseis regina Parim; Paris urbe paterna
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus,
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem inpavidus partis cunctatur in omnis,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas:
Haud aliter, iustae quibus est Mezentius irae,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo, infectos linquens profugus hymenaeos;
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactae coniugis ostro:
Inpastus stabula alta leò ceu saepe peragrans,
Suadet enim vesana fames, si forte fugacem
Conspexit capream aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet, hians inmane, comasque arrexit, et haeret
Visceribus super incumbens; lavit inproba taeter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostis.
Sternitur infelix Acron et calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden

consuetudinem dicendum erat: quem Theano eadem nocte, qua Hecuba Parim, peperit. | 704 sq. v. 7, 319. 320. | 706. *ignarum*, ignotum, ut Ovid. Met. 7, 404 „Theseus proles *ignara* parenti.“ | 707. cf. Hom. Il. 11, 414 sqq. — *ille*, v. 7, 110. | 708. *Vesulus*, mons in finibus Ligurum, hodie *il Viso*. | 709. Cum Vesulus et palus Laurentia tanto intervallo inter se distent, apertum est non eundem aprum utroque versu significari; itaque *multosque p. L.*, ita intelliges: et *ille* aper, quem palus L. multos annos defendit. | 710. *inter*, v. E. 2, 3. | 711. *inh. armos*, *φρίσσει τρίχας* Hesiod. Scut. 391. | 712. *irasci* de audacia intelligendum; nam ex ira saepe nascitur audacia. | 714. *part. cunct. i. o.*, dubitans, quo potissimum prorumpat. | 716. *irae*, odio. — In scriptis codicibus hi versus hoc ordine leguntur: 714 *Haud aliter*, 715 *Non ulli*, 716 *Missilibus*, 717 *Ille autem*, 718 *Dentibus*. | 719. *Cor.*, v. 3, 170. | 720. *inf.*, ἀτελέστους. Nempe repente pulsus patria, Graeca aliqua civitate, sponsam ibi reliquerat. — *profugus*, v. E. 6, 53. — Ceterum cf. Hom. Il. 11, 241 sqq. | 721. *miscentem*, *κλονέοντα*. | 722. *Purp. p.*, cf. 9, 163. *ostro*, cf. 11, 772. 9, 582. | 723 sqq. cf. Hom. Il. 3, 23 sqq. 12, 299 sqq. | 723. *stab. alta*, silvas et ferarum lustra, ut 6, 179. — *ceu saepe*, v. 1, 148. | 725. *surg. i. c.*, Servius „cornibus eminentem,“ et cf. 1, 189. | 727. *inpr.*, v. G. 1, 119. | 731. *infr.*, v. 12, 1 et cf. 9, 412 sq. | 732 sqq. Non dignum se putavit, Oroden necessitate aliqua forte

Sternere, nec iacta caecum dare cuspide volnus;
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abiectum posito pede nixus et hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, iacet altus Orodes.
Conclamant socii laetum paeana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicumque es, inulto,
Victor, nec longum laetabere; te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere. Ast de me divom pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo et praedurum viribus Orsen,
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten,
Illum infrenis equi lapsu tellure iacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis;
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Deiicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis iaculo et longe fallente sagitta.

Iam gravis aequabat luctus et mutua Mavors
Funera; caedebant pariter pariterque ruebant
Victores victique; neque his fuga nota, neque illis.
Di Iovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno;
Pallida Tisiphone media inter milia saevit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxuma Nerei

in fugam abreptum a tergo caedere, sed honestius existimans cum viro fortissimo (cf. vs. 737) congredi occupat eum cursu, ut adverso occurrat; et v. vs. 757.| 734. *Obvius adversoque*, v. G. 2, 290.| 735. v. 6, 568, tum 9, 634 et G. 1, 479.| 737. v. vs. 427 et 3, 265.| 738. Prosequuntur clamore illum *ἐπευχόμενον*.| 740 sq. Similia vaticinia morientium ap. Hom. Il. 16, 852 sqq. 22, 358 sqq., adde Cic. de Divinat. 1, 31.| 744. Ovid. Her. 12, 211 „*Viderit* ista deus, qui nunc mea pectora versat.“ Hom. Il. 22, 365 sq.| 745. *Olli*, v. 1, 254. — „*κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον*“ Hom. Il. 11, 241.| 750. cf. 4, 41.| 751. *proc.*, *προὐμάχετο*.| 754. v. 9, 572.|| 755—832. *Aeneas vulnerat Mezentium, Lausum, qui patrem vulneratum protegit, obtruncat.*| 755—761. cf. Hom. Il. 11, 70 sqq.| 757. *neque h. f. n. n. illis*. At quomodo haec concordant cum vs. 732? Nempe etsi, ut fit in proeliis, singuli paucique ab utraque parte fugiebant, nulla tamen fuit universa fuga.| 758. *inanem*, quia neutra acies quidquam proficiebat.| 763. *Turbidus* ira, furore; v. vs. 648. — Alii

Stagna viam scindens, humero supereminet undas,
Aut, summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet inperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae:
Dextra mihi deus et telum, quod missile libro,
Nunc adsint! Voveo praedonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum
Aeneae. Dixit, stridentemque eminus hastam
Iecit; at illa volans clipeo est excussa proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit,
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Haeserat Euandro atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno volnere, caelumque
Aspicit et dulcis moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Aeneas hastam iacit; illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine; sed viris haud pertulit. Ocius ensem
Aeneas, viso Tyrrheni sanguine laetus,
Eripit a femine et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus, lacrimaeque per ora volutae.
Hic mortis durae casum tuaque optuma facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, iuvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens et inutilis inque ligatus
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.

campum. | 766. puta, quando redit ex venatione, cf. Hom. Od. 11, 572 sqq. | 771. *mole s. st.*, ipsa moles pondusque corporis facit, ut firmiter stet, tamquam rupes, cf. 7, 589, ut elephanti in flumine apud Liv. 21, 28 „ipso pondere stabiles." | 773. Mezentius, contemptor deorum, dextram suam hastamque quasi suum numen adesse sibi vult; cf. Stat. Theb. 3, 615. | 775. quale sit tropaeum, docet ipse poeta 11, 5 sqq. Alii tropaea in deorum honorem consecrabant; Mezentius vovet se armis Aeneae induturum esse Lausum filium, ut is tamquam tropaeum adstet. | 779. v. vs. 320. | 781. *alieno*, non sibi intentato. | 784. *Aere c.*, concavum ex aere factum; et v. 5, 663. | 785. *tauris*, Hom. Il. 12, 137 „*βόας αὔας ὑψόσ᾽ ἀνασχόμενοι.*" | 788. *trepidanti* in extrahenda hasta, cf. vs. 794 et v. 12, 403. | 791. Donatus „*Duram* mortem ad aetatem rettulit adolescentis." | 792 sq. Donatus „Confido te futurum in laude maxima, si libri mei habuerint fidem." — *vetustas*, posteritas; Cic. pr. Mil. 35 „De me nulla umquam obmutescet v e t u s t a s." — *tanto op.*, quippe hominum summorum ac fortissimorum rerumque maximarum famam celebranti. | 794. *inut.*, cf. 2. 647. — *inq. l.*, et illigatus; hasta sedens in inguine colligabat eum cum transfixo

Proripuit iuvenis seseque inmiscuit armis,
Iamque adsurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneae subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret,
Telaque coniiciunt proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Aeneas, tectusque tenet se.
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Praecipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola et tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris, ut possint sole reducto
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet omnis,
Sustinet, et Lausum increpitat Lausoque minatur:
Quo moriture ruis maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens; saevae iamque altius irae
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Aeneas iuvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro,
Inplevitque sinum sanguis; tum vita per auras
Concessit maesta ad Manis corpusque reliquit.
At vero ut voltum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriae subiit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.

clipeo; Vossius: *verhäftet.*| 796. Alii *Prorupit.*| 798. Servius „Moram iniiciendo eius impetum lusit.“| 799. sequuntur Lausum cum clamoribus, quales tolluntur ab iis, qui alacri animo vadunt in hostem.| 801. *prot.*, v. 6, 468.| 804. *diffūgit* iam ante ingruentem, quam praevidit, tempestatem.| 805. Omnis et agricola (in quo est quaedam anadiplosis) tuta latet arce et omnis … viator. — *arce* (ab arcendo dicta) perfugio.| 806. *amn. rip.*, puta cavo torrentis vi effecto.| 807. Verba *in terris* videntur late diffusam (certe istis hominibus ita visam) tempestatem indicare.| 808. *Exerc. d.*, exercendo opere transigere diem; et v. 8, 94.| 809. *πολέμοιο νέφος* Hom. Il. 17, 243.| 811. v. 9, 485 et G. 3, 283.| 813. Exsultare dicitur bellator, qui ferociter se agitat.| 815. *f. legunt*, collectam pollice (s. e colo ductam) lanam in filum contorquent.| 818. *molli*, v. vs. 138.| 819. *vita*, *ψυχή*. — *maesta*, „*ὃν πότμον γόοωσα*“ Hom., et v. 4, 692.| 824. *patr. piet.*, pii erga patrem amoris.| 825. *laud.*, v. 9, 252.| 827. *Arma … tua*, cf. Hom. Il. 6, 417 sq.| 828. *si q. e. e. c.*, si qua id curas, si tibi gratum est, et v. 7, 4. — Ceterum cf. vs. 491 sqq.|

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantis socios et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris adclinis trunco. Procul aerea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum iuvenes; ipse aeger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat, multumque remittit,
Qui revocent maestique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem atque ingenti volnere victum.
Adgnovit longe gemitum praesaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad caelum tendit palmas, et corpore inhaeret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextrae,
Quem genui? Tuane haec genitor per volnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exitium infelix! nunc alte volnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriae poenas odiisque meorum:
Omnis per mortis animam sontem ipse dedissem!
Nunc vivo, neque adhuc homines lucemque relinquo.
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in aegrum
Se femur et, quamquam vis alto volnere tardat,
Haud deiectus equum duci iubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. Adloquitur maerentem et talibus infit:

830. cf. 11, 688.| 832. *compt. de more* Etruscorum scilicet.|| 833—908. ***Mezentius, qui, caedem Lausi ulcisci cupiens, in pugnam redit, iugulatur ab Aeneā.***| 834. *siccabat* sistens sanguinem.| 835. *Procul*, v. E. 6, 16.| 838. *C. fov.*, collum lassatum ac deficiens reficit, ita quidem, ut caput trunco arboris acclinet. — *fus. barb.*, v. E. 3, 106. — *in pectore*, ut barba in pectore posita sit.| 839. Alii *multosque r.*| 841. *super a.*, cf. vs. 506.| 844. cf. 12, 611. Hom. Il. 18, 23 sq.| 845. *corp. inh.* (v. vs. 361), prostratus scilicet supra corpus occisi filii, cf. 11, 150.| 847. *host. succ. d.*, meo loco se obiicere vulneribus.| 850. Alii *Exsilium*. — *nunc a. v. a.*, tua mors mortiferum mihi reddit vulnus ab Aenea inflictum.| 854. v. 4, 678. utinam ipse (ultro poenis me offerens) omnibus suppliciis mactatus periissem! — *Omn. p. m.*, cf. Hom. Od. 12, 341 sq.| 856. Iunge *simul dicens*, *ἅμα εἰπών*, non *simul attollit*; Liv. 22, 3 „Haec *simul increpans* cum ocius signa convelli iuberet;“ infra 12, 758 „Ille *simul fugiens* Rutulos simul increpat omnis.“ 11, 827 „*simul his dictis*.“| 857. *vis tardat*, vires tardantur.| 858. *dei.*, deiecto animo. 860 sqq.

Rhaebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum, aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter; neque enim, fortissime, credo,
Iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas iaculis oneravit acutis,
Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. Aestuat ingens
Uno in corde pudor mixtoque insania luctu,
[Et furiis agitatus amor et conscia virtus.]
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas adgnovit enim, laetusque precatur:
Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo!
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me erepto, saevissime, nato
Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses.
Nec mortem horremus, nec divom parcimus ulli.
Desine: iam venio moriturus et haec tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque volatque
Ingenti gyro; sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem laevos equitavit in orbis,
Tela manu iaciens; ter secum Troius heros
Inmanem aerato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet
Vellere et urguetur pugna congressus iniqua,
Multa movens animo iam tandem erumpit et inter
Bellatoris equi cava tempora coniicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes et calcibus auras

Hom. Il. 19, 399 sqq. | 861. *ῥαιβός*, crura habens introrsus spectantia. At laudantur recta crura in equis. Sed raro equum reperiri aiunt periti omnibus numeris perfectum, atque illud quidem vitium etiam in praestantibus equis reperiri. | 862. *illa* rem optatam speratamque significat, ut 9, 481. | 863. *dolorum*, vulneris ac mortis L. | 870. *dedit*, v. 5, 276. | 871. *pudor*, cf. vs. 846—49. — Ceterum v. E. 10, 55. | 874. *agn. enim:* ita annectit poeta his verbis novum enuntiatum, ac si scripsisset *agnovit* (sine *enim*) *laetusque pr.* Sed illud *enim* hanc habet vim, ut significet id, quod facile existimari possit: „Aeneas agnovit vocem; qui enim non agnosceret vocem eius, quocum iam ante conflixerat quemque occidere summopere cupiebat? laetusque precatur.“ | 875. Faxint vero dii, ut tecum congredi liceat! | 877. v. 6, 547. | 879. *Terres*, scilicet ferociter dictis. | 880. „Nec ego, si moriendum est, mortem horreo, nec tibi dii, quos invocas, quidquam profuerint mecum pugnanti.“ Scilicet non ipsis diis, sed ei, qui deos adiutores habet, parcitur. | 883. *volatque*, v. 9, 489. | 889. *iniqua*, pedes contra equitem. | 890. *inter temp.*, in media tempora; Liv. 8, 7 „Spiculum *inter* aures equi fixit.“ | 892. *calcibus* anterioribus; Sil. It. 17, 135 „Quadru-

Verberet, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, eiectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt caelum Troesque Latinique.
Advolat Aeneas, vaginaque eripit ensem,
Et super haec: Ubi nunc Mezentius acer et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit caelum mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris?
Nullum in caede nefas; nec sic ad proelia veni;
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro:
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare ódia: hunc, oro, defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulchro.
Haec loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

AENEIDOS

LIBER UNDECIMUS.

(Proximo die tropaeo constituto datisque induciis, qui in pugna ceciderant, sepeliuntur. Funus Pallantis. — Tristia responsa Diomedis, regis Arporum, quem in societatem armorum Latini adsciscere conati erant. Drancis et Turni mutua iurgia. — Interea instructa acie accedit ad urbem Aeneas. — Dum Turnus suos in insidiis collocat, alteri parti exercitus praefecta imperiumque eo die cum Turno partita Camilla, regina Volscorum, rem gerit optime. Qua occisa fugiunt Itali ad urbem, quos accepto nuntio sequitur Turnus.)

Oceanum interea surgens Aurora reliquit:
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae turbataque funere mens est,

pedem elatis pulsantem calcibus auras.“ | 893 sq. *sup. i. sec. Inpl.*, ipse fusus super effusum equitem facit, ut is expedire se non possit. — *eiecto armo*, Donatus: „porrecto altero crure.“ | 895. *incendere*, ut *φλέγειν* et *ἐπιφλέγειν*, saepe refertur ad magnitudinem vel vehementiam rei, quae incendi dicitur, ut *vires*, *luctum incendere* 5, 455. 9, 500; iam proprie *clamor* incenditur, poetae autem etiam *caelum* incendi clamore dicunt, i. e. impleri ingenti clamore. | 897. *super*, v. vs. 556. | 899. *hausit* oculis, cf. 12, 945 sq. et v. 1, 546. | 903. v. 2, 142. | 905. v. E. 7, 47. prohibe, ne ita saeviant in me, ut insepultum abiiciant.

Aeneid. L. XI. 1—99. *Proximo die Aeneas tropaeum constituit, tum defletum Pallantem multo cum honore ad urbem Euandri deportandum curat.* | 1. *interea*, v. 10, 1. | 3. *Praecip.*, valde urgent. — *turb. fun. m. est*, Servius „funere Pallantis *κατ᾽ ἐξοχήν*,“ nisi forte (uti equidem statuo) ea verba ita

Vota deum primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens; aptat rorantis sanguine cristas
Telaque trunca viri et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clipeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantis:
Maxuma res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; haec sunt spolia et de rege superbo
Primitiae, manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate animis, et spe praesumite bellum,
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Adnuerint superi pubemque educere castris,
Inpediat, segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus, maestamque Euandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
Servabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit, sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus Troianaque turba
Et maestum Iliades crinem de more solutae.

accipienda sunt, ac si poeta dixerit: eâque curâ turbata mens est.| 4. *V. deum*, v. 3, 717. — *pr. Eoo*, cf. 3, 588.| 6. *tumulo*, Servius „in colle. Sallust. de Pompeio: Devictis Hispanis tropaea in Pyrenaeis iugis constituit.“| 9. *T. tr.*, fractas hastas, cf. 10, 882 sqq.| 11. *eburn.*, cf. 9, 305.| 15. *Q. s.*, de eo, quod reliquum est belli. — *de rege*, captae de r.| 16. *Primitiae*, quia inchoatum est bellum, nondum confectum. — hic, quem videtis manibus meis constitutum, Mezentius est; cf. vs. 173.| 18 sqq. animi vestri defixi sint in armis parandis (cf. 6, 105), ne, quando pugnandum erit, mora sit in vobis, et ne metus vos segnes reddat, toti estote in cogitatione futuri belli, cf. vs. 491 et 9, 158.| 21. *segn. sententia*, segne consilium.| 23. Homerus: *τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.*| 27. idem: *οὐδέ τι ἀλκῆς δευόμενον.*| 29. Cum corpus Pallantis in domum regiam (vs. 36 et 38) illatum esset, Aeneae, qui proximo mane diis superis votum soluturus esset, cavendum fuit, ne contagione mortui ante funestaretur; quare reddito demum voto domum se recipit, quo post profectionem suam nondum pedem intulerat.| 30. *pos.*, v. 2, 644.| 31. v. 8, 344 et E. 2, 24.| 35. *Iliades*, puta, quae maritos suos secutae erant earumque filiae; sic haec conciliabis cum

Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, maestoque inmugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit levique patens in pectore volnus
Cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non haec Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam, cum me conplexus euntem
Mitteret in magnum inperium, metuensque moneret
Acris esse viros, cum dura proelia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis;
Nos iuvenem exanimum et nil iam caelestibus ullis
Debentem vano maesti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
Haec mea magna fides? At non, Euandre, pudendis
Volneribus pulsum aspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Praesidium Ausonia et quantum tu perdis, Iule!
Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Inperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis, solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii cratis et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc nec dum sua forma recessit,
Non iam mater alit tellus virisque ministrat.
Tum geminas vestes auroque ostroque rigentis
Extulit Aeneas, quas illi laeta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido

9, 217 et 5, 711 sqq. 750. v. 5, 715. | 47. *in m. inp.*, ad parandum magnum imp. | 50. *donis*, prosiciis et ture. | 52. *vano*, quippe qui nihil ipsum iuvet. | 54. *nostri*, a nobis promissi. | 56. *nato* cum infamia *sospite.* | 59. *H. u. d.*, Servius „postquam haec cum lacrimis dixit.“ | 61. *supr. h. c.*, qui ultimum honorem ei haberent comitando. | 67. *agr. stram.*, intellige virentes herbas; Sil. 10, 561 sq. „mollesque *virenti stramine* composuere toros.“ | 69. v. E. 5, 38 („Pro *molli* v.“) et 6, 53. | 70. *Cui n. f. adh.*, recessit scilicet; cave suppleas *est.* | 72. *rig.*, v. 1, 426. | 73. *laetā laborum*, ut ἥβης ταρπῆναι, et cf. vs. 280. |

Fecerat et tenui telas discreverat auro.
Harum unam iuveni supremum maestus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu;
Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat et longo praedam iubet ordine duci.
Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsurus sanguine flammam;
Indutosque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix aevo confectus Acoetes,
Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora,
Sternitur et toto proiectus corpore terrae.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Aethon,
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam aliī galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum maesta phalanx Teucrique sequuntur
Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Aeneas, gemituque haec addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant: salve aeternum mihi, maxume Palla,
Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros gressumque in castra ferebat.
Iamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleae veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quae fusa iacebant,
Redderet ac tumulo sineret succedere terrae;
Nullum cum victis certamen et aethere cassis;
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.

75. v. G. 3, 283.| 77. *altera* veste obnubit comas; v. 1, 701.| 81. *manus, quos*, v. E. 2, 71.| 82. *caeso sangu.*, v. 10, 520.| 84. *in n. f.*, Servius „dicit affixos tropaeis titulos cum nominibus occisorum.“| 87. prae doloris impatientia etiam proiicit se caputque foedat pulvere. — *terrae*, ut *humi*, v. G. 2, 290.| 88. *currus* Pallantis; eum currum rotae per stragem Rutulorum actae multo sanguine resperserant.| 89. *pos. ins.*, sine phaleris.| 90. cf. Hom. Il. 17, 427.| 93. omnesne Teucri Tyrrhenique? ita est; nec adversatur huic rei vs. 60 sq. Nempe *mille viros* Aeneas delegerat, qui Pallantem prosequerentur ad Euandrum patrem; ceteri quoque cum funere processerant e castris, sed cum Aenea substitisse atque illuc revertisse existimandi sunt; et cf. vs. 171.| 95. *haec addidit* post ea scilicet, quae antea fecisse memoratur Aeneas, cf. 2, 593. 12, 358; alii *edidit*. — *gemitu*, v. 2, 323.| 96. Servius „ad ceteros sepeliendos, qui eodem proelio ceciderunt.“| 97. *Salve*, cf. Hom. Il. 23, 19. — Servius „Varro dicit ideo mortuis salve et vale dici, non quod aut valere aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus eos numquam visuri.“|| 100—138. *Orātores Lātini inducias duodecim dierum impetrant ab Aenea ad suos sepeliendos.*| 101. *Vel. r.*, v. 7, 154.| 104. *aeth.*, v. 1, 546.| 105. *soceris*: quae ad reges (Latinum h. l.) pertinent, saepe refe-

Quos bonus Aeneas, haud aspernanda precantis,
Prosequitur venia, et verbis haec insuper addit:
Quaenam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Inplicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti;
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. Illi obstipuere silentes,
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus iuveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Troiane, quibus caelo te laudibus aequem?
Iustitiaene prius mirer, belline laborum?
Nos vero haec patriam grati referemus ad urbem,
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi. Quaerat sibi foedera Turnus.
Quin et fatalis murorum attollere moles
Saxaque subvectare humeris Troiana iuvabit.
Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et pace sequestra
Per silvas Teucri mixtique inpune Latini
Erravere iugis. Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinos;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et iam Fama volans, tanti praenuntia luctus,
Euandrum Euandrique domos et moenia replet,
Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.

runtur ad populos.| 111. *Oratis*, v. G. 4, 453.| 115. *huic*, qua illi insontes caesi occubuerunt.| 117. *his telis*; similiter ut *huic morti* vs. 115: decuit Turnum, quo suorum parceret sanguini, mecum decertantem defungi solum hoc (*hesterno*) proelio.| 118. *deus*, v. 7, 498.| 122 sq. qui infensum Turno animum eo probabat, ut hunc semper odiis et criminationibus persequeretur. — *odiis*, dictis vel factis ab odio proficiscentibus, ut *inimicitiae*, *irae*, cet.| 126. ita Graeci *θαυμάζω* s. *ἄγαμαί σε τῆς ἀρετῆς*, et v. vs. 416.| 130. *fat.*, cf. vs. 112.| 131. *Troiana*, ad condendam urbem Troianam, quae tum inchoata tantum erat.|| 139—181. *Advectum in urbem patriam corpus Pallàntis Euander excipit oratione doloris plena, eâdemque erga Aeneam eiusque socios plenâ*

Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces; lucet via longo
Ordine flammarum et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia iungit
Agmina. Quae postquam matres succedere tectis
Viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
At non Euandrum potis est vis ulla tenere;
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super atque haeret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non haec, o Palla, dederas promissa parenti!
Cautius ut saevo velles te credere Marti!
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis
Et praedulce decus primo certamine posset.
Primitiae iuvenis miserae, bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec foedera, nec quas
Iunximus hospitio dextras: sors ista senectae
Debita erat nostrae. Quod si inmatura manebat

gratiae.| 142. *de m. vet.*, Servius „quia antea per noctem cadavera funerabantur cum faculis.“ Varro „Si filius familias extra Urbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, et sub noctem in urbem infertur cereis faculis praelucentibus.“| 144. *et discr. agr.*, eximit agros ab ea, quae tegit cetera, caligine.| 145. alii *iungunt*, v. 4, 142.| 146. *succ. t.*, ingredi urbem.| 147. v. 10, 895.| 149 sq. Iunge *super Pallanta.*| 150. *haer.*, v. 10, 845.| 151. *dolore*, v. 2, 412.| 153. In optando, cum significare volumus irritum esse quod optamus, in re praeterita, quae Plusquamperfectum requirere videtur, Imperfectum ita ponitur, ut tempus significetur, quod eo tempore, quo quid factum cupimus, praesens erat „Utinam *velles tum*, cum te Marti credidisti, cautius ei credere;“ infra vs. 161 sq. „Troum socia arma secutum *Obruerent* Rutuli telis!“ i. e. me *debebant* telis obruere *tum, cum te obruerunt;* adde 8, 643.| 154. In soluta oratione ita haec adiungeres superiori enuntiato: „Quamquam haud ignarus eram.“| 156. ***Primitiae***, principia, intellige prima virtutis bellicae specimina. — *b. prop.*, ad quod propter ipsam scilicet propinquitatem missus est; solent autem pericula in propinquo adeunda, errore quodam mentis, minora videri, maiora, quae in longe remotis terris suscipiuntur.| 158. *sanctos*, *sanctissimos* Romani saepe appellabant eos mortuos, quos summa caritate amplectebantur, ut parentes, coniuges.| 160. Consuetus et naturalis fatorum ordo cum sit, ut parentes prius, quam liberi, moriantur, Euander vicit sua fata, diu vivendo ordinem illum pervertens.| 162. v. vs. 153. 4, 678. 10, 854.| 164 sqq. „Non vos, inquit, Troiani, foedusque, quod vobiscum pepigi, arguerim; nam fatalis necessitas hunc casum mihi attulit; vellem etiam, quando semel moriendum fuit Pallanti, maius eum aliquod vobis ante paravisse commodum; quin illud affirmarim, nihil ei honorificentius potuisse

Mors gnatum, caesis Volscorum milibus ante
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvaret.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto;
Tu quoque nunc stares inmanis truncus in armis,
Esset par aetas et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite et haec memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante perempto,
Dextera caussa tua est, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunaeque locus. Non vitae gaudia quaero;
Nec fas; sed gnato Manis perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores:
Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine caelum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter maestum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma.
It caelo clamorque virum clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Coniiciunt igni, galeas ensesque decoros
Frenaque ferventisque rotas; pars munera nota,

accidere, quam tale funus, quod ei per Aenean eiusque socios contigit." | 167. Volsci videntur nominari, quod res ab iis gerendas proximae pugnae poeta reservavit; nam adhuc soli Rutuli Latinique vim Pallantis senserant. Praeterea odium cladesque Volscorum postea nomini Romano infestissimorum tangere poeta videtur. | 168. *in Lat.*, in possessionem imperiumque Latii. | 171. v. E. 4, 6. | 172. v. E. 2, 71. | 173. v. vs. 83 et 5 sq. | 174. v. 1, 544. | 175. *infelix*, ut *miser*, dicitur interdum is, qui parum opportuna vel facit vel loquitur, cf. 2, 42. 5, 671. Soph. Ai. 1269 „δύστηνε, ποῖ βλέπων ποτ᾽ αὐτὰ καὶ θροεῖς;" — *dem. armis*, detineo ab armis. | 179. *tibi* iunge cum *vacat*, *meritis* cum *locus*, i. e. locus ad merita, ut 9, 237 „locum insidiis conspeximus ipsi." Cic. de imp. Pomp. 24 „praesidia periculis sibi quaerere." — Restat tibi, optime de me iam merito, una haec res, qua feliciter peractâ demereri me possis. | 180 sq. non vitae, i. e. mihi viventi, quaero gaudia, sed quaero s. cupio filio meo gaudia (iucundum nuntium) ad inferos perferre; et cf. 2, 587. || 182—224. *Troiani, Etrusci, Latini supremis honoribus prosequuntur, quos pugna caesos amiserunt. Praecipuus luctus in urbe Laurentina; Turnus ibidem in magnam invidiam adductus.* | 182. *mis. m.*, v. 2, 268. | 186. *atris*, v. G. 2, 309. | 188. Talis decursio est iam apud Hom. Il. 23, 13. | 189 sq. v. G. 1, 479. | 194. *igni*, v. E. 2, 30. | 195. *ferv.*, Servius „non quae modo fervent, sed quae solent fervere." Hoc epitheto haud satis commode delecto usus videtur poeta, ut bellicorum

Ipsorum clipeos et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentis spectant socios, semiustaque servant
Busta, neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit caelum stellis ardentibus aptum.
Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras; et corpora partim
Multa virum terrae infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros urbique remittunt;
Cetera confusaeque ingentem caedis acervum
Nec numero nec honore cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris conlucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram:
Maerentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis tepidoque onerabant aggere terrae.
Iam vero in tectis, praedivitis urbe Latini,
Praecipuus fragor et longi pars maxuma luctus.
Hic matres miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora maerentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos;
Ipsum armis, ipsumque iubent decernere ferro,
Qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.
Ingravat haec saevus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginae nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce super maesti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum

curruum, quorum quidem summa est concitatio, rotas apertius significaret. — *nota*, significantur arma ab ipsis, dum erant in vivis, geri solita, cf. 6, 221.| 199. v. 12, 214.| 200. *servant*, ut *domum servare* s. non abscedere domo, *οἰκοφυλακεῖν*.| 201. Donatus „Primo *pyrae* dicuntur et *rogi*; ubi vero arserunt, *busta* vocantur.“| 202. v. 2, 250 et 4, 482.| 205 sq. partim terrae infodiunt singulos nobiliores ibi, ubi ceciderant, partim avehunt (*tollunt*) in finitimos agros et in suam quemque urbem.| 208. *Nec num. n. h.*, ductum hoc ab eo, quod, quorum nulla esset dignatio, eos Romani nullo numero atque honore esse dicebant.| 210. Servius „mos erat tertia die ossa crematorum legi.“| 211 sq. eruebant cineres ossaque corporum combustorum e focis, i. e. e cineribus rogorum; cf. Tibull. 2, 3, 17—25.| 212. *tep.*, ab incendio rogorum adhuc tepenti.| 213. *tecta* opponuntur campo, in quo gesta sunt ea, de quibus modo expositum est a poeta.| 220. cf. vs. 115 sqq.| 223. *obumbrat*, tuetur; Liv. 7, 30 „Itaque *umbra* vestri auxilii, Romani, tegi possumus.“|| 225—295. *Venulus, eo ipso tempore Arpis reversus, renuntiat legationem;* cf. 8, 9 sqq.| 226. *super*, v. 7, 462.| 227 sq. *omnibus Tant. inp. op.*, omni eâque maximâ operâ in legationem

Tantorum inpensis operum; nil dona neque aurum
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quaerenda, aut pacem Troiano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Aenean manifesto numine ferri
Admonet ira deum tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum primosque suorum
Inperio accitos alta intra limina cogit.
Olli convenere fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maxumus aevo
Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
Quae referant, fari iubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
    Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra,
Atque iter emensi casus superavimus omnis,
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi et coram data copia fandi,
Munera praeferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quae caussa attraxerit Arpos.
Auditis ille haec placido sic reddidit ore:
O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros, —
Mitto ea, quae muris bellando exhausta sub altis,

impensâ; et cf. vs. 244. | 230. Alii *petendam*; Lucret. 1, 112 „Aeternas quoniam poenas in morte timendum." Atque etiam Livius (26, 43) in oratione Scipionis maioris hunc archaismum sibi retinendum putavit „ad unam urbem oppugnandum." | 231. *Deficit* animo. | 232. secundum fata Aeneam venire in Italiam, idque manifesta voluntatis deorum significatione prodi. | 235. *Inperio*, suo iussu. | 238. *pr. sceptr.*, Servius „primus inter sceptriferos; namque apud maiores omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam." | 241. *cuncta*, ut ne quid reticeretur. | 243. *Diomede* graece formatus Accusativus; *Τυδῆ* Hom. Il. 4, 384, *Ὀδυσῆ* Od. 19, 136. — *Arg. c.*, i. e. urbem ab Argivis conditam munitamque (Argyrippam s. Arpos), cf. vs. 351. 10, 4. | 245. cf. 8, 124. — *tellus*, urbs, ut *χθών*. | 246. *patr. c. g.*, significatur Argos Hippium in Peloponneso; Diomedes autem, patriâ Aetolus, Adrasti filia Aegialea in matrimonium ducta rex Argivorum factus erat. | 247. *Victor:* arma cum Dauno rege adversus Messapios iunxerat ea condicione, ut partem agri eorum acciperet. — *Garganus*, mons Apuliae, quae etiam Iapygia a poetis appellatur. | 249. *praef.*, prae nobis ferimus, ea primum traditari. | 250. *attrax.* nos. | 251. *sic*, ut 3, 463, asseverat sententiam loquentis cum fide expressam esse. | 254. *ignota b.*, cum ignotis hominibus, quorum quae sit virtus, quae rerum fiducia, ignoratis. | 255. *violare*, rem sacram nefarie attrectare, unde secutae poenae vs. 258; et significantur Troiani, ut erant *θεοσε-*

Quos Simois premat ille viros — infanda per orbem
Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus; scit triste Minervae
Sidus et Euboicae cautes ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad litus abacti
Atrides Protei Menelaus adusque columnas
Exsulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque penatis
Idomenei? Libycone habitantis litore Locros?
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivom
Coniugis infandae prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus aris
Coniugium optatum et pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt aethera pennis
Fluminibusque vagantur aves — heu dira meorum
Supplicia! — et scopulos lacrimosis vocibus inplent.
Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro caelestia corpora demens
Adpetii et Veneris violavi volnere dextram.
Ne vero, ne me ad talis inpellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini laetorve malorum.
Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo praeterea talis Idaea tulisset

βέστατοι, ita esse *θεοφιλέστατοι*.| 257. *ille* de re remota, *dort*, *ἐκεῖ*, unde *ἐκεῖνος* factum. — Ceterum v. G. 4, 393.| 259. *Minervae sidus*, tempestas a Minerva excitata, cf. 1, 39 sq. sidera autem causae tempestatum existimabantur, cf. 4, 578.| 260. *ultor* refer ad vs. 258. — *Caphereus*, promontorium Euboeae, naufragiis infame.| 261. *div.*, v. 3, 4. — alii *adacti*.| 262. *Protei*, v. E. 6, 78. — *Prot. columm.*, Pharum insulam et oras Aegypti, cf. Hom. Odyss. 4, 354 sq. et 363—365; eas autem columnas Protei dixit ita, ut extremas terrae plagas significaret, quemadmodum Herculis columnae extremas versus occidentem terras significare solebant.| 264. *Regna N.*, cf. 3, 295 sq. 325 sqq.| 265. *Idom.*, cf. 3, 121 sq. — *Locr.*, Aiacis Oilei comites.| 267. *pr. intra l.*, ipso aedium ingressu. De tempore, loco, ratione perpetrati eius sceleris alii alia tradunt.| 268. *Dev. As.*, i. e. victorem Asiae. — *subs.*, insidiis excepit oppressitque Aegisthus.| 269. repete *referam?* e vs. 264.| 271. *visu*, specie; Horat. Serm. 1, 5, 84 „immundo somnia visu."| 272. aves Diomedeae, cf. Ovid. Met. 14, 494 sqq.| 273. *Fluminibus*, circum flumina, v. E. 7, 66.| 275. *adeo*, v. 4, 533. — *sper.*, v. 1, 543.| 277. Hom. Il. 5, 330 sqq.| 280. *nec memini*, arceo animum a memoria horum laborum s. recuso meminisse; et v. vs. 73. et 126.| 284. qui gladio petebant hostem, altius efferre clipeum solebant atque etiam umbone urgere adversarium, cf. 12, 712 et 724. „umbonibus incussaque ala (axilla) sternuntur

Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus et versis lugeret Graecia fatis.
Quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium
Haesit et in decumum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis;
Hic pietate prior. Coeant in foedera dextrae,
Qua datur; ast armis concurrant arma cavete.
Et responsa simul quae sint, rex optume, regis
Audisti, et quae sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor; ceu saxa morantur
Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur,
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,
Praefatus divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.
Bellum inportunum, cives, cum gente deorum
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Proelia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis,
Ponite; spes sibi quisque; sed haec quam angusta, videtis;
Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso: potuit quae plurima virtus
Esse, fuit; toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,
Expediam et paucis — animos adhibete — docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proxumus amni,
Longus in occasum, finis super usque Sicanos;

hostes“ Liv. 9, 41. 30, 34.| 286. *In.*, v. 7, 372.| 287. *Dardanus*, Dardanius, Troiani.| 288. *Quidq.*, quantum temporis.| 290. *vestigia* (pedem) *rett.*, dilata est.| 295. *magno bello*, sextus casus: cum bellum sit magnum; s. quae sit sententia, conveniens illa quidem magnitudini belli.|| 296—335. *Audita legatione varioque fremitu excepta Latinus rex pacem suadet condicionesque pacis proponit.*| 296 sqq. cf. Hom. 2, 144 sqq. — *Vix ... que*, v. 2, 692.| 297. *Aus.*, v. 2, 242.| 298. *cl. gurg.*, praecluso aquarum cursu.| 301. *Praef. div.* Servius „Antiqui, ut Cato, Gracchus, nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant.“ adde Plin. Paneg. 1.| 305. *gente*, cf. 10, 228.| 307. *nec possunt*, Servius „eos a bellis discedere natura ipsorum non patitur;“ v. G. 3, 453 et cf. Liv. 27, 14.| 308. *Aet.*, v. vs. 246.| 311. manifestum est.| 314. *adeo*, v. 4, 533. — *dubiae*, expendenti omnia.| 316. *Tusc. amni*, cf. G. 1, 499.| 317. longe patens in occasum et trans fines usque Sicanorum productus. De eo agro v. 9, 274. Nec dubium est, quin poeta respexerit ad rem a Catone narratam; Servius „Cato in Originibus dicit Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana; etiam modum agri commemorat, eum habuisse iugera

Aurunci Rutulique serunt et vomere duros
Exercent collis, atque horum asperrima pascunt.
Haec omnis regio et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiae Teucrorum; et foederis aequas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et moenia condant.
Sin alios finis aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore navis,
Seu pluris conplere valent; iacet omnis ad undam
Materies; ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus.
Praeterea, qui dicta ferant et foedera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet pacisque manu praetendere ramos,
Munera portantis aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium et rebus succurrite fessis.
Tum Drances, idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram nostrae nec vocis egentem
Consulis, o bone rex; cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros —

DCC" (rectius alii codd. „duo millia septingenta."). — *Sican.*, v. 8, 328.| 318. *Aur. Rut. s.*, videtur ager ab his conductus significari, cf. 12, 520.| 321. *aequ.*, ut aequali iure nobiscum utantur, cf. 7, 256 sq.| 324. terram alius gentis capessere.| 325. *possunt*, si licet per fata.| 328. *modum*, τὸ μέτρον, quam longas, altas, amplas esse velint.| 329. *manus*, operas. — *navalia*, picem, ceram, funes, vela, ait Servius.| 331. *pr. d. g.*, genere nobilissimos.| 332. v. 7, 154.| 333. *talenta* de pondere h. l. accipies.| 334. *sell. r.*, sellam curulem; inter dona Masinissae regi a senatu Romano missa fuit „toga praetexta cum curuli sella" Liv. 31, 11. adde 42, 14.| 335. *in med.*, in communem utilitatem. — *fess.*, v. 3, 145.|| 336—375. *Drancis oratio paci amica, Turno inimica.*| 336. Ex consuetudine dicas „infensus, invidus, *idem* largus" *cet.*; retractum est hoc *idem* eodem modo, quo 9, 327 „Rex *idem* et regi Turno gratissimus augur," i. e. rex *idem*que augur; adde 3, 80.| 337. *Obl. inv.*, Servius „non ex aperto impugnabat Turnum, sed eum reipublicae simulata defensione lacerabat."| 338. *fr. b. Dext.*, v. 5, 754.| 340. *Sed. p.*, potentiam sibi quaerens ex movendis seditionibus. — Incerta fama sororem Latini fert Drancis matrem fuisse, hominem de rure patrem.| 342. *onerat* Turnum.| 345. *ferat*, tamquam faciendum ferat, ergo postulet, fieri iubeat; Cic. Ep. ad Fam. 1, 7, 15 „quid res, quid causa, quid tempus *ferat*, optime perspicies."| 347. *auspicium*, quod more Romano

Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur —
Lumina tot cecidisse ducum totamque videmus
Consedisse urbem luctu, dum Troia temptat
Castra, fugae fidens, et caelum territat armis.
Unum etiam donis istis, quae plurima mitti
Dardanidis dicique iubes, unum, optume regum,
Adiicias, nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis
Des, pater, et pacem hanc aeterno foedere iungas.
Quod si tantus habet mentes et pectora terror,
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.
Quid miseros totiens in aperta pericula civis
Proiicis, o Latio caput horum et caussa malorum?
Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentis et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est,
Aude atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia coniunx,
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Etiam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replĕnda est curia verbis,

erat penes eum, qui bellum administrabat. — *mor. sin.*, significatur pertinacia Turni, qui noluerat obtemperare Latino.| 350. *Consed.*, demersam esse.| 351. *fugae f.*, cf. 10, 665.| 351. *cael. t. armis*, de eo dictum, qui stulte ferox terret omnia, ut ipsum caelum timor occupare videatur.| 353. *dici*, promitti, naves puta agrosque.| 354. *vincat*, tantum valeat, ut te prohibeat, quominus *cet.*| 356. *pater* hic, ut vs. 410, honoris est vocabulum, de quo v. 9, 449, item *mater* 12, 74.| 357. Quodsi, quominus hoc fiat, communis metus Turni obstat.| 359. *proprium*, suum. — *patriae*, cuius quantum intersit, ut Aeneae detur Lavinia, disces ex 7, 96—101.| 363. significatur Laviniae coniugium cum Aenea.| 364. *invisum*, inimicum. — Servius „hoc dicit: Non sum quidem inimicus; sed si velis (putes) esse, non recuso."| 366. *puls. a.*, cf. vs. 392 sqq. — *Sat f. Vid.*, *sat videre*, ut *sat esse*, *sat habere*, unius verbi instar est, Theocr. 10, 13 „*ἐγὼ δ' ἔχω οὐδ' ἅλις ὄξος.*"| 367. v. 10, 310.| 373. Servius „*Etiam* est hortantis adverbium hoc loco;" nostrum *doch.*| 374. *adsp. c.*, *ἄντην εἰσιδέειν* Hom. Il. 19, 15, quod est signum audaciae.| 375. v. G. 3, 194.| 376—443.

Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.
Proinde tona eloquio; solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet; nec longe scilicet hostes
Quaerendi nobis; circumstant undique muros.
Imus in adversos! quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine et Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris hostilique aggere saeptus.
„Nulla salus bello.“ Capiti cane talia, demens,
Dardanio rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu atque extollere viris
Gentis bis victae, contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremescunt,
Nunc et Tydides et Larissaeus Achilles,
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit
Artificis scelus et formidine crimen acerbat:
Numquam animam talem dextra hac — absiste moveri —
Amittes; habitet tecum et sit pectore in isto.
Nunc ad te et tua magna, pater, consulta revertor.

Turni oratio confutans argumenta criminationesque Drancis. | 382. cf. 10, 24. | 389. *Imus in adv.!* inest vis exhortandi in ea enuntiatione: age eamus. | 396. cf. 9, 672 sqq. | 397. *die*, intra unum diem, ut *mense*, *anno*. | 399. *cane*, v. 9, 621. | 400. *Proinde*, quoniam ita sentis, nullam a bello salutem sperari posse. | 402. v 9, 599. | 405. *Amnis ... undas:* proverbialis sermo de eo, quod fieri nequit. Quod Euripides universe dixit „*ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί*,“ id ad certum fluvium transtulit Virgilius, quia Aufidus, qui est Apuliae, regnum Diomedis (Tydidae) attigit; certe campi Diomedei qui sunt ad Aufidum, ab illo habent nomen. | 406 sq. Simillime Horat. Epod. 12, 13 „*Vel* mea *cum* saevis agitat fastidia verbis.“ Utroque loco *vel* eam habet potestatem, ut transiri ad aliud quid indicet; *cum* ponitur in repraesentanda rerum memoria, quemadmodum in his: *vidi cum*, *audivi cum*, et cf. vs. 348. Donatus supplet apodosin „quale illud scelerati commentum est;“ et v. G. 3, 562; sed rectius versum 408 sq. pro apodosi accipies, aut si quid est supplendum, supple, quod aliquando omittitur, *scito*, *ἴσθι*, ut apud Liv. 2, 12 „Quandoquidem est apud te virtuti honos, ... treceuti coniuravimus,“ i. e. scito trecentos coniurasse. — Ceterum hoc dicit Turnus: nihil Dranci metuendum fuisse, nisi iurgia; quod cum probe sciret Drances, tamen eum de caede ab illo sibi intentanda suspitionem iniecisse et

Si nullam nostris ultra spem ponis in armis,
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum,
Oremus pacem et dextras tendamus inertis.
Quamquam o si solitae quicquam virtutis adesset!
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis et adhuc intacta iuventus,
Auxilioque urbes Italae populique supersunt,
Sin et Troianis cum multo gloria venit
Sanguine: — sunt illis sua funera, parque per omnis
Tempestas — cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis aevi
Rettulit in melius; multos alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
At Messapus erit felixque Tolumnius et quos
Tot populi misere duces; nec parva sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentis aere catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto,
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quicquam pro spe temptare recusem.
Ibo animis contra, vel magnum praestet Achillen
Factaque Volcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,

simulata formidine acerbissimum crimen commentum esse.| 412. *des.*, cf. vs. 419 sq. 428 sqq.| 415 sqq. „Utinam tamen solitae virtutis quidquam adesset! quae cui adest, is eum iudicat felicissimum, qui ante conceptum dedecus occubuit." Sed hoc ita dicit Turnus, ut a generali sententia oratio ad unum ipsum deflectat.| 416. *mihi*, iudicio meo, cf. G. 1, 491. — *fort. laborum*, τοῦ πολυπόνου βίου; „et est, ait Servius, Graecum εὐτυχεῖς τῶν πόνων;" similiter μακαρίζειν τινά τινος.| 417. *Egreg. an.*, qui est egregii animi, v. G. 4, 491.| 418. *semel* dicitur de eo, quod, cum semel factum est, mutari iam nequit; Propert. 4, 11, 3 ‚Cum *semel* infernas intrarunt funera leges." — Homerus: ὀδὰξ ἕλεν οὖδας.| 420. *Italae*, cf. vs. 428 sqq. — *supers.*, v. E. 6, 6.| 424. *Def.*, v. vs. 231. — *ante tubam* auditam.| 425. *var. l. m. ae.*, labor alio tempore alius, i. e. qui ante irritus fuit, post prospere procedit.| 426 sq. Fortuna, vices rerum alternans ac modo peior, modo melior veniens, eundem nunc decipit, nunc iuvat.| 428. v. vs. 246.| 430. Alii *nec tarda s.*| 433. v. 7, 804.| 437. *tanta pro spe*, ut dicar solus commodum publicum (bona communia) tuitus esse.| 438. *animis*, fidenti fortique animo. — *praestet*, exhibeat, par ei sit.| 439. *paria* armis

Devovi. „Solum Aeneas vocat.“ Et vocet oro;
Nec Drances potius, sive est haec ira deorum,
Morte luat, sive est virtus et gloria, tollat.

Illi haec inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus inplet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi concussaque volgi
Pectora et arrectae stimulis haud mollibus irae.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma iuventus,
Flent maesti mussantque patres. Hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit ad auras:
Haud secus, atque alto in luco cum forte catervae
Consedere avium, piscosove amne Padusae
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore Turnus,
Cogite concilium et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruunt. Nec plura locutus
Corripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firmet, turrisque capessat;
Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit ac tristi turbatus tempore differt,
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean generumque adsciverit urbi.

Achillis.| 443 sq. acerba irrisio: nec Drances potius pugnet cum Aenea et, sive qua ira deorum intercedit in hoc certamine, eam iram morte sua luat, sive parata est virtutis gloria, eam gloriam auferat.|| 445—531. *Interea repente allato nuntio Aenean instructa acie adventare trepidatur tota urbe; concilium dirimitur; concurritur ad defendenda moenia. Turnus arrepta pugnandi opportunitate Camillam cum Messapo equitibus praeficit praemissisque hostium equitibus opponit; ipse, itineri Aeneae insidiaturus, montes silvasque occupat.*| 452. cf. vs. 728.| 453. *manu*, Servius „praeter vocem gestum etiam flagitantis expressit.“| 458. *loqu.*, cf. 12, 475.| 459. *Immo*, Donatus „Quid trepidatis? inquit, habetis tempus otiosum; sedete potius et bona pacis quietemque laudate, dum illi armis optata possideant.“ — *arr. temp.*, statim usus commoditate rei; Luc. 10, 508 „tempore rapto Caesar semper feliciter usus.“| 461. Illi, dum vos estis otiosi, rem gerunt armis, quibus scilicet gerenda sunt talia.| 464 sq. *Messapus* et *Coras* Nominativi pro Vocativis Graeco exemplo. — *in arm.*, v. 5, 440.| 465. *cum fr.*, Catillo, 7, 762.| 467. *iusso*, iussero.| 472. *urbi*,

Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Bucina. Tum muros varia cinxere corona
Matronae puerique; vocat labor ultimus omnis.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens, iuxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos deiecta decoros.
Succedunt matres et templum ture vaporant,
Et maestas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis, et ipsum
Pronum sterne solo portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.
Iamque adèo Rutulum thoraca indutus aenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc, laterique accinxerat ensem,
Fulgebatque alta decurrens aureus arce,
Exsultatque animis, et spe iam praecipit hostem:
Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu temptare pericula belli;
Tu pedes ad muros subsiste et moenia serva.
Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus:

in urbem, in regnum, v. 7, 367.| 473. cf. vs. 894.| 476. *lab. ult.*, summum discrimen.| 477. v. 2, 319. Ceterum cf. Hom. Il. 6, 269 sqq.| 478. v. 7, 284.| 480. v. E. 3, 106.| 481. *Succ.*, quo?| 482. *de lim.*, ex more in introitu templi preces fiunt.| 483. cf. Hom. Il. 6, 305 sqq.| 487. *adeo*, v. 4, 533. — Rutulos thoracas tum praestantissimos in Italia habitos esse poeta videtur significare, ut Attici in Graecia inprimis laudabantur.| 490. *aureus*, ita fulgebant arma eius, ut aurum.| 491. *Exs. a.*, v. 2, 386. — *spe praec. h.*, Servius „[illegible]nte praeoccupat hostis adventum;“ et v. vs. 18.| 492 sqq. cf. Hom. Il. 6, 506 sqq.| 494. *ille*, v. G. 2, 435.| 496. Iunges *alte arrectis*.| 497. *Lux.*, ferociens, *κυδιόων* Hom. l. l.| 500. *Desil.*, Servius „hoc ad honorem Turni refertur.“| 504. promitto et Troianis equitibus *sola* occurrere, et *sola* obvia ire Tyrrhenis; v. 6, 716 et 2, 432.| 506. pedes eum peditatu.| 507. *oculos fixus*, ut vs. 480.|

O decus Italiae virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia inprobus arma
Praemisit, quaterent campos; ipse ardua montis
Per deserta iugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite silvae,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit turmaeque Latinae
Tiburtique manus; ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in proelia dictis
Hortatur sociosque duces, et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, adcommoda fraudi
Armorumque dolis, quam densis frondibus atrum
Urguet utrimque latus, tenuis quo semita ducit
Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota iacet, tutique recessus,
Seu dextra laevaque velis occurrere pugnae,
Sive instare iugis et grandia volvere saxa.
Huc iuvenis nota fertur regione viarum,
Arripuitque locum et silvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat et has tristis Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequiquam cingitur armis,

508. v. 10, 601.| 509. Iunge *supra omnia*, et v. 12, 839.| 511. *fidem*, nuntium.| 512 sq. *inpr.*, *ἀκόρεστος πολέμου*, v. G. 1, 119. — „*levia arma*, expeditos equites, praemisit ad hoc solum, ut iaculis (lege *ungulis*) verberent campos ostentationis causa et propter tegendam fraudem,“ Donatus.| 514. *iugo ea superans*, ergo: per iugum ardui desertique montis appropinquat.| 515 sq. cf. 522—531.| 519. *Tib.*, cf. 7, 671. — *et tu*, ut ego illa, sic tu hac parte praeesto copiis, cf. vs. 510.| 521. *et*, v. 5, 504.| 522. *vallis*, per quam agmen ducendum erat Aeneae, cf. vs. 904 sq.| 524. *quo*, quam in vallem.| 525. *mal.*, Donatus „difficiles atque contrarii gradientibus.“| 526. *in spec.*, *περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ* Homer., cf. E. 8, 59.| 527. *tuti rec.*, locus a conspectu remotus nullique periculo expositus. — Alii *receptus*.| 528. sive dextra aut sinistra parte venienti hosti occurrere velis.| 529. *inst. i.*, consistere in iugis.| 530. *reg.* v. 2, 737.| 731. *Arr. l.*, v. 3, 477. — *iniqu.*, per quas iter facere periculosum futurum esset Aeneae.|| 532—596. *Interea Diana instanti Camillae interitu commota Opim* (unam e Nymphis napaeis, Threissam vs. 858) *ad ulciscendum eius interfectorem excitat.* — *Metabus et Camilla.*| 532. *sup. in sed.*, in Olympo, quo etiam Nymphae veniunt, vel ad concilium deorum vocatae, Hom. Il. 20, 8, vel nuntium aliquem ferentes, Hom. Od. 12, 374 sq.| 534. *has tristes voc.*, ut *haec tristia dicta* 2, 115.| 536. *nostris*, cf. vs. 652 et 844.|

Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianae
Venit amor subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno virisque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem fugiens media inter proelia belli
Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.
Ipse sinu prae se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique saeva premebant
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugae medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix haec sententia sedit:
Telum inmane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto,
Huic natam, libro et silvestri subere clausam,
Implicat atque habilem mediae circumligat hastae;
Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Inmittit: sonuere undae; rapidum super amnem
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius iam urguente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo, donum Triviae, de caespite vellit.
Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:

539. *vir. sup.*, superbum potentiae usum.| 548. *tant.*, v. 5, 404.| 549. *Rup.*, v. G. 3, 428.| 551. Iunge *versanti subito;* sic Servius et Donatus; *vix* indicat Metabum, quod consilium ceperit, id sine mora exsecutum esse; 10, 659 „Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem;“ adde 12, 650. — *haec* statim expositum iri significat, quae sit ea sententia.| 552. *Tel. inmane* ... *Huic:* est haec perturbatio structurae verborum (*ἀνακολουθία*, v. G. 3, 464) praeclare accommodata ad significandam Metabi trepidationem.| 553. *cocto*, quod duratum est igne, ustulatum.| 554. *clausam*, involutam.| 555. *habilem*, ita ut tractari, facilius librari posset.| 558. Servius „Bene *ipse pater*, quia auctorandi (liberos homines in famulatum dandi) potestatem nisi patres non habent.“ — *prima*, v. E. 6, 1.| 560. *dubiis*, per quas dubia salute fertur.| 562. *son. undae* sibilo emissi teli percussae, „ut aqua quoque ipsa mittentis vim fortitudinemque sensisset,“ Donatus.| 565. *victor*, compos voti.| 567. odium Metabi a Volscis manarat ad Etruscos, qui antiquitus Volscis ceterisque circa populis imperitabant, cf. vs. 581. — *tectis* ... *moenibus*, Servius „non in civitatem, non in privatam admissus est domum.“| 568. *manus dare* dicitur victus, omnino, qui desistit repugnare et

Pastorum et solis exegit montibus aevum.
Hic natam in dumis interque horrentia lustra
Armentalis equae mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris inmulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, iaculo palmas armavit acuto,
Spiculaque ex humero parvae suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniamque gruem aut album deiecit olorem.
Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum; sola contenta Diana
Aeternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finisque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Haec cape, et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicumque sacrum violarit volnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine poenas.
Post ego nube cava miserandae corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriaeque reponam.
Dixit; at illa levis caeli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat
Etruscique duces equitumque exercitus omnis,
Conpositi numero in turmas. Fremit aequore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis
Huc conversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.

adversari. Servius „hoc dicit: etiamsi qui eum voluissent suscipere, ille tamen eorum consortia morum feritate fugisset.“ | 569. Pastorum exegit aevum (pastoritiam vitam posthac egit) et in solis montibus aevum exegit; v. G. 2, 290. | 570. v. 1, 165. | 571. *ferino*, quia *ferus* interdum i. q. *equus*, ut 2, 51. | 573. *primis*, v. G. 3, 130. — *vest. ... Inst.*, insistendo fecerat vestigia. | 574. *armavit*, alii *oneravit*, cf. vs. 578. | 576. *crin. auro*, v. 4, 138. | 580. *Strym.*, v. G. 1, 120. Sed arbitrantur avem, quae sit e numero migrantium, haud inepte ab ea terra cognominari, unde venerit. | 581. *Tyrrh.*, v. vs. 567. | 586. Donatus „Si hoc non fecisset, posset adhuc mihi cara et comes esse cum ceteris.“ | 590. *Haec*, arcum puta et pharetram. | 593. *cava*, v. 2, 360. | 594. cf. Hom. Il. 16, 667 sqq. v. E. 2, 30. | 596. *Ins.* celeri volatu auras secando. || 597—647. *Committitur proelium equestre.* | 600. *habenis* Dativus, ut 4, 38. | 601. *Huc conv. et h.:* equi animosi cum obluctantur frenis, cervicem convertunt modo in unam, modo, a sessore cohibiti, in alteram partem. — *ferreus h. Horret*, proprie diceres: ferreis hastis. | 602. *ardent*

Nec non Messapus contra celeresque Latini
Et cum fratre Coras et virginis ala Camillae
Adversi campo adparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.
Iamque intra iactum teli progressus uterque
Constiterat: subito erumpunt clamore, furentisque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela,
Crebra nivis ritu, caelumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt; excussus Aconteus
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti,
Praecipitat longe et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatae acies versique Latini
Reiiciunt parmas et equos ad moenia vertunt.
Troes agunt; princeps turmas inducit Asilas.
Iamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt et mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terram, scopulosque superiacit unda
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam;
Nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
Saxa fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos;
Bis reiecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in proelia totas
Inplicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque corporaque et permixti caede virorum

ab eo, quod sunt δούρατα παμφανόωντα Hom. Il. 5, 619, λαμπόμενα 6, 319.| 603. *cel.* Ad nomen Celerum Romuli alludere poetam ait Servius; v. 9, 370. 7, 181.| 604. *c. fratre*, 7, 672.| 605. *hastas*, quibus comminus pugnent, cf. vs. 612 sq.| 606. *longe*, cf. vs. 667, ἔγχος ἑνδεκάπηχυ est apud Hom. Il. 8, 494. — *spic. v.*, proludentes ad pugnam, Lucan. 7, 82 „Vibrant tela manus; vix signa morantia quisquam exspectat.“ Liv. 21, 28. Ceterum alii protendunt hastas, alii spicula vibrant, v. 1, 701.| 607. *Adv. virum ardesc.*, strepitus (quod vocabulum elicies ex eo, quod subiicitur *fremitus*) advenientium increbrescit, et v. 10, 895.| 608. *uterque* exercitus.| 609. v. 12, 875.| 613 sq. *ruinam D.*, cadunt, neuter tamen ab altero ictus, sed conflictu equorum in se ipsos irruentium.| 618. nam e Latinis erat Aconteus.| 620. *As.*, cf. 10, 175 sqq.| 622. *mollia*, qualia sunt domitorum equorum, facilia ad flectendum.| 624. *gurgite*, fluctu puta.| 626. *sinu*, fluctu undam iam languentem in sinum spuma praetextum expandente per humile litus.| 627. *revol. saxa:* quae fluctus veniens provolvit, idem recedens revolvit.| 628. *vado l.*: cum vis aquae fluctu provolutae rediit, paulum vadi relinquitur, et ipsum, sed tardius, relabens.| 629. *Rutulos*, v. 9, 450.| 633.

Semianimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque iactat
Volneris inpatiens arrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iollan,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Deiicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Caesaries, nudique humeri; nec volnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor; dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per volnera mortem.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem;
Aureus ex humero sonat arcus et arma Dianae.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectae comites, Larinaque virgo
Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securim,
Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras:
Quales Threiciae cum flumina Thermodontis
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis,
Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
Penthesilea refert magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo,
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Euneum Clytio primum patre; cuius apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit atque cruentam
Mandit humum moriensque suo se in volnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque super; quorum alter habenas

v. 1, 639.| 636. *Ors.*, v. vs. 690.| 640. *Volv.*, v. 9, 433.| 644. tanta sui parte expositus est vulneribus.| 645. Hom. Il. 13, 618 „ἰδνώθη δὲ πεσών.“|| 648—724. *Camillae* ἀριστεία.| 649. v. 1, 492. — *pugnae*, ut expeditior esset ad pugnandum.| 650. *lenta*, v. 7, 164.| 654. *fugientia*, a fugiente emissa.| 656. *sec.*, v. 7, 184. Tarpeia quidem est securigera, quemadmodum Amazones.| 658. *pac. bellique m.*, θεραποντίδας.| 659. antiqui poetae Thraciae nomine aliquando terras istas in septemtrionem porrectas significant, quas Scythae tenebant vel tenere putabantur.| 660. *pulsant* ungulis equorum, transmittentes amnem glacie obductum. — *pict.*, v. 8, 588. — *bell.*, v. G. 2, 425. — Ceterum v. 1, 316.| 661. *Mart.*, Martis ex Otrera filia.| 662. *refert* se victrix e proelio. — *ululatus* h. l. est ovantium.| 664. cf. Hom. Il.

Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit ac dextram labenti tendit inermem,
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden, sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque Harpalycumque et Demophoonta Chromimque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur,
Cui pellis latos humeros erepta iuvenco
Pugnatori operit, caput ingens oris hiatus
Et malae texere lupi cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus; ipse catervis
Vertitur in mediis et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Traiicit, et super haec inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.
Protinus Orsilochum et Buten, duo maxuma Teucrum
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent et laevo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem;
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat; volnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic subitoque aspectu territus haesit
Appenninicolae bellator filius Auni,

5, 703. 8, 273.| 671. Puta rem ita se habuisse: Equus, cum ad certamen ventum esset, tollit se arrectis anterioribus pedibus praebetque Camillae locum, ubi suffodi possit; suffossus cum saeviat intolerantius, sessor sede exturbatus retrorsumque actus *(revolutus)* amittit habenas, quas dum labens recipere (*colligere*) tentat, interficitur a Camilla. — Alii *suffuso.*| 673. v. G. 2, 290.| 674. *incumbens* ostendit nisum emittentis hastam.| 678. *Ign.*, insolitis. — *Iap.*, v. vs. 247.| 680. cf. 10, 891. 12, 716.| 682. *spar.*, leve telum rusticum.| 684. *exceptum*, Gallice *surpris*, ut nihil tale metuentem, 3, 332. 10, 386, tamquam feram, Horat. Od. 3, 12, 12, fugientemque ac non resistentem sine labore traiicit.| 688. quae verba? nempe magniloquentiam istam vs. 686 haud obscure notatam, propriam illam fortasse Etruscorum. — *redarg.*, v. 9, 282.| 693. ergo eo loco fixit hostem, qui erat inter loricam, galeam et parmam a fugiente in tergum reiectam vulneri relictus.| 695. *interior*, cf. 5. 170. Servius „sinisterior, breviore scilicet circulo.“ Sumtum hoc a Circo: interiores dicuntur, qui, dum alii ampliore s. exteriore orbe metam, quae erat certantibus ad sinistram, circumvehebantur, ipsi breviore metaeque proximo cursu ferebantur; Ovid. Am. 3, 2, 12 „Nunc stringam metas interiore rota.“| 700. *Appenn.*, Appenninus mons incipiebat a Genua, quae est urbs Liguriae. — *filius A.*, an et ipse Aunus appellatus

Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo iam cursu evadere pugnae
Posse neque instantem reginam avertere cernit,
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit haec: Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? Dimitte fugam et te comminus aequo
Mecum crede solo pugnaeque accinge pedestri:
Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit; at illa furens acrique accensa dolore
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At iuvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequiquam patrias temptasti lubricus artis,
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Haec fatur virgo et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit:
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Conprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor et volsae labuntur ab aethere plumae.
At non haec nullis hominum sator atque deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum Genitor Tarchonem in proelia saeva
Suscitat, et stimulis haud mollibus iniicit iras.
Ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans, reficitque in proelia pulsos.
Quis metus, o numquam dolituri, o semper inertes

est? v. 9, 362. | 701. *extr.* arte scilicet fallendi; Cato „Ligures omnes fallaces.“ | 704. v. 2, 62. | 706. *d. fugam*, omitte equi velocitate uti. | 707. *Mec.*, desiliamus uterque ex equis, cf. vs. 713 sq. | 708. *cui*, puta *tibine;* quod ad unum referendum erat, more poetico ad universum genus eorum, qui vana gloriatione delectantur, relatum est; ea enim victoriam afferre solet nemini, qui ea utitur. — *vent. gloria* ex pugnae equestris successu, cuius maior pars equi praestantiae debetur. — Alii *gl. fraudem.* | 710. *res.*, v. G. 2, 29. | 711. *Ense*, v. 7, 187. — *pura*, inornata, Cic. Verr. 4, 23, 52 „Sic Haluntini excussis deliciis *(emblematis)* cum argento p u r o domum revertuntur;“ cf. etiam 9, 548. | 714. *ferr. c.*, contra usum heroicorum temporum, quae ignorabant calcaria. | 716. v. vs. 701. | 718. *ignea* i. q. valde celeris; Sil. It. 3, 306 „Autololes, levibus gens *i g n e a* plantis;“ et „*f l a m m e a* vestigia“ dixit Catull. 64, 387; v. etiam infra vs. 746 et verba Ciceronis ad 12, 214 laudata. | 721. *sacer*, quia est avis auguralis. — Ceterum cf. Hom. Il. 22, 139 sqq. || 725—835. *Restituit proelium Tarchon. — Mors Camillae.* | 725. cf. Hom. Il. 10, 515. | 728. iniiciens iras eius animo stimulis haud mollibus usus est, quo eas incitaret. | 730. *alas*, cf. vs. 835. | 731. cf. Hom. Il. 10, 68. | 732. *dolituri* ignavia scilicet vestra et

Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
Femina palantis agit atque haec agmina vertit?
Quo ferrum, quidve haec gerimus tela inrita dextris?
At non in Venerem segnes nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes et plenae pocula mensae, —
Hic amor, hoc studium — dum sacra secundus haruspex
Nuntiet ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Haec effatus equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat et Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra conplectitur hostem
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in caelum clamor, cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarchon,
Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum et partis rimatur apertas,
Qua volnus letale ferat; contra ille repugnans
Sustinet a iugulo dextram et vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, inplicuitque pedes atque unguibus haesit;
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis et sibilat ore,
Arduus insurgens; illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro; simul aethera verberat alis:
Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem iaculo et multa prior arte Camillam
Circuit et, quae sit fortuna facillima, temptat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit et tacitus vestigia lustrat;
Qua victrix redit illa pedemque ex hoste reportat,
Hac iuvenis furtim celeris detorquet habenas.
Hos aditus, iamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, et certam quatit inprobus hastam.
Forte sacer Cybelae Chloreus olimque sacerdos
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,

dedecore; Valer. Fl. 3, 230 sq. „numquamne dolor ... subibit Nil ausas sine rege manus?“ Ceterum confer cum hac oratione Hom. Il. 4, 338 sqq. | 737. *Aut ... exspectare*, i. e. nec segnes exspectare s. ad exspectandas dapes. | 739. *secundus*, qui secunda nuntiat ex extis inspectis. | 741. *mor. et i.*, ut suos ad mortem oppetendam vocavit, ita et ipse mori paratus est. | 746. *igneus*, v. vs. 718. Sil. It. 16, 512 „Theron *igneus*.“ | 750. *exit*, cf. 5, 438. | 751. *vol. alte*, *αἰετὸς ὑψιπέτης* Hom. Il. 12, 201. | 759. *Maeon.*, cf. inter se 8, 479 et 499. — *debitus*, obnoxius, *verfallen*. | 760. *prior*, priusquam ipsam feriat; v. 4, 494. | 761. *quae s. f. f.*, quem maxime commodum fortuna aditum offerat ad illam interficiendam. | 767. *inprob.*, v. G. 1, 119. | 768. *sacer C.*, cf. 6, 484. — *olim*, in

Spumantemque agitabat equum, quem pellis aenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humero sonat arcus, et aurea vati
Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troia, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix unum ex omni certamine pugnae
Caeca sequebatur, totumque incauta per agmen
Femineo praedae et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Concitat et superos Arruns sic voce precatur:
Summe deum, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna,
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias pulsaeve tropaeum
Virginis, aut spolia ulla peto; mihi cetera laudem
Facta ferent; haec dira meo dum volnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit et voti Phoebus succedere partem

patria, cum ea salva esset. | 770 sq. quem equum muniebat pellis ferina squamis, quibus erat obducta, in speciem plumarum ex aere factis (*opus plumatum* dixeris), aureis fibulis subter alvum conserta; significatur equus cataphractus. | 772. v. 9, 582. | 773. v. E. 1, 55. — Omnino hoc loco, qui fuerit ornatus, quae armatura Chlorei, exponitur; itaque vs. 773 non, quid tum maxime manu tractaverit, commemoratur, sed quid, cum usus erat, facere consueverit; quare nihil impedit, quominus vs. 774 aureus (auro ornatus) arcus ex humeris eius pependisse dicatur. | 775 sq. *crepantes* auro scilicet intexto. — Amplae (propterea que *fluentes* 1, 320) cum essent eae vestes, fibula aurea sub pectore ita colligebantur s. complicabantur, ut quasi *nodus* quidam efficeretur; ex qua complicatione s. nodo explicabat sese lateque expandebat sinus vestis. | 777. v. E. 3, 106. — *barb. t. cr.*, genus quoddam bracarum, quo utebantur Phryges. | 778. cf. 3, 286—88. | 781. v. G. 4, 82. | 784. *superos*, v. 6, 322. | 785. In summo Soracte colebatur Soranus, qui etiam Dispater appellatur. Quo tempore Graecorum deorum cultus invectus est in Italiam, Sorani nomen cessit Apollini, isque celebre templum ibi habuit. Plin. N. H. 7, 2, 19 „Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpi (s. Hirpini); hae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes (terque exta per eam portantes, ut ait Sil. It. 5, 177) non aduruntur.“ — *Summum deorum* interdum appellant, qui praecipuo honore colunt deum aliquem; similiter *prima deum* a Cressa muliere Dictynna appellatur in Ciri vs. 245. Servius „*Summe deum* ex affectu colentis dicitur.“ | 786. *primi*, praeter ceteros, v. 3, 437. — *pin. ard.*, v. 7, 463. — *acervo* lignorum. | 788. Varro apud Servium „Ut solent Hirpini, qui ambulaturi per ignes medicamento plantas tinguunt.“ | 794 sqq. cf. Hom. Il. 16, 249 sqq. |

Mente dedit, partem volucris dispersit in auras:
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Adnuit oranti; reducem ut patria alta videret,
Non dedit, inque notos vocem vertere procellae.
Ergo, ubi missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acris oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa nec aurae
Nec sonitus memor aut venientis ab aethere teli,
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidae comites dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnis exterritus Arruns,
Laetitia mixtoque metu, nec iam amplius hastae
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montis sese avius abdidit altos
Occiso pastore lupus magnove iuvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subiecit pavitantem utero, silvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se inmiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam,
Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui; nunc volnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge et haec Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero inmensus surgens ferit aurea clamor

795. v. 9, 313.| 801. *nec aurae* referes ad *per auras* vs. 799 et cf. vs. 863.| 803. v. vs. 649.| 806. Iunge *ante omnis ext.*| 809. *ille*, v. 7, 110. Ceterum cf. Hom. Il. 15, 586 sq. adde 16, 812 sqq.| 810. *avius*, proripiens se per avia.| 815. *Contentus fuga*, ut videtur, id quod *contentâ fugâ*, quemadmodum dicitur *contendo fugere*.| 818. Supra vs. 805 ruentem suscipiunt comites, prohibent igitur, quominus ruat; iam labitur inclinato corpore, inclinantibus quoque se oculis; denique vs. 828 cadit.| 821. *sola*, v. 2, 426.| 822. v. G. 1, 200.| 823. *potui*, valui viribus.| 826. *Succ. p.*, v. 10, 690.| 827. *Simul*, v. 10, 856.| 829. cf. 4, 703.| 831. v. 4, 492.| 832. *inmensus surgens*, v. G. 1, 163.||

Sidera; deiecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum
Tyrrhenique duces Euandrique Arcades alae.
At Triviae custos iamdudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio iuvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,
Ingemuitque deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse sagittas.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema iam in morte; neque hoc sine nomine letum
Per gentis erit aut famam patieris inultae.
Nam quicumque tuum violavit volnere corpus,
Morte luèt merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit laetantem animis ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni, capias ut digna Camillae
Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?
Dixit et aurata volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis,
Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantis
Audiit una Arruns haesitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;
Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.

836—867. *Supplicium Arruntis.*| 836. *custos*, quae provideret, ne inultus abiret Arruns, cf. vs. 587 sqq.| 837. *interrita:* spectabat ex alto loco ab ipsaque pugna remoto, ubi nulla subita res eam terrere prospectumque impedire posset.| 843. *desertae*, v. 2, 714.| 844. *nostr.*, cf. vs. 536.| 847. *aut*, v. vs. 737.| 850. Nihil amplius de hoc rege memoriae proditum. — *terr. ex agg.*, ut apud Hom. Il. 7, 86. 23, 255 sq.| 854. Alii *vid. fulgentem armis.* — *vana t.*, v. G. 3, 149.| 856. v. 9, 485.| 857. *Tune* cet.: ne spera te Dianae tela, quae nemo vitare potuit, esse vitaturum. Interrogatio prodit animum irridentis. Nos: *Du wirst doch wohl auch durch Dianens Geschosse sterben?*| 858. *Threissa* Opis; cf. 1, 315 sq.| 861. *aequis: aeque* dextrâ pectus ac laevâ cuspidem sagittae tangebat; v. 4, 494.| 864. *una* bis intelligendum: una audiit Arruns, unaque haesit ferrum in c.; ergo uno utrumque momento factum; item bis intelliges *simul* vs. 908 et 910.| 865. *extr. g.*, v. 2, 690.| 866. *Obl.*, negligentes.||

Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae;
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,
Disiectique duces desolatique manipli
Tuta petunt et equis aversi ad moenia tendunt.
Nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis
Sustentare valet telis, aut sistere contra;
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussae pectora matres
Femineum clamorem ad caeli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi inrupere patentis,
Hos inimica super mixto premit agmine turba,
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Moenibus in patriis atque inter tuta domorum
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas,
Nec sociis aperire viam, nec moenibus audent
Accipere orantis, oriturque miserrima caedes
Defendentum armis aditus inque arma ruentum.
Exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum
Pars in praecipitis fossas urguente ruina
Volvitur, inmissis pars caeca et concita frenis
Arietat in portas et duros obiice postis.
Ipsae de muris summo certamine matres, —
Monstrat amor verus patriae — ut videre Camillam,
Tela manu trepidae iaciunt, ac robore duro

868—895. *Fuga turmae femineae Volscorumque* (vs. 498) *Rutulorumque* (Latinorum) *equitum. — Matronarum ardor in defendenda patria.* | 868. *lev.*, v. 6, 17. | 869. *Rutuli*, v. 9, 450. | 870. *desolati* a ducibus. | 874. *hum. langu.*, quia ipsi homines languebant. | 875. v. 8, 596. | 877. *e spec.*, puta e muris, cf. vs. 475 sq. | 879. *primi* illi distinguuntur ab iis, qui postea veniunt, cum portae clauderentur, aut post clausas portas. | 880 sqq. *super*, insuper, i. e. praeter periculum ab hoste imminens; *mixto*, confuso; *turba* ipsorum Latinorum Volscorumque *inimica* est s. obest sibi (*inimica* hic non est *hostilis*; primi qui intrant urbem, longius absunt ab hostibus); nam cum nimis conferta esset turba fugientium, factum est illud, quod in tali casu accidere solet, ut multi misere perirent, suis aut proximorum telis, quae declinare non licebat, confixi; Sallust. Histor. l. II. apud Nonium „Ruuntque pars magna suismet aut proximorum telis“ puta confixi; denique (vs. 885 sq.) qui fugientes socios, ut claudi possint portae, vi arcent ab aditu, vel ipsi ab his obtruncantur, vel obtruncant illos in arma eorum ruentes. | 882. Alii: *intra t. dom.*, num igitur equites ab equitibus interempti in ipsis domibus? | 887. *Exclusi* ... *Pars*, v. 6, 580. | 888. *urg. r.*, dum urgent se alius super alium ruentes. | 889. *Volv.*, v. 9, 433. | 890. *dur. ob. p.*, non cedentes utpote firmo repagulo munitos. | 891. *summo c.*, ut 5, 197. | 892. *Monstrat*, docet et hortatur, cf. 9, 44. — *ut vid. C.*, i. e. imitantes exemplum Camillae, patriam armis defendere conatae; et explebis sententiam, quemadmodum subiectus versus monstrat, hunc in modum: „ut videre Camillam tela manu iacientem“ | 893. *trepidae*, ut vs. 895 *praecipites*, festinationem ac studium declarat. — Iunge *stipitibus robore duro*,

Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent.
    Interea Turnum in silvis saevissimus inplet
Nuntius et iuveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostis, et Marte secundo
Omnia corripuisse, metum iam ad moenia ferri.
Ille furens — et saeva Iovis sic numina poscunt —
Deserit obsessos collis, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat campumque tenebat,
Cum pater Aeneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque iugum silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt,
Ac simul Aeneas fumantis pulvere campos
Prospexit longe Laurentiaque agmina vidit,
Et saevum Aenean adgnovit Turnus in armis
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et proelia temptent,
Ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem et moenia vallant.

i. e. ex robore d.| 895. *pro moen.*, i. e. in moenibus obversae hostibus; v. 9, 575.|| 896—915. *Turnus audita caede ac fuga suorum deserit locum, quem insederat. Sequitur Aeneas parvo intervallo. Sed ingruens nox cum differre poelium suadeat, castra utrique collocant ante urbem.*| 896. *Turn. implet*, animum Turni totum occupat.| 897. *fert. tum.*, rem nuntiat, qua turbatur eius animus.| 899 sq. *M. s. omnia corr.*, omnem campum victricibus armis tenere.| 901. Hom. Il. 1, 5 „*Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή,*“ ne scilicet insidiis Turni Aeneas opprimi posset.| 903. *e conspectu* abeunt, qui iam ex eo loco, ubi ante fuerant, conspici nequeunt; 1, 34 „Vix e conspectu Siculae telluris in altum Vela dabant.“| 904. *apertos* abitu Turni.| 907. *longis*, v. 10, 549.| 910. „Et simul agnovit,“ v. vs. 864. — Iunge *Aenean in armis*, v. 5, 440.

AENEIDOS
LIBER DUODECIMUS.

(Bis victis Italis Turnus paratum se ostendit ad causam singulari certamine dirimendam. Campum metantur ad eam rem foedusque et sacra faciunt. Sed rursus dolo Iunonis et opera Iuturnae, sororis Turni, omnia fiunt irrita. Accenditur nova pugna. Multa utrimque clade edita, cum Aeneas ad ipsam urbem arma ignemque admoveret, Turnus ultro se offert Aeneae victusque interficitur.)

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis, ultro inplacabilis ardet,
Attollitque animos: Poenorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum volnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Inpavidus frangit telum et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic adfatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est, quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae, nec, quae pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe foedus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiae, — sedeant spectentque Latini —
Et solus ferro crimen commune refellam;
Aut habeat victos, cedat Lavinia coniunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:

Aeneid. L. XII. 1—80. *Iam Turnus id sibi unum superesse ratus, cum Aenea solo dimicare decernit, nec regis Latini precibus nec lacrimis Amatae reginae retineri potest, quin mittat, qui Aeneam de ea re certiorem faciat.*| 1. *infr.*, Participium verbi *infringere*, plane fractos, ut 9, 499.| 2. *Def.*, v. 11, 231. — *sua n. pr. r.*, cf. 11, 438 sqq. et v. G. 2, 29.| 3. *ultro*, nullis a quoquam probris lacessitus, ut supra a Drance 11, 346 sqq., maxime 371 sqq. — *inpl. a.*, ardet ira implacabili.| 4 sqq. cf. Hom. Il. 5, 136 sqq. 20, 164 sqq. — *ille*, v. G. 2, 435.| 6. *Tum*, refer ad *Saucius*, vulneratus, v. 2, 391. — *movet a.*, v. G. 3, 236. — *gaudet* ... *Excutiens*, v. G. 2, 510.| 7. *latr.*, venatoris, qui illum insidiis excepit.| 9. *acc.*, cf. 4, 697.| 10. *turb.*, v. 10, 763.| 11. cf. 11, 115 sqq.| 13. *Congr.*, v. 9, 21. — *Fer s.*, cf. vs. 118 sq. 170 sqq. — *pater*, v. E. 9, 66. — *conc. f.*, fac verbis ex more conceptis f.; cf. vs. 197 sqq.| 15. *sedeant L.*, ex more, cf. Hom. Il. 3, 68 sqq.; sed cum quadam exprobratione ignaviae adiectum est *spectent.*| 16. Servius „commune fugae ac timoris dedecus (cf. vs. 34) solus meis viribus comprimam.“| 17. *habeat* in dicionem acceptos. — *cedat*, v. 3, 297.| 18. *sed. c.*, contra ac

O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me inpensius aequum est
Consulere atque omnis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri:
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Coniugis et maestae lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma impia sumpsi.
Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
Bella, vides, quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor totiens? quae mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia, ad mortem si te — Fors dicta refutet! —
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni

Turnus vs. 10.| 19. *pr. an.*, v. 11, 417.| 23: *aur. an.*, et divitem (cf. 11, 213) et ad largiendum se propensum esse significat.| 24 sq. cf. Hom. Il. 9, 395 sq.| 26. *simul h. a. h.*, simul peto abs te, ut hoc ipsum, quod sum dicturus, penitus ad animum tuum admittas.| 28. cf. 7, 58 et 97 sqq.| 29. *cogn. s.*, cf. 7, 366; Venilia, mater Turni, soror erat Amatae.| 30. *v. omn. r.*, et foederis et religionis, cf. vs. sq. idque fecit eo, quod passus est fieri, quae facta sunt, cf. 7, 591 sqq.| 31. cf. 7, 268 sqq.| 33. *primus*, v. 3, 437.| 34. Donatus „extra urbem perierunt omnia, ut vix tueamur, quae retinemus inclusa.“| 35. *recalet* flumen, quod antea gelidum fuerat; sic *replemus* vacua, *relevamus* onustum, et alia similiter; v. G. 2, 29.| 36. *adhuc*, post priorem ad Tiberim pugnam; *ossibus* eorum, qui altera pugna, campestri, caesi necdum humati ab avibus bestiisque dilacerantur.| 37. *Quo r.*, quo, ad quae consilia, redigor, et v. G. 2, 29. Cur toties consilium muto, foedere cum Troianis semel sancito? Latinus suam sibi ipse inconstantiam exprobrat, haud ignarus ille quidem, quid debeat Troianis ex fato ac foedere, sed animo tamen ad Turni causam inclinatior.| 38. Alii *accire.*| 40. *consanguinei* a Latino appellantur Rutuli propter cognationem Veniliae et Amatae, v. vs. 29; similiter vs. 658 „quos generos vocet,“ Troianos an Rutulos, quia alterutrorum regi in matrimonium daturus est Laviniam.| 43. *res b. v.*, cf. 10, 160.| 44 sq. cur *longe*, cum Ardea haud multum distaret? quia satis longe distabat, quo Daunus prohiberetur, ne suae, senis miseri decrepitique, praesentiae auctoritatisque pondus adiiceret ad consilia filii

Flectitur; exsuperat magis, aegrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optume, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus; et nostro sequitur de volnere sanguis.
Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat, et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnae conterrita sorte,
Flebat et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
Tangit honos animum, — spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae; decus inperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit —
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent; simul haec invisa relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris
Flagrantis perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: talis virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine voltus.
Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius haec, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina caelo

in melius flectenda. — *Div.*, v. 3, 383. | 46. *medendo*, eo, quod ille ei medetur; v. G. 3, 215. | 48 sq. Servius „quam pro salute mea sollicitudinem geris, hanc pro mea fama et gloria quaeso derelinquas; vir fortis enim gloriosam mortem praeponit saluti.“ cf. 6, 352. | 51. *nostro*, cf. 2, 436, praeterea Hom. Il. 20, 437. | 52 sq. Longe illi (puta *auxilium imploranti*, v. G. 3, 562) mater erit, s. frustra invocabit matrem, ut se, cum in fugam coniectus erit, tegat et occulat. | 53. *Feminea*, quippe circumfusa ei a matre. — Ridet Turnus originem Aeneae ut fictam proptereaque *vanas* dicit umbras, cavillans *vanam* spem in eo, quod nullum futurum esset, auxilio collocatam. Ceterum nihil his verbis commune est cum 10, 636—88; meminit poeta Aeneae apud Homerum nube ab Apolline obtenta servati. | 54. *pugnae sorte*, Donatus „genere et condicione pugnandi.“ | 56. v. 2, 142. | 60. *Teucr.*, Aeneae, v. 6, 322. | 63. *Lumina haec*, cf. 3, 600 et 4, 451. | 64. Iunge *lacrimis perfusa*. | 65 sq. rubor prodidit calorem genis subiectum. | 67. cf. Hom. Il. 4, 141. | 72. *omine*, ipsis lacrimis ominosis; cf. Hom. Il. 24, 218 sq. | 74. *mater*, v. 11, 356. — si mors fatalis instat, non est mihi liberum moras ei iniicere, cf. Hom. Il. 6, 487—489. Atque esto hoc liberum aliis, *Turno* certe, viro scilicet forti mortemque igno-

Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos; Teucrum arma quiescant,
Et Rutuli: nostro dirimamus sanguine bellum;
Illo quaeratur coniunx Lavinia campo.
Haec ubi dicta dedit: rapidusque in tecta recessit;
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigae manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo
Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae;
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae
Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o numquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maxumus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit; da sternere corpus
Loricamque manu valida lacerare revolsam
Semiviri Phrygis et foedare in pulvere crinis
Vibratos calido ferro murraque madentis.
His agitur furiis; totoque ardentis ab ore
Scintillae absistunt; oculis micat acribus ignis.

miniae praeferenti, non erit.| 78 sq. *Non* Teucri Rutulique universi pugnent, *sed* soli nos.|| 81—160. *Dum Turnus atque Aeneas ad certamen se accingunt, dum Aeneas leges foederis exitu eius pugnae firmandi proponit, dumque sacra parantur ac Troes Italique spectatum veniunt, Iuno excitat Iuturnam nympham, quae aut Turnum morti eripiat, aut rem ex foedere componendam perturbet.*| 81. *ubi* ... *que*, v. 2, 692. Similiter Plautus Bacch. 2, 3, 44 sq. „fórte ut assedi ín stega, Dum círcumspecto: átque ego lémbum conspicor.“| 82. Servius „Solent ex equorum vel maestitia vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere.“| 83. *Pil.*, v. 10, 619. — *Orith.*, v. G. 4, 463; Orithyia uxor Boreae, qui pater erat praestantissimorum equorum, cf. Hom. Il. 20, 223 sqq., item Zephyrus Hom. Il. 16, 150.| 84. *Qui anteirent*, tales illos quidem, ut anteirent.| 85. *prop. aur.*, ὀτρηροὶ θεράποντες. — *lac. Pectora*, cf. G. 3, 186.| 87 sqq. Est haec quaedam ad pugnam proximo mane futuram quasi prolusio, cf. vs. 106 et v. G. 3, 233.| 87. *squal.*, v. 10, 314. — *albo o.:* exstant in Museo Herculanensi vasa ex albicanti metallo, quod orichalcum putatur, facta.| 88. *habendo*, ad habendum, ut eum commode manu habere et tractare possit.| 89. *cornua*, i. e. galeam cum cornibus sive conis, quibus insertae erant cristae.| 91. cf. 8, 450 sq — Servius „Stygia unda quasi immortalem fecerat.“ Styge tinctum parvum Achillem Thetis adversus vulnera duravit, Stat. Ach. 1, 269.| 92. cf. Hom. Odyss. 1, 127 sq.| 94. *Actoris*, Actori ereptum.| 95. quasi numen invocat hastam, et de cultu hastarum cf. Sil. It. 6, 137 sqq. Iustin. 43, 3.| 96. *te m. A.*, sc. gessit; v. G. 2, 1.| 99. *Sem.*, v. 4, 215.| 101 sq. Silius 11, 329 „vibrat ab ore ignis atrox.“ et cf. Hom. Il. 1, 104. 19, 365.|

Mugitus veluti cum prima in proelia taurus
Terrificos ciet atque irasci in cornua temptat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, aut sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis saevus in armis
Aeneas acuit Martem et se suscitat ira,
Oblato gaudens conponi foedere bellum.
Tum socios maestique metum solatur Iuli,
Fata docens, regique iubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montis
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnae sub moenibus urbi
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant,
In medioque focos et dis communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati limo et verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troius omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis,
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in milibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque superbi,
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asilas,
Et Messapus equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt telluri hastas et scuta reclinant.
Tum studio effusae matres et volgus inermum
Invalidique senes turris et tecta domorum
Obsedere, alii portis sublimibus adstant.

103. *prima in pr.*, ad ordiendum mox proelium, cf. vs. 735. | 104 sq. v. G. 3, 232 sq. | 105 sq. *vent. l. i.*, cf. 5, 377. | 107. *saev.*, v. 1, 138. | 108. *ac. M.*, Servius „Irritat se ad futura certamina.“ — *se susc. i.*, cf. 5, 454. | 111. *Fata d.*, cf. inprimis 2, 780—784. | 112. *pac. d. l.*, cf. vs. 183 sqq. | 113 sqq. Postquam dies vix ortus est, primo mane campum parant. Verba *tollunt*, *efflant* non sunt pro Imperfectis posita, sed sunt de eo accipienda, quod fit quotidie; ergo *cum primum* i. q. eo tempore, quo primum *cet.* — Solis equi sunt πύρπνοοι, ignem *(lucem)* efflantes. | 117. *parab.*, complanabant etc., cf. vs. 770 sq. | 118. *commun.*, per quos uterque, Latinus et Aeneas, iuraturus erat; et cf. 8, 275. | 119. Servius „ad facienda foedera semper aqua et ignis adhibentur.“ | 120. *limo*, puta *limo cinctu;* et limus est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes tegebantur popae seminudi; ea in extrema ora habebat purpuram *limam*, i. e. obliquam, transversam. — Servius „Verbena proprie est herba sacra sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fetiales et Pater patratus foedera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas iam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, myrtus.“ | 130. Alii *tellure*, v. G. 2, 290. — *reclinant* ad terram. | 131. *stud. eff.*, magno studio actae, v. G. 2, 352. | 133. *portis*, puta

At Iuno e summo, qui nunc Albanus habetur, —
Tum neque nomen erat nec honos aut gloria monti —
Prospiciens tumulo campum aspectabat et ambas
Laurentum Troumque acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est adfata sororem,
Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
Praesidet; hunc illi rex aetheris altus honorem
Iuppiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae
Magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile,
Praetulerim, caelique libens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Iuturna, dolorem.
Qua visa est Fortuna pati Parcaeque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi:
Nunc iuvenem inparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non foedera possum.
Tu pro germano si quid praesentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: cum lacrimas oculis Iuturna profundit
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Iuno;
Adcelera et fratrem, si quis modus, eripe morti;
Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam et tristi turbatam volnere mentis.
Interea reges, ingenti mole Latinus

muris portisque. — *adst.*, v. 1, 152. | 135. *n. nomen e.*, dictus quippe, ut ait Cato, ab Alba post condita. — *honos*, quem postea habuit ex eo, quod ibi feriae Latinae agitabantur. | 139. *Diva:* divos antiquitus dictos esse, non deos, Varro testatur. — Non longe a fonte Numicii ad radices montis Albani fuit Iuturnae fons et fluvius et lacus. | 141. *sacr.*, sacrum s. diis convenientem honorem dedit. | 142. *an. grat. n.*, cf. Hom. Il. 5, 243. | 144. Usus est hac caesura aliquoties Silius, 12, 146 „Rumpere compagem impositam, *ex* | pallescere caelum.“ adde 14, 631 et Horat. Od. 1, 18, 16 „Arcanique fides prodiga *per* | lucidior vitro.“ — *ingratum*, cuius nulla aut mala gratia est; accipies hoc ita, ut de Iunone malam gratiam pellicibus Iovis referente dictum sit; et v. 7, 425. | 146. *ne me incus.*, tamquam quae parum protexerim Turnum. | 147. *Qua*, Servius „quatenus.“ Sed praestiterit ex particula *qua* particulam *quoad* repetere: „et quoad Parcae sinebant,“ ut G. 4, 9—11 ex *quo* assumendum est *ubi*. | 148. *Lat.*, Latinis. | 149. *inp. fatis*, Aeneae, cuius fata maiora sunt et potiora. | 151. Servius „Numina quoties morituros viderint eos, quibus favent, ab his recedunt.“ — *foed.*, cf. vs. 212. | 152. *audes*, v. 6, 468. | 153. *Perge*, age, fac, cf. 4, 114. | 155. *hon.*, v. G. 2, 392 et supra 8, 617. | 156. *hoc t.*, nunc tempus est. | 158. *conc.*, cf. vs. 13; adde 7, 339. || 161—215. *Feritur foedus.* | 161. *Interea reges ... Latinus ... vehitur*, ut Hom. Odyss. 12, 73 „*οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει.*“ Liv. 24, 20 „Consules Marcellus retro Nolam redit, Fabius in Samnium processit.“ — *ing. mole*, ing.

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen, bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et caelestibus armis,
Et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae,
Procedunt castris; puraque in veste sacerdos
Saetigerae fetum suis intonsamque bidentem
Attulit admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia coniunx,
Iam melior, iam, diva, precor; tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontisque Fluviosque voco, quaeque aetheris alti
Religio et quae caeruleo sunt numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Euandri victos discedere ad urbem;
Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.
Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem, —
Ut potius reor, et potius di numine firment —
Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambae
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.
Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto,

corpore, cf. 2, 557 et 5, 431.| 164. *spec.*, quo ostenditur Solem esse avum Latini, e Marica, puta, quam vel filiam vel neptem Solis fuisse existimabimus; cf. 7, 47—49. Multi, ut ait Servius, Maricam ac Circen eandem esse dicebant. Certe minime hic audiendi, qui tradunt Latinum filium fuisse Ulixis aut Telemachi ex Circe. Ceterum Valer. Fl. 6, 58 „dracones, Matris Horae *specimen*."| 169. Donatus „pura, colore albo, nec purpurae variata picturis." cf 11, 711.| 170. v. 8, 641.| 172. v. 8, 68. — Alii *lumine*.| 173. *D. fr. m. s.*, molam salsam iniiciunt fronti pecudum, v. 4, 517. — *temp. f. S. not.*, cf. 6, 245 sq.| 174. *libant*, libando rigant.| 177. Hom. Il. 1, 162 „ᾧ ἔπι πόλλ' ἐμόγησα."| 177. *potui p.*, a me impetravi, ut perferrem.| 179. *Iam m.*, *iam*, *d. pr.*, quae, si coniecturam facere licet ex rebus praesentibus, iam melior (placata) es et precor ut sis iam melior.| 180. *bella tuo sub n. torqu.*, bella numini tuo subiecta gubernas; *clavum torquere* 5, 177.| 181. v. E. 4, 51 et supra 8, 275. — *quaeq. aeth. R.*, i. e. divum s. sanctum aethera.| 183. *Cess.*, v. 3, 297.| 184. *Conv.*, ex legibus foederis, in quas conventum est, oportet.| 187. *nostr.*, v. G. 4, 22.| 190. cf. 4, 102. 7, 256.| 192. *S. d. d.*, religionem cultumque deorum patriorum, Vestae quidem ac Penatium, 2, 293. 296 sq., se introducturum profitetur Aeneas.| 192 sq. *arma ... Inperium*: significatur his verbis utrumque genus

Inperium sollemne socer; mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens caelum, tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro,
Latonaeque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit.
Tango aras, medios ignis et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis nec foedera rumpet,
Quo res cumque cadent; nec me vis ulla volentem
Avertet, non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, caelumque in Tartara solvat;
Ut sceptrum hoc — dextra sceptrum nam forte gerebat —
Numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
Cum semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas et bracchia ferro;
Olim arbos; nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam iugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis inpar ea pugna videri
Iamdudum et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis.
Adiuvat incessu tacito progressus et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genae et iuvenali in corpore pallor.

imperii, alterum militare, alterum quod dicunt civile. — *soll.*, solitum; ergo salvum esto imperium, quod ante habuit, Latino.| 194. *urbi*, iam 1, 5 significatae.| 197. *Haec ead.*, hos eosdem deos, Terram vs. 176, Mare vs. 182, Sidera vs. 176 et 181.| 199. *Vim, κράτος, deum inf.*, i. e. deorum inferorum, v. E. 9, 46.| 200. *fulm. Ζεὺς ὅρκιος*, fulmine persequens periuros.| 201. *Tango a.*, v. 4, 219. — *medios*, in medio inter utrumque populum positos.| 205. *Dil. m.*, diluvio facto miscens terram et mare.| 206 sqq. cf. Hom. Il. 1, 234 sqq.| 206. *Ut*, graviter asseverat, *so wahr*. — *forte*, quia hoc quidem sceptrum non fuit insigne illud a regibus geri solitum, v. vs. 211.| 209. *Matre*, arbore, cuius ex radicibus progerminavit, cf. G. 2, 19. — Ceterum v. G. 2, 368.| 211. Servius ad vs. 206 „tenet sceptrum Latinus, non quasi rex, sed quasi pater patratus."| 213. *rite s.*, cf. vs. 172—174.| 214. Donatus „In flammam fundebatur sanguis animalium, et antequam morereatur, extrahebantur eorum viscera et aris imponebantur." Unde est illud apud Ciceronem de Nat. D. 2, 9 „animadversum saepe est, cum cor animalis alicuius evulsum ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem." cf. etiam 11, 82 et v. G. 2, 194.|| 216—310. *Iuturnae artibus rumpitur foedus a Rutulis. Novae pugnae initium.*| 218. *cernunt* eos, id quod repetes e verbis *ea* (eorum) *pugna* vs. 216. — *cernunt propius* ex eo, quod alter prope alterum constitutus est. — *non vir. aequ.*, *οὐκ ὄντας ἰσοπάλους*.| 219. *Adi.*, auget motum illum animorum sollicitudo Turni et

Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem et volgi variare labantia corda,
In medias acies, formam adsimulata Camerti, —
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis —
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Obiectare animam? numerone an viribus aequi
Non sumus? En, omnes et Troes et Arcades hi sunt
Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur;
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est iuvenum sententia dictis
Iam magis atque magis, serpitque per agmina murmur;
Ipsi Laurentes mutati ipsique Latini.
Qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, foedusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud maius Iuturna adiungit, et alto
Dat signum caelo, quo non praesentius ullum
Turbavit mentes Italas monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Iovis ales in aethra
Litoreas agitabat aves turbamque sonantem
Agminis aligeri: subito cum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit inprobus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile visu,
Aetheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt, donec vi victus et ipso

incessu et vultu significata, nata illa ex habitu fidentiaque Aeneae. | 222 sqq. Quae hic Iuturnae, eae sunt Minervae partes apud Hom. Il. 4, 86 sqq. | 227. *haud n. r.*, haud ignorans, quid agendum sibi sit et quomodo. | 232. *Fatalis*, quae secundum fata se cum Aenea coniunxit, cf. 8, 498 sqq., cuique (sic enim tacita mente, ipso vocis temperamento prodita, Iuturna cogitasse putanda est) fatale est cum Aenea superari. — *infensa* propter Mezentium, hospitio a Turno exceptum, 8, 493. | 233. cf. Hom. Il. 2, 123 sqq.; vix est satis hostium, ut alterni nostrorum cum singulis hostibus congredi possint. | 234 sq. Turnus quidem immortalem consequetur gloriam divinosque honores, quippe sacris nostrorum deorum tuendis se consecrans; cf. vs. 192. | 235. *vivus*, Tibull. 1, 4, 65 „Quem referent Musae, *vivet*, dum" *cet.* | 238. *sentent.*, ut γνώμη, animus. | 240. *Ipsi L.*, non Rutuli soli, cf. vs. 216. 229. | 246. *monstro*, τῷ τερατώδει, s. eo, quod id signum pro vero monstro acceptum est. | 250. *inpr.*, v. G. 1, 119. | 252. *Conv. fugam*, quae ante fugerant, convertunt se et redeunt. | 254. *nube*

Pondere defecit praedamque ex unguibus ales
Proiecit fluvio penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc, votis, inquit, quod saepe petivi.
Accipio, adgnoscoque deos; me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos inprobus advena bello
Territat, invalidas ut aves, et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit et adversos telum contorsit in hostis
Procurrens; sonitum dat stridula cornus et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo,
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis auro
Balteus et laterum iuncturas fibula mordet,
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant
Troes Agyllinique et pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida caelo
Tempestas telorum ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt; fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto foedere divos.

facta, ut *agmine facto*, v. 1, 82.| 256. *fluvio*, v. E. 2, 30.| 258. proprie arma expediuntur; quod quia per manus fit, ipsae manus hic expediri dicuntur.| 259. *saepe*, i. e. valde, multum, ut *ter felix, terque quaterque beati*.| 260. *Accipio* omen, cf. Ovid. Met. 7, 620. — *deos*, numen et voluntatem deorum.| 263. *prof.*, repetens mare, v. E. 2, 30.| 269. *cunei*, ut *cavea*, 5, 340. adde 5, 664.| 273. *ad med.*, media parte corporis. — *qua* (ubi) ... *alvo*, v. E. 1, 54. — *sutilis*, laneus, vel coriaceus, ut videtur, in quo fortasse lamellae aureae illigatae erant.| 274. *latera* videntur dici ambae extremae partes baltei, quae fibula coniunguntur.| 276. *unum* ... *Transad. costas*, v. 10, 698.| 280. *densi inund.*, densi undarum instar irruunt.| 281. *Agyll.*, v. 7, 652. — *pict.*, v. 8, 588.| 283—286. Summam, quae consecuta est, perturbationem pulchre describit poeta diversas res uno tempore gestas breviter perstringens. *Alii* diripiunt aras et torribus pugnant, cf. vs. 298, *alii* torquent iacula, quorum multitudo obumbrat aethera (cf. vs. 578), tamquam vento actae nubes caelum faciunt turbidum; *alii*, ministri sacrorum, crateras et focos, altaria ex aere

Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subiiciunt in equos et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere foedus,
Adverso proterret equo; ruit ille recedens
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit atque ita fatur:
Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Corripit et venienti Ebyso plagamque ferenti
Occupat os flammis; olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit; super ipse secutus
Caesariem laeva turbati corripit hostis,
Inpressoque genu nitens terrae adplicat ipsum;
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum,
Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superimminet; ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Dissicit et sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum iam foedus, et omnes
Conpositae leges; mihi ius concurrere soli;
Me sinite, atque auferte metus: ego foedera faxo
Firma manu; Turnum debent haec iam mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis adlapsa sagitta est,
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta,

facta arae imposita, auferunt fugiuntque; fugit ipse etiam Latinus referens deos pulsatos, fugatos laesoque foedere violatos.| 287. *currus*, v. G. 1, 514.| 289. *regem*, regulum aliquem Etruscum, Lartem.| 296. *Hoc habet*, sedet vulnus. — *melior*, v. 5, 483.| 303. *ipsum*, v. G. 2, 297.| 307. *red.*, v. 5, 478.| 308. *Dissicit*, v. 7, 339.| 309. v. 10, 745.|| 311—382. *Aeneas inermis, dum suos a pugna revocat, sagitta vulneratur. Turnus eo decedente irruit in hostes plurimosque trucidat.*| 311 sq. En pietatem Aeneae, tantum foederis religione confisi, ut vel in foedissima rerum perturbatione non cogitarit de se aut tegendo aut armando. — Arma propter rem sacram deposuerant Aeneas et Turnus, quod ita esse docent vss. 165—67 collati cum vs. 326 et 734—37.| 316. *metus*, ne ad irritum ceciderit hoc foedus. — *faxo* est cum fide promittentis, v. 9, 282.| 317. *manu*, pugna cum Turno ineunda. — *Turn. d. h. i. m. s.*, his iam sacris effectum est, ut Turnus debeat mecum congredi, nec opus est vestris armis.| 319.

Quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne,
Attulerit; pressa est insignis gloria facti,
Nec sese Aeneae iactavit volnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet;
Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora Leto;
Seminecis volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis
Bella movens inmittit equos; illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu
Thraca pedum; circumque atrae Formidinis ora,
Iraeque, Insidiaeque, dei comitatus, aguntur:
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantis sudore quatit, miserabile caesis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Iamque Neci Sthenelumque dedit Thamyrimque Pholumque,
Hunc congressus et hunc, illum eminus; eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem,
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus;
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio, nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi iaculo longum per inane secutus,
Sistit equos biiugis et curru desilit atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo

alis, quippe pinnata, *πτερόεσσα*. | 321. Alii *casusve deusve*. | 322. *Pressa est* silentio. | 326. *superbus*, referes hoc ad animum subita spe ferocem factum. | 329. *volvit*, v. 9, 433. | 330. *raptas:* cum solus currum conscenderit Turnus, Metiscus, auriga eius (vs. 469) videtur pro armigero interim ei fuisse raptasque de corporibus caesorum hastas suggessisse. | 331 sqq. cf. Hom. Il. 13, 298 sqq. — *concitus* cursu, ut est vs. 902. — *Hebri*, fluminis Thracii, et v. 3, 13. | 332. *clipeo* hasta percusso, Call. H. in Del. 136 „*ὑψόθε δ' ἐσμαράγησε καὶ ἀσπίδα τύψεν ἀκωκῇ*." | 333. *inmitt.*, immissis habenis agit, cf. 5, 146. | 335. *Thraca*, *Θρήκη*. Ceterum v. 9, 719. | 342. *congressus*, collatis manibus. | 345. ut vel pedites vel ex equo pugnarent. | 349 sq. cf. Hom. Il. 10, 314—327. | 351. cf. Hom. l. l. vs. 455 sq. | 352 *nec adsp.*, desiit adspirare. | 354. *inane*, spatium. |

Inpresso, dextrae mucronem extorquet et alto
Fulgentem tinguit iugulo atque haec insuper addit:
En, agros et, quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi temptare, ferunt; sic moenia condunt.
Huic comitem Asbyten coniecta cuspide mittit,
Chloreaque Sybarimque Daretaque Thersilochumque
Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten.
Ac velut Edoni Boreae cum spiritus alto
Insonat Aegaeo, sequiturque ad litora fluctus;
Qua venti incubuere, fugam dant nubila caelo:
Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt
Conversaeque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem;
Obiecit sese ad currum et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur pendetque iugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam et summum degustat volnere corpus.
Ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem
Ibat et auxilium ducto mucrone petebat:
Cum rota praecipitem et procursu concitus axis
Inpulit effunditque solo, Turnusque secutus
Imam inter galeam summi thoracis et oras
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenae.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Saevit, et infracta luctatur arundine telum

359. *agros*, quos praemium victoriae te accipere posse credebas.| 360. *metire iac.*, sarcasmus; Servius „corpore tuo metire; metiuntur autem agros, qui colonis assignant.“| 363. *Chloreaque S.*, v. 3, 464.| 366 sqq. fluctus sequitur, quo impellitur, et ita actus pertendit ad litora; his respondent verba *Turno agmina cedunt*, contra *ruunt acies* his: *fugam dant nubila.*| 367. *fug. d.*, v. 5, 276.| 368. *viam sec.*, ut 6, 900, *τέμνει ὁδόν*, translatum ab itinere maritimo ad terrestre.| 372. *spum. fr. o.*, ora frenos spumantes, i. e. spuma oblitos, habentia.| 374. *retect.*, dum equos Turni detorquens latus dextrum tegere clipeo non potest, apertum latus ferit lancea.| 375. *bil.*, v. 3, 467.| 379 sq. *praecip.* ... *Inp.*, impulit, ut praecipitaret.| 380. *secutus*, curru desiluit ad eum obtruncandum.||
383—445. *Interea intercedente divina matris opera curatur in castris convalescitque Aeneas; tum resumptis armis filium ad aemulanda exempla virtutis domestica cohortatus cum omnibus, qui circum ipsum erant, castris exit.*| 385. *comes*: Mnestheo et Achatae Aeneam in castra reducentibus Ascanius se adiungit comitem.| 386. putabimus Aeneam, quoties vulneratum pedem promoveret, claudicasse seque ima hasta (*σαυρωτῆρι*) nixum sustentasse; Silius 6, 79 „Lapsantes *fultum* truncata cuspide gressus.“ Valer. Fl. 2, 93 „*Alternos* aegro *cunctantem* poplite *gressus.*“| 387. „*Saevit*, ait Servius, quod

Eripere, auxilioque viam, quae proxuma, poscit:
Ense secent lato volnus, telique latebras
Rescindant penitus seseque in bella remittant.
Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artis, sua munera, laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celerisque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit et mutas agitare inglorius artis.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno iuvenum et maerentis Iuli
Concursu, lacrimis inmobilis. Ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequiquam trepidat, nequiquam spicula dextra
Sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo
Subvenit; et saevus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Iam pulvere caelum
Stare vident, subeuntque equites et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad aethera clamor
Bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo; non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.

abstractus a bellis sit. Et bene viro forti servat dignitatem, qui nihil molliter facit in tam aspero vulnere; nam ideo ait: *infr. luct. ar. tel. Eripere.*" — Iunge *telum infracta arundine*, telum, cuius ferrum, fracta ipso impetu arundine, solum in vulnere relictum est, cf. 9, 413. | 394. *dabat*, dare volebat, offerebat, v. 6, 468. | 395. Servius „*depositi*, desperati. Nam apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante ianuas suas collocarentur, vel ut extremum spiritum redderent terrae, vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo." adde Plut. vol. II. p. 1128. E. De simili more Babyloniorum, Graecis tum certe ignoto, exponit Herod. 1, 197. | 397. *mutas*, quae silentur, tractantibus nihil prosunt ad gloriam; Silius 3, 579 „*mutum* volvens inglorius aevum." — *artis*, Pluralis quia ars medendi multiplex est aliudque malum aliam desiderat curationem. | 398. *ac. fr.*, v. G. 3, 149. | 399. *et*, v. 9, 811. | 400. *Ille … senior*, v. 5, 521. | 401. *Paeonium* trium syllabarum, Horat. Od. 3, 4, 41 „Vos lene consilium (*consiljum*) et datis" *cet.* | 403. *trepidat*, cum trepidatione quadam tentat. | 405. F. non regit et adiuvat rationem medendi; *nulla F.*, ut in familiari sermone „nullus Philotimus venit" Cic. ad Att. 11, 4. *nulla* Venus G. 4, 516. — *auctor* medicae artis. | 407 sq. v. 6, 300. | 413. *Pub.*, adultis, qualibus opus erat ad medendum. | 414 sq. Cic. de Nat. Deor. 2, 50 „Auditum est, capras feras in Creta, cum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur, quam cum gustavissent,

Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans, spargitque salubris
Ambrosiae sucos et odoriferam panaceam.
Fovit ea volnus lympha longaevus Iapis
Ignorans, subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo volnere sanguis.
Iamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novae rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro! quid statis? Iapis
Conclamat primusque animos accendit in hostem.
Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt, neque te, Aenea, mea dextera servat;
Maior agit deus atque opera ad maiora remittit.
Ille avidus pugnae suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum conplectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem,
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit et magna inter praemia ducet:
Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas,
Sis memor et te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Aeneas et avunculus excitet Hector.
Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum inmane manu quatiens; simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt, omnisque relictis

sagittas excidere dicunt e corpore." | 417. v. E. 2, 30. — *amnem*, ut 7, 465. | 418. *medic.*, efficiens, ut vim medicam traheret aqua illa. | 419. ambrosia vires conciliat, cf. Hom. Il. 19, 352 sq. | 420. *fovere*, fomenta sive frigida sive calida admovere. | 422. *Quippe*, εἰκότως. — *dolór*, v. E. 9, 66. | 427. *a. mag.*, v. 8, 442. | 429. Servius „hoc est: hoc agit maior;" unde coniicias hanc visam esse Servio proverbialem locutionem; ita deus pro Appositione habendum, quod languidulum est. Rectius dixeris, cum medicus loquatur, illud *agere* ex media arte sumtum esse, id quod Celsus multis locis probat, ut 7, 2, p. 339 ed. 1785 „Neque tamen fas non est [i. e. fieri potest] nihil cucurbitulam agere," i. e. proficere, *opérer*. 7, 4, p. 350 „sive manu, sive medicamentis agetur." Ceterum *deus* non est Apollo, cf. vs. 405, praesertim cum Veneris hanc operam fuisse sciamus; *maior* autem est unus ex diis maiorum gentium, ut *κρείσσονες θεοὶ* ap. Aesch. Prom. 905 ed. H. | 430. *inclus*, v. 8, 219. | 432. *habilis est*, accommodatus est, cf. 2, 393. | 433. Iunge *circumfusis;* una armis bracchiisque complectitur filium. | 435 sq. Ex me pete exemplum virtutis (ἀνδρίας) tolerantiaeque magnorum laborum, fortunae ex aliis. Soph. Ai. 550 sq. „*ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος, τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ὅμοιος· καὶ γένοι᾽ ἂν οὐ κακός.*" — *verum*, qui eo nomine dignus sit. | 437. *Def. d.*, v. 9; 323. — *inter pr.*, ad praemia, novum regnum puta, ita, ut te quasi circumfluant res florentissimae; Cic. Catil. 1, 4 „dico te priore nocte venisse *inter* falcarios;" et cf. E. 2, 3. | 438. *mat.*

Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.

Vidit ab adverso venientis aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; prima ante omnis Iuturna Latinos
Audiit adgnovitque sonum et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium; miseris, heu, praescia longe
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late;
Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti:
Talis in adversos ductor Rhoeteius hostis
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Adglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulontem obtruncat Achates,

ad., ad maturitatem pervenerit et adoleverit.| 444. *caeco*, v. 8, 253. — *pulv. c. misc.*, proprie pulvis excitatus miscetur inter se, v. 3, 557; quod quia in campo fit, campus misceri pulvere dicitur.| 445. *tr. exc.*, tremit quasi terrore aliquo excitata et exsultans, ut 7, 722 „pulsuque pedum *conterrita* tellus.“|| 446—499. *Viso cum suis Aenea tremefacti hostes. Caeduntur pelluntur que Rutuli, dum Aeneas solum Turnum ad pugnam deposcit. Sed fraude Iuturnae elusus tandem, a Messapo telo petitus, vertitur et ipse ad caedendos obvios.*| 447. v. G. 3, 272.| 450. *atrum*, Servius „pulveris nube coopertum,“ cf. vs. 444. sed verius puto dixeris *atrum* esse „simile densae eoque atrae nubi,“ cf. vs. 457, ut Eustathius *κυάνεον νέφος Τρώων* Hom. Il. 16, 66 (*κυανέας φάλαγγας* 4, 282) recte interpretatur *πύκνωσιν στρατιωτικήν*.| 451 sqq. cf. Hom. Il. 4, 275 sqq. Declaratur hoc loco tempestas, simul typhonis proprie dicti et turbinis, qui est species typhonis, signa prae se ferens. Plinius N. H. 2, 48, 132 sq. „Defert hic (*typhon*) secum aliquid abruptum e nube gelida, convolvens versansque et ruinam suam illo (*abruptae nubis*) pondere adgravans ac locum ex loco mutans rapida vertigine, praecipua navigantium pestis, non antemnas modo, verum ipsa navigia contorta frangens. Idem correpta secum in caelum refert sorbetque in excelsum. Quod si maiore depressae nubis eruperit specu, sed minus lato, quam procella, nec sine fragore, turbinem vocant, proxuma quaeque prosternentem.“ Communia igitur apud Plinium Virgiliumque haec sunt, ut typhon abrumpere ac deferre s. deprimere partem nubis, id quod a Virgilio indicatur verbis *abrupto sidere It mare per medium*, turbo prosternere dicatur, quidquid corripiat. Alia species typhonis est prester, de quo idem Plinius l. l. „idem ardentior accensusque dum furit, prester vocatur, amburens contacta pariter et proterens;“ ac de eodem prestere Lucretius 6, 431 sqq. „Hoc fit ubi interdum non quit vis incita venti Rumpere quam coepit (*rumpere*) nubem, sed deprimit, ut sit In mare de caelo tamquam demissa columna.“ Ut autem siderum quorundam ortus et occasus causae tempestatum existimabantur, ita ipsam tempestatem sidus appellat Virgilius 11, 259, aut, ut h. l., nubem procellosam. Et nimbus h. l. est nubes illa depressa columnaeque similis, cum rapida vertigine ambulans, *typhon* a Francogallis appellata, a nobis *Wasserhose*.| 452. Servius „*heu*, ut solet, ex sua persona interposuit,“ scilicet contra morem Homeri.| 455. *sonitum*, quo strepit iste nimbus.| 456. *Rhoet.*, v. 3, 108.| 457. Servius „Densentur, ut cuneatim dimicent, in cuneorum modum compositi.“| 458. *grav.*, v.

Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostis.
Tollitur in caelum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere Morti,
Nec pede congressos aequo nec tela ferentis
Insequitur; solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Iuturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longe lapsum temone relinquit;
Ipsa subit, manibusque undantis flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cum divitis aedes
Pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostis
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Iamque hic germanum, iamque hic ostentat ovantem;
Nec conferre manum patitur; volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbis,
Vestigatque virum et disiecta per agmina magna
Voce vocat. Quotiens oculos coniecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu temptavit equorum,
Aversos totiens currus Iuturna retorsit.
Heu, quid agat? Vario nequiquam fluctuat aestu,
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, praefixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Aeneas et se collegit in arma,
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum

10, 207. | 460 sq. cf. vs. 258. 266. | 462 sq. Ominosam mortem Tolumnii consecutus est clamor Troianorum et fuga Rutulorum. | 464. *Ipse*, Aeneas, v. 2, 394. — *st. M.*, v. 8, 566. | 465 sq. nec insequitur (incessit) comminus accedentes ad aequam (pedestrem igitur) pugnam, nec tela eminus inferentes. | 466. *d. in cal.*, cf. vs. 463. | 468. *Hoc*, v. 2, 171. — *ment. conc.*, v. E. 3, 106. | 469. *med. int. l.*, in media aurigatione. | 473. *aedes*, villam puta aliquam. | 475. *Pab. p. l.*, inter volandum; Plin. N. H. 10, 24, 73 „hirundo sola avium non nisi in volatu pascitur.“ | 476. *vac.*, patentibus. | 479. ostentat tantum, non patiens eum usquam morari. — *ovant.*, cf. vs. 616. | 480. Nec patitur eum (curru desilire et) cum quoquam pugnare collato gradu, id quod ipsum afferat moram. — *avia*, cf. vs. 614. | 481. *tort. l. o. o.*, varias implicatasque persequitur vias, quo se putat obvium Turno futurum. | 484. *fug. tempt. e.*, equos fugientes assequi temptavit; similis brevitas (praegnantiam barbare nos appellamus) apud Liv. 8, 33 „silentio nequiquam per praeconem temptato.“ | 488. *Huic*, in Aeneam, et v. E. 2, 30. | 489. *Lenta*, v. 7, 164. | 491. v. 10, 412. | 492. *κύψας*

Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero adsurgunt irae; insidiisque subactus,
Diversos ubi sentit equos currumque referri,
Multa Iovem et laesi testatus foederis aras,
Iam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis saevam nullo discrimine caedem
Suscitat, irarumque omnis effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine caedes
Diversas, obitumque ducum, quos aequore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
Expediat? tanton placuit concurrere motu,
Iuppiter, aeterna gentis in pace futuras?
Aeneas Rutulum Sucronem, — ea prima ruentis
Pugna loco statuit Teucros — haud multa morantem,
Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et cratis pectoris ensem.
Turnus equo deiectum Amycum fratremque Diorem,
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit, curruque abscisa duorum
Suspendit capita et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque Neci fortemque Cethegum,
Tris uno congressu, et maestum mittit Oniten,
Nomen Echionium matrisque genus Peridiae;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,
Et iuvenem exosum nequiquam bella Menoeten,
Arcada, piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat pauperque domus, nec nota potentum
Munera, conductaque pater tellure serebat.
Ac velut inmissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis

Hom. Il. 21, 69.| 494. *subact.*, victus ira propter insidias a Messapo ei factas.| 496. Alii *testatur.*| 499. Ennius „irarum effunde quadrigas.“|| 500—553. *Strages ab Aenea et Turno edita. Summa vi certatur ab utraque parte.*| 501. *Div.*, diversis locis factas.| 502. *Inque v.*, v. G. 2, 290.| 505. *ruentes*, non fugientes, sed intelliges Aeneam cum suo agmine (cf. vs. 456 sq.) per ordines ruentem, dum insequitur Turnum.| 506. *mor.*, qui Aeneam non multum moratur, non multum ei facessit negotii; alii *moratus.*| 507. *Exc. i. l.*, exceptum vulnerat in latere; cf. 1, 82 et 10, 387. — *qua f. cel.*, cf. Hom. Il. 8, 84. — *crudum*, v. 10, 682.| 509. *Dior.*, cf. 5, 297.| 513. *Ille*, Aeneas. — *Neci*, v. 8, 566.| 514. Onites maestus erat natura, *σκυθρωπός*, contra ac Serranus 9, 335 sq. Cydon 10, 325 sq.| 515. *Nom. Ech.*, ipse erat Echionius, s. Echionides, filius Echionis, ut *Albanum nomen*, i. e. Albanus, 6, 763. — *genus*, cf. 7, 556.| 516. *Hic*, Turnus, *fratres*, Clarum et Themonem, cf. 10, 126. — in Lycia erant Patara cum templo, agris (cf. Xenoph. Anab. 5, 3), oraculo Apollinis.| 520. *Munera:* Menoetes pauper fuit piscator, exosus bellum; potentes Romani contra nihil magis cupiebant, quam bella, imperia et, quas inde sperabant, divitias; haec sunt potentum munera.| 521 sq. de incensis saltibus, s. pascuis silvestribus, v. 10, 405. —

Dant sonitum spumosi amnes, et in aequora currunt
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in volnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit effunditque solo; hunc lora et iuga subter
Provolvere rotae; crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animisque inmane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graium fortissime, Cretheu,
Eripuit Turno; nec di texere Cupencum,
Aenea veniente, sui; dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
Sternere nec Priami regnorum eversor Achilles;
Hic tibi mortis erant metae, domus alta sub Ida,
Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulchrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae, Mnestheus acerque Serestus,
Et Messapus equum domitor, et fortis Asilas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcades alae,
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi;
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros urbique adverteret agmen

virg. s. l., v. 6, 404.| 524. *in aequ.*, in campos, cf. vs. 742.| 527. *rump.*, rumpuntur quasi pectora exaestuante ira, quam continere non possunt.| 529. *hic*, Aeneas. — *son.*, iactantem.| 530. descendebat ei genus per continuam seriem regulorum Latinorum.| 532. *Excutit* curru. — excussus curru provolutus est subter iuga et lora (*ζυγόδεσμον, ἐννεάπηχυ* apud Hom. Il. 24, 270), quibus iugum ad temonem alligatum erat.| 533. *rotae*, v. G. 3, 114.| 534. *nec memor.*, i. e. immemorum; Liv. 1, 25 „qui *nec procul* aberat." Cic. Catil. 2, 4, 8 „Nemo non modo Romae, sed *nec ullo* in angulo totius Italiae." et v. E. 9, 6.| 535. *Ille*, Turnus.| 536. *aur. ad temp.*, cf. vs. prox., et 9, 50.| 539. Servius „Sane sciendum *Cupencum* Sabinorum lingua sacerdotem vocari. Ergo bene: Nec dii (eum) texere sui."| 541. v. E. 6, 78.| 546. *mort. metae*, ut *θανάτοιο τέλος* apud Homer. Il. 3, 309.| 548. *conversae* inter se ad pugnandum. — *omnesq. L. Omn. Dard.*, i. e. omnes et Latini et Dardanidae, v. E. 4, 6.| 550. *domitor*, v. E. 9, 66.|| 554—613. *Tandem Aeneas instinctu divinae matris, quo citius exitum belli reperiret, copias suas ad urbem oppugnandam ducit. Ibi inter summam omnium trepidationem Amata, Turnum cecidisse rata,*

Ocius et subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum
Huc atque huc acies circumtulit, aspicit urbem
Immunem tanti belli atque inpune quietam.
Continuo pugnae accendit maioris imago;
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum
Ductores, tumulumque capit, qua cetera Teucrum
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora; Iuppiter hac stat;
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et aequa solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno
Nostra pati, rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.
Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur.
Scalae inproviso subitusque adparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas primosque trucidant,
Ferrum alii torquent et obumbrant aethera telis.
Ipse inter primos dextram sub moenia tendit
Aeneas, magnaque incusat voce Latinum,
Testaturque deos iterum se ad proelia cogi,
Bis iam Italos hostis, haec iam altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia civis:
Urbem alii reserare iubent et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in moenia regem;
Arma ferunt alii et pergunt defendere muros:
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque inplevit amaro;
Illae intus trepidae rerum per cerea castra

mortem sibi consciscit.| 556. *clade*, incensa eversaque urbe, cf. vs. 569.| 560. *accendit* animum eius.| 563 sq. *nec ... Deponunt:* en morem Romanorum militum imperatorem concionantem sub armis audientium ad Aeneae tempora relatum.| 565. *Iupp. h. st.*, hac parte, a nostra stat causa contra eos, qui foedus violaverunt.| 566. *ob inc. s.*, talia enim, quo periculosiora videntur, eo facilius tardant animos. — *mihi* animum prodit minantis, v. E. 8, 6.| 567. *caus. b.*, quia caput est populi bellum inferentis, cf. vs. 572.| 569. *ponam*, faciam; Soph. Antig. 670 „ἥδ᾽ (ἡ ἀναρχία) ἀναστάτους οἴκους τίθησιν.“| 572. *haec b. s.*, hic vertitur cardo belli; cf. vs. 567.| 575. *D. cun.*, v. vs. 457 et 5, 276.| 577. *pr. tr.*, cf. 2, 334 sq.| 582. prius foedus significatur 7, 285.| 586. *pergunt*, eunt, militare verbum.| 587. cf. G. 4, 44.| 588. Ut Graeci poetae Aoristo utuntur in comparationibus et generalibus sententiis ex usu et consuetudine rerum ante actarum collectis, ita Latini Perfecto; et v. G. 1, 49.| 589. *tr. rer.*, trepidantes

Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.
    Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
Quae totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignis ad tecta volare,
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnae iuvenem in certamine credit
Exstinctum, et, subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat crimenque caputque malorum,
Multaque per maestum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miserae postquam accepere Latinae,
Filia prima manu flavos Lavinia crinis
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba, furit; resonant late plangoribus aedes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem.
Demittunt mentes; it scissa veste Latinus,
Coniugis attonitus fatis urbisque ruina,
Canitiem inmundo perfusam pulvere turpans,
Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Aenean generumque adsciverit ultro.
    Interea extremo bellator in aequore Turnus
Palantis sequitur paucos iam segnior, atque
Iam minus atque minus successu laetus equorum.
Attulit hunc illi caecis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque inpulit auris
Confusae sonus urbis et inlaetabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigae currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur

et incertae, quid agant, s. incertae rerum suarum; v. 1, 178.| 591. *at. odor*, v. 7, 463.| 600. *crim.*, ream.| 603. Eurip. Hippol. 802 „*βρόχον κρεμαστὸν ἀγχόνης ἀνήψατο.*“ — *inform.*, Servius „nihil hac morte deformius.“ et cf. Sil. It. 1, 166.|| 614—696. *Turnus territus strepitu ab urbe ad aures accidente perspectoque dolo Iuturnae non passus se diutius circumagi certiorque de statu rerum deque morte Amatae factus retineri iam nequit, quin solus contendat cum solo Aenea.*| 616. *successu equor.*, successu pugnae equestris; ob tarditatem fessorum equorum.| 617. *caecis*, quorum causam ignorabat.| 618. *arrectas* ad audiendum, ut 2, 303. — *impulit*, ut G. 4, 349 „iterum maternas impulit aures luctus Aristaei,“ gravius verbum, quam simplex *pepulit*; Cic. de N. D. 2, 57 „sensus *(auditus)* a vocibus pulsus.“ Soph. Ant. 1173.

Troiugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis et proelia miscet,
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnae nec honore recedes.
Turnus ad haec:
O soror, et dudum adgnovi, cum prima per artem
Foedera turbasti teque haec in bella dedisti,
Et nunc nequiquam fallis dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quae iam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere ingentem atque ingenti volnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo, et Turnum fugientem haec terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? Vos o mihi Manes
Este boni, quoniam Superis adversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae
Descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.

Vix ea fatus erat: medios volat, ecce, per hostis
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque inplorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur
Deiecturum arces Italum excidioque daturum;
Iamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quae sese ad foedera flectat.

„*καί με φθόγγος οἰκείων κακῶν βάλλει δι' ὤτων.*“ | 627. cf. Hom. Il. 13, 312. | 629. *mitt. f. T.*, mittendo tela inferamus mortem Teucris. | 630. *numero* caesorum. | 632. *agnovi* te deam. — *prima*, Iuturna, quod eius auctoritate foedus est turbatum, v. 4, 548. | 634. *nequ. f.*, frustra latere studes; non fefellit me, haec non hominis alicuius, sed tuo, deae, consilio geri. | 637 sqq. Hoc dicit Turnus: nullam sibi spem salutis relinqui; occisos esse fortissimos homines sibique coniunctissimos; superesse, ut urbs exscindatur, ipse fuga hosti se subtrahat; tanto dedecore potiorem esse mortem. | 637. *quid a.*, v. 10, 675. | 638. *voce v.*, v. 4, 681. | 639. *sup.*, cf. 3, 339. | 641. *dedecus*, quod vertitur in praesenti clade Italorum suo (Turni) ductu accepta, et cf. 11, 416 sqq. — Ceterum v. G. 3, 387. | 647. *boni*, v. 1, 734. | 648. *animá* ¦ *atque*, cf. 3, 464 et v. E. 2, 53. — *culpae*, turpis fugae puta. | 653. *supr. s.*, postrema, quae superest una; Silius 2, 283 „*postrema* salus rerum patriaeque.“ | 657. *mussat*, cunctatur, metuens aperire, quid sentiat, cf. vs. 718. | 658. *Quos generos*, v. vs. 40. |

Praeterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant acies. Circum hos utrimque phalanges
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstipuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit; aestuat ingens
Uno in corde pudor mixtoque insania luctu
Et furiis agitatus amor et conscia virtus.
Ut primum discussae umbrae et lux reddita menti,
Ardentis oculorum orbis ad moenia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad caelum undabat vertex turrimque tenebat,
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse
Subdideratque rotas pontisque instraverat altos.
Iam iam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati; neque me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis,
Perque hostis, per tela ruit, maestamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice praeceps
Cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas;
Fertur in abruptum magno mons inprobus actu,
Exsultatque solo, silvas, armenta, virosque
Involvens secum: disiecta per agmina Turnus

662. *acies*, unam auxiliarium Messapus, alteram Rutulorum Atinas.| 664. cf. vs. 614 et v. 2, 714.| 665. *var. im. rer.*, Servius „multiplici nuntio, quod regina periit, quod urbs oppugnatur, quo omnes Latini in illum oculos referunt, quod dubitat Latinus, quos generos vocet."| 667. *mixto*, v. E. 10, 55. — *insania*, insana pugnandi cupiditas, cf. 7, 461. 550.| 671. v. G. 3, 114.| 672. *tab.*, cf. 2, 464. — *flammis undabat vertex*, quasi undis flammarum consurgebat vertex.| 675. *pontis*, v. 9, 170.| 676. Ex conflagratione turris ab ipso aedificatae Turnus omen instantis sibi mortis capit.| 678 sq. stat *per mortem oppetendam* subire, quidquid acerbi est in ipsa scilicet morte.| 680. sine, quaeso, me hunc, quo ardeo, furorem furere (huic, qua ferveo, decertandi cum Aenea cupiditati satisfacere), antequam descendam ad Manes; v. 2, 690; furoris signa cognosces ex proximis versibus, et similis ante congressum furoris crebra sunt exempla, ut 8, 228. 11, 486.| 681. v. 5, 276 et E. 2, 30. Hom. Il. 3, 29.| 684 sqq. cf. Hom. Il. 13, 137 sqq.| 684. v. 1, 148.| 685 sq. quod (sive) ventus avellit sive imber proluit (utrumque fit aperta subitaque vi), aut .. *oder auch* .. vetustas solvit, quod fit paulatim ac latenter.| 686. *sublapsa*, quia sensim subrepit vetustas.| 687. *inprobus*, vehementissime concitatus, v. G. 1, 119.|

Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet striduntque hastilibus aurae;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite iam, Rutuli, et vos tela inhibete, Latini;
Quaecumque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis foedus luere et decernere ferro.
Discessere omnes medii spatiumque dedere.
At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces,
Praecipitatque moras omnis, opera omnia rumpit,
Laetitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Appenninus ad auras.
Iam vero et Rutuli certatim et Troes et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Moenia, quique imos pulsabant ariete muros,
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi,
Procursu rapido, coniectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro.
Dat gemitum tellus; tum crebros ensibus ictus
Congeminant; fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut ingenti Sila summove Taburno
Cum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt; pavidi cessere magistri;

694. quisquis est exitus huius certaminis, omnis ad me pertinet; *ergo* verius (*iustius*, ut apud Horat. Epist. 1, 7, 98) est me unum Pro v. f. l. || 697—745. *Digladiantur inter se Turnus et Aeneas. Turnus fracto gladio inermis fugit.* | 698. deserit oppugnationem summarum arcium, turrium; cf. vs. 674. | 699. *Pr. m. o.*, summa cum festinatione profligat omnem moram. | 701 sqq. cf. Hom. 13, 754 Ipsa paulo insolentior structura verborum indicat animum poetae vehementius commotum in magnifica rerum specie mirabilius augenda. Spectat autem haec comparatio cum ad proceritatem, tum ad hiemale tempus sonorasque procellas eo tempore fieri solitas, verbaque *cum fr. ilicibus* respondent horrendo armorum Aeneae sono vs. 700. — *ipse*, per hoc Pronomen Appenninus opponitur Athoni et Eryci ut propinquus et e Latio conspicuus. — *pater* dicitur Appenninus, quia commune est huic monti nomen cum *Iove Appennino* (cf. Inscriptt. Lat. Orell. 1220.), cuius templum exstat ad oppidum, quod *la Scheggia* hodie appellatur, v. G. 1, 163. saepe autem dei cum rebus, quibus praesunt, commiscentur a poetis, v. G. 1, 295. Hom. Il. 21, 143. „*Περίβοια ..., τῇ ῥα μίγη Ποταμὸς βαθυδίνης*,“ adde vs. 130. 136 et *sanctus Mons* deus Tmolus appellatur ab Ovid. Met. 11, 171; vide etiam descriptionem Atlantis supra 4, 247 sqq. — *gaudet se attollens*, v. G. 2, 510. | 707. *Arma*, clipeos, cf. vs. 130. — Stupefactus ipse, ut ceteri, Latinus oculos adiicit tanto tamque memorabili spectaculo. | 712. *Inv. M.*, ineunt pugnam, v. G. 1, 295. — *clipeis*, v. 11, 284. | 713. *Dat g. t.*, „pulsu pedum“ Servius, cf. vs. 334 sq. 9, 709. | 715. v. G. 2, 38 et 3, 219. | 717. *cessere*,

Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuvencae,
Quis nemori inperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi volnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Non aliter Tros Aeneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis; ingens fragor aethera conplet.
Iuppiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet et fata inponit diversa duorum,
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, inpune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectaeque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
Fama est, praecipitem, cum prima in proelia iunctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit; postquam arma dei ad Volcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit; fulva resplendet fragmen arena.
Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos inplicat orbis;

v. vs. 588. | 718. *mussant*, v. vs. 657. | 724. v. vs. 712. | 725. cf. Hom. Il. 8, 69 sqq. 22, 209 sqq. — *aequ. ex.*, sic ut examen neutram in partem vergat. | 727. *ut pateat*, *quem labor* (pugna, ut *πόνος*) *damnet*, destinet morti; v. G. 3, 562. — *quo v. p. l.*, utro pondere (pondere fatorum Aeneae an Turni) deprimatur lanx letum portendens. — Ceterum frigent haec, vss. 725—727, cum alias ob causas, tum propterea, quod Iovi non ignota esse ea fata dudum multis locis cognovimus; noluit scilicet poeta, nimio ductus imitandi studio, nobilem illam apud Homerum *ψυχοστασίαν* tacitus praeterire. | 728. *hic*, dum ita inter se contendunt; interrupto per vss. 725—727 narrationis ordine reditur per hoc Adverbium ad vs. 724. — *inp. putans* id sibi futurum, nactus scilicet opportunitatem ad feriendum forte (vs. 714) sibi oblatam. | 729. v. 9, 749. | 730. *Et ferit.* Egregie declaratur suspensus exspectatione metuque animus cum per caesuram post dactylum in principio versus positum, tum per interiecta illa *Exclamant Troes* cet.; et cf. 5, 643. | 732. ensis eum deserit *ac proinde prodidisset adversario*, ni *cet.*; v. G. 3, 562. | 735. *prima in pr.*, i. e. tum, cum iturus erat in proelium, cf. vs. 103. | 736. *patrio*, cf. vs. 90 sq. | 739. *arma dei Volc.*, a. dei Volcani; Soph. Oed. R. 243 „*τὸ Πυθικὸν θεοῦ μαντεῖον.*“ Silius 3, 392 „Nebrissa *dei Nysaeis* conscia sacris.“ similiter ipse Homerus Il. 17, 272 „*δηΐων κυσὶ κύρμα γενέσθαι Τρωῇσιν,*“ i. e. *κυσὶ δηΐων Τρώων·* adde Il. 2, 54. Prop. 3 [4] 21, 27 „Librorumque tuos, docte Menandre, sales.“ | 742. *diversa*, quia diversus abit, qui fugit, cf. 11, 855. G. 4, 500. — Ceterum iuverit Hectoris fugam cum hac comparare, Hom. Il. 22, 136 sqq. | 743. *incert.*,

Undique enim Teucri densa inclusere corona,
Atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardante sagitta
Interdum genua inpediunt cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum aut puniceae saeptum formidine pennae
Venator cursu canis et latratibus instat;
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Haeret hians, iam iamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor, ripaeque lacusque
Responsant circa, et caelum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra praesensque minatur
Exitium, si quisquam adeat, terretque trementis,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbis explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc; neque enim levia aut ludicra petuntur
Praemia, sed Turni de vita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo et votas suspendere vestes;
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Aeneae stabat; huc impetus illam
Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit, tuque optuma ferrum

quia nunc huc, nunc illuc nec in certum semper orbem fertur. | 745. *palus*, „quae nunc non apparet," Servius. || 746—790. *Insequitur Aeneas. Hastam eius in radice arboris haerentem, postquam Turno suum gladium reddidit Iuturna, Venus extrahit.* | 746. *sagitta*, vulnere e sagitta, cf. vs. 319. — Alii *tardata.* | 749 sqq. cf. Hom. Il. 22, 189 sqq. | 750. v. G. 3, 372. | 751. Silius 3, 294 sq.: „cum densa vagis latratibus inplet Venator dumeta Lacon." similiter *bellator equus* 10, 891. | 752. *insid.*, i. q. formidine vs. 750. — *et*, males *aut* scriptum; sed satis visum poetae, talem ἀκρίβειαν ut putidam aspernanti, haec semel discreta posuisse vs. 750. | 758. *simul fug.*, v. 10, 856. | 764. *levia aut lud.*, quales sunt coronae in ludorum certaminibus. | 767. *lignum* „humiliter," ait Servius, quia ex ea arbore solum truncum vetustas reliquisse videatur. | 769. cf. Horat. Od. 1, 5, 13 sqq. | 770. cf. vs. 116 sq. — *stirps* ubi de arbore dicitur apud Virgilium, masculinum est. | 772. *stabat*, v. E. 1, 39. | 773. cf. vs. 711. | 774.

Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans lentoque in stirpe moratus
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer et instat,
Rursus in aurigae faciem mutata Metisci
Procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphae indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Adsistunt contra certamina Martis anheli.
Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi
Adloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?
Indigetem Aenean scis ipsa, et scire fateris,
Deberi caelo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin decuit violari volnere divum?
Aut ensem — quid enim sine te Iuturna valeret? —
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine iam tandem, precibusque inflectere nostris;
Nec te tantus edat tacitam dolor, et mihi curae
Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum et luctu miscere hymenaeos:
Ulterius temptare veto. Sic Iuppiter orsus;
Sic dea submisso contra Saturnia voltu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Iuppiter, et Turnum et terras invita reliqui;

cf. Hom. Il. 21, 174 sqq. | 779. cf. vs. 770 sq. | 782. *morsus Roboris*, radicis, quae forcipis instar cuspidem hastae retinebat. | 789. *ard.*, v. 8, 299. | 790. *Ads. c. cert.*, adsistit contra suum quisque adversarium, proprie: Adsistit contra sui quisque adversarii certamen. — Alii *certamine.* — *Mars anhelus*, pugna, quae anhelare facit. || 791—842. *Interea Iuppiter leniter obiurgatam Iunonem ulterius saevire vetat. Illa, concesso, quod petit, ne patrium nomen, sermonem, vestitum Latini mutent, placata discedit.* | 791. *omn. O.*, v. 10, 1. | 793. Verbis *Quae iam finis erit* respondet versus 796, verbis *quid denique restat* versus 797—799. | 794. *Indig.*, v. G. 1, 498. | 795. v. G. 4, 325. | 797. decuitne tuo consilio fieri, ut deus futurus vulneraretur a mortali? cf. vs. 319. Negat Iuno id suo suasu factum vs. 813 sqq. | 799. *Ereptum* vi quadam fati. — *victis*, ei, qui habendus iam pro victo; v. E. 3, 7. | 801 sq. Nec tacitam te edat ira, nec proferendis saepe irae causis incommoda mihi, s. depone omnem iram sive occultam sive apertam. *et recursent*, i. e. *nec* recursent; negatio enim in principio versus posita spectat etiam ad hoc verbum. Modo autem Iuno tacita irae indulget (id quod tum fiebat), modo (quod saepius) querelis obtundit aures Iovis. | 805.

Nec tu me aeria solam nunc sede videres
Digna indigna pati, sed flammis cincta sub ipsa
Starem acie traheremque inimica in proelia Teucros.
Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi et pro vita maiora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum;
Adiuro Stygii caput inplacabile fontis,
Una superstitio superis quae reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
Cum iam connubiis pacem felicibus, esto,
Conponent, cum iam leges et foedera iungent,
Ne vetus indigenas nómen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestem.
Sit Latium, sint Albani per saecula reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Es germana Iovis Saturnique altera proles:
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus!
Verum age et inceptum frustra submitte furorem:
Do, quod vis, et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum
Subsident Teucri; morem ritusque sacrorum
Adiiciam; faciamque omnis uno ore Latinos.
Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,

Def. d., cf. vs. 603.| 810. *Nec*, sc. si illa ignota mihi esset; v. G. 3, 562.| 811. *Digna indigna*, quidvis; similiter *aequa iniqua*, *fanda nefanda*. Sallust. Cat. 11 „avaritia nec *copia* nec *inopia* minuitur," i. e. prorsus nulla re. — *flammis c.*, flammis undique collucens; Silius 12, 727 „Mirantem Superum vultus et *flammea* membra."| 817. *Superst*, religio, quam habet iusiurandum; et cf. Hom. Il. 15, 37 sq. — *reddita*, facta, constituta.| 819. *tenetur lege*, quod fieri vel iubetur lege vel vetatur; Ovid. Met. 10, 203 „Quod quoniam fatali lege tenemur," i. e. vetamur.| 820. *pro mai. tuor.*, Servius „Respexit ad Saturnum, qui in Italia aliquando regnaverat; inde ait *tuorum*, nam et Latinus inde originem ducit, 7, 48 sq."| 822. *leges* h. l. sunt condiciones ipsius foederis.| 823 sqq. Ea re declarat poeta, quare in his rebus omnibus (quod sane mirabile videri debebat) nullum vestigium Troianae originis restet apud Romanos.| 825. cf. vs. 834.| 827. Sint Romani, atque ita quidem, ut Italorum virtute pollere videantur, non Troianorum.| 830 sq. „Probas te Iovis sororem Saturnique prolem; nam maximos irarum fluctus animo volvis;" uterque autem, et Saturnus et Iuppiter, saevus erat et iracundus; et v. 5, 404 et E. 1, 12. Iuppiter apud Hom. Il. 5, 892 „*μένος ἐστὶν ἀάσχετον, οὐκ ἐπιεικτόν, Ἥρης.*" — Alii *Et germ.* — *altera*, una ipse Iuppiter, altera Iuno.| 835 sqq. nihil aliud, nisi hoc *(tantum)*, concedam Teucris, ut se commisceant cum populo Latino in eoque lateant s. subsidant, coniuncto tamen sacrorum Troianorum more rituque cum

Supra homines, supra ire deos pietate videbis,
Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.
Adnuit his Iuno et mentem laetata retorsit.
Interea excedit caelo nubemque relinquit.
His actis aliud Genitor secum ipse volutat,
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae,
Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hae Iovis ad solium saevique in limine regis
Adparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum morbosque deum rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demisit ab aethere summo
Iuppiter, inque omen Iuturnae occurrere iussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur.
Non secus, ac nervo per nubem inpulsa sagitta,
Armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum inmedicabile, torsit,
Stridens et celeris incognita transilit umbras:
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni,
Alitis in parvae subitam collecta figuram,

veteribus Latinorum sacris, unaque erit totius populi facies.| 839. *supra homines, supra deos*, i. e. supra omnes; cf. 11, 509 sq.| 842. *Interea*, dum ita placata est.|| 843—886. *Iuppiter, quo Iuturnam a Turno separet, mittit unam ex Diris, quae sumta noctuae specie volitat ante oculos Turni. Eo monstro territa Iuturna cum luctu gemituque discedit a fratre.*| 844. *fr. dim. ab a.*, facere, ut desinat adesse decertanti fratri.| 845. *geminae*, Allecto et Tisiphone Furiae cum apparent Iovi, Diras cognominatas esse refert Servius 4, 609. — *cogn.*, nomine ex re nato ipsisque conveniente; apud probatos enim scriptores cognomen semper significat nomen aliquo modo adscitum.| 848. *ventosas*, ipsarum concitatione ventum moventes.| 850. *apparere* proprio verbo dicuntur ministri, unde apparitores dicti.| 854. *in omen*, ut omen esset.| 856 sqq. Videtur haec comparatio ad pugnam aliquam a Parthis factam spectare, qualem aliquot abhinc annis Arabum fuisse audivimus per densissimas nebulas (*per nubem*, *umbras* vs. 859) glandes mortiferas in aciem Francogallicam mittentium. In eo, quo Crassus ille dives cecidit, proelio similiter exitiosus fuit pulvis a Parthis equitibus excitatus, cf. Plut. T. I. p. 558. E. F. Itaque fieri etiam potuit, ut Parthi de industria quaererent nebulosos dies ad committenda proelia. — Cur autem Parthi et Cretenses hic nominantur?| 858. *Parthus ... Parthus s. C.*, cf. 6, 495 sq. G. 1, 10 sq. — *Cydon*, Cydonia, oppido Cretae, oriundus.| 859. *celeres*, celeriter telum transmittentes; et brevi intervallo ter ponitur idem Adiectivum, quo urgeatur rei celeritas. — *incogn.*, non ante visa, quam feriat.| 860. *Talis*, v. 3, 310.| 862. *parvae*, Servius „noctuam dicit, non bubonem, qui maior est.“ *collecta* autem (i. e. contracta) cum ipsum parvitatem quandam indicet, satis fuerat scribere *conversa*; sed solent veteres scriptores vocabula cum Verbis cognatae significationis coniungere, ut Cic. Partit. or. 32 „partitionem distribuere“ et cap. 40 „dividere partitiones,“ i. e. facere. Soph. El. 741 „πάντας ἀσφα–

Quae quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens serum canit inportuna per umbras;
Hanc versa in faciem Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor,
Arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.
At, procul ut Dirae stridorem adgnovit et alas,
Infelix crinis scindit Iuturna solutos,
Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana iuvare
Aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin possum me opponere monstro?
Iam iam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscenae volucres; alarum verbera nosco
Letalemque sonum; nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis adempta est
Condicio? possem tantos finire dolores
Nunc certe et misero fratri comes ire per umbras.
Inmortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quae satis alta dehiscat
Terra mihi Manisque deam demittat ad imos!
Tantum effata caput glauco contexit amictu,
Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.
    Aeneas instat contra telumque coruscat,
Ingens, arboreum, et saevo sic pectore fatur:
Quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?
Non cursu, saevis certandum est comminus armis.

λεῖς δρόμους ὠρθοῦτο". Herod. 7, 51 „*πλεῦνα λόγον ἐκτεῖναι.*" — *subitam*, v. 7, 67. | 863. cf. 4, 462 sq. | 864. *inport.*, canens importunum, ferale puta, carmen. | 866. v. 4, 438. | 867. *novus*, qualem numquam ante senserat. | 869. *strid. et alas*, i. e. stridorem alarum, v. 1, 61. | 873. *durae*, crudeli; culpam, quae erat fortunae, in se transfert Iuturna, ut solent, qui graviter dolent iniquitatem fati, quod praevertisse cupiant, dummodo potuerint; Silius 13, 656 „nam cur Ulla fuere adeo, quibus a te *saevus* abessem, Momenta;" quem apparet eundem in modum accepisse Virgilianum illud 4, 681 „sic te ut posita *crudelis* abessem," ubi Donatus „in his casibus te posita afui ego crudelis et saeva." | 875. *terrere timentem*, ut *exhortari furentes* 11, 609. | 876. *Obsc. v.*, i. e. una ex earum genere, quae obscenae s. mali ominis sunt, v. E. 3, 7 et G. 1, 470. | 877. *nec f. i. s. M. I.*, intelligo Iovis iussu mihi iam desistendum esse ab incepto, cf. vs. 844. | 878. cf. vs. 141. | 880. *possem*, *ni adempta esset*, *t. f. d.*; v. G. 3, 562. | 882. Quid iuvat me immortalitas, vel ea, quae mihi praeterea grata olim fuerunt? — *meorum*, mearum rerum. | 883. *O quae*, v. G. 2, 488. — *dehisc. Terra mihi*, v. 4, 24. | 885. *Tantum*, nec plus. — *cap. cont. am.*, quod est signum luctus. — *glauco*, v. 8, 33. | 886. *fluvio*, v. vs. 139. || 887—952. *Aeneae victoria, mors Turni.* | 888. Iunge *Aeneas ingens*, nisi forte poeta imitari voluit Homericum illud *ἔγχος βριθὺ, μέγα, στιβαρόν.* — *arbor.*, cf. vs. 294. | 889. *deinde*, cum res ita se habeant taque ensem recuperaveris. — *retractas*, Cic. Philipp. 14, 14 cum sine ulla retractatione pro

Verte omnis tete in facies, et contrahe, quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans: Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; di me terrent et Iuppiter hostis.
Nec plura effatus saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis;
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus;
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens et cursu concitus heros.
Sed neque currentem se nec cognoscit euntem
Tollentemve manu saxumque inmane moventem;
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus
Nec spatium evasit totum, neque pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequiquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii; Rutulos adspectat et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremescit;
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt aurigamque sororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis, et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit

patria vitam profuderint." | 891—893. Nihil scilicet te eripiet mihi. | 894. *cap. q.*, cf. 7, 292. | 897. *antiqu.*, *λίθον μέλανα* Hom. Il. 21, 404, quod pro signo antiquitatis accepisse videtur Virgilius. — per iteratum *ingens* mirabiliter augetur magnitudo, cuius notionem animo informavimus. | 898. *lit. ut d. a.*, ut discernendis inter se arvis omnem de finibus litigandi causam tolleret. | 899 sq. cf. Hom. Il. 5, 303 sq. 12, 447 sqq. | 901. *Ille ... heros*, v. G. 4, 457. | 903. *non cognoscit se*, desiderat pristinam animi constantiam, pristinas vires, seque plane alium factum sentit, cf. vs. 911 sq. — *currentem* ad saxum petendum. — *euntem* contra hostem. | 905. *Genua*, v. G. 1, 397 et de ipsa re v. 1, 92. | 906. *inane*, aëra, et v. v. 354. | 907. cf. 10, 786. | 908 sqq. cf. Hom. Il. 22, 199 sq. | 909. *ext. c.*, cf. Hom. Il. 23, 375 et 758. Anacr. 8, 5 „*δρόμον ὠκὺν ἐκτανύειν.*" | 913. *viam* vincendi. | 920. *fort.*, locum in corpore vulneri opportunum; cf. Hom. Il. 22, 321. | 921. *murali Torm.*, ballista, qua muri conquas-

Loricae et clipei extremos septemplicis orbis.
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro, — fuit et tibi talis
Anchises genitor — Dauni miserere senectae,
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti, et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia coniunx:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
Coeperat, infelix humero cum adparuit alto
Balteus et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem volnere Turnus
Straverat atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam saevi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Immolat et poenam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

santur.| 925. At quomodo per oras loricae in femur hastam delatam existimabimus? Lorica non pectus solum, sed etiam ventrem tegebat, imae autem parti (id quod antiqua monumenta probant) laminae mobiles aereae alligatae fuisse videntur, femur munientes; per talem laminam putabimus telum in femur adactum.| 926. Iure laudatur poeta, quod noluerit Turnum statim letali ictu vulnerari; sic enim locum sibi reliquit ad declarandam et lenitatem Aeneae in ipsa victoria, vs. 939 sq., et pietatem erga amicum, vs. 945 sqq. — Donatus „*Incidit* dixit, in ipsam tantum partem concidit, qua fuerat debilis redditus.“| 927. *dupl.*, v. 11, 645.| 928. *gemitu*, v. 2, 323.| 930. *oculos dextramque Protendens*, v. 1, 426. cf. 2, 405 sq. Ovid. Met. 14, 734. Valer. Fl. 7, 269 sq. „illi has ego *voces*, Qua datur, hasque *manus*, ut possum, a litore tendo.“| 931 sqq. cf. Hom. Il. 22, 338 sqq.| 932 sq. cf. Hom. Il. 24, 486 sq.| 938. *acer*, etiamnum irae plenus, quo spectat illud quoque, quod subiicitur, *volvens oculos*. — *in arm.*, clipeum tenens strictumque gladium, v. 3, 595 | 941. *humero alto*, nam cetera obtegebat clipeus.| 944. *cuius*que insigne gerebat, v. 3, 382 et G. 3, 283. — *inimicum*, quia gerebat inimicus odioque dignus.| 946. *hausit*, v. 10, 899.| 947. *indute*, cum indutus sis, v. 9, 485. — *meorum*, unius ex meis, v. E. 3, 7.| 952. v. 4, 692.

INDEX DELECTUS

rerum verborumque in Commentariis explicatorum.

LIPSIAE EX OFFICINA BAERI ET HERMANNI.

